METAPHYSICA, IN TRES LIBROS DIUISA. IN QUIBUS METAPHYSICALES, QUAE AD...

Blaise : de la Conception

METAPHYSICA IN TRES LIBROS DIVISA.

IN QVIBVS METAPHYSICALES, quæ ad integritatem Philosophici Carmelit. Excalceatorum Complutens. Cursus desiderabantur Quæstiones disputantur.

IVXTA EXIMIAM ANGELICI Doctoris D. Thomæ, & scholæ eius Doctrinam.

AVTHORE R.P.F. BLASIO A CONCEPTIONE, Carmelita Excalceato.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus DIONYSII THIERRY, viâ Iacobeâ, sub signō S. Dionysij propè D. Benedictum.

M. DC. XL.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatio Doctorum.

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO,

SALOMONI PHELIPPEAVX,

REGI CHRISTIANISSIMO

à Consilijs in Secretiori Consistorio,

Domino Deslandes, &c.

N*VLLA vnquam fuit ætas* (vir clarissime) *in qua fœcundus ille Carmeli Nostri ager, congruos nomini suo, quod scientiam Circumcisionis sonat, sanctimoniæ æque ac scientiæ fructus vberrimos non protulerit, adeo vt præter innumeros qui varios de rebus diuersis libros scripserunt, centum circiter varijs temporibus, non infimæ notæ ac nominis viri ex ipsius aruis prodierint, qui libros sententiarum doctissimis Commentarijs illustrarunt. Verum cum hac mundi senectute senescere atque exsiccari quodam modo Carmeli vertex videretur, refloruit tamen his sæculis, non minus circumcisione vitæ, quam sapientia: & (vt omittam primæuos illos sanctitatis ac pietatis flosculos, quorum fragrantia è sacro illo nostro monte prodiens, per vniuersam Ecclesiã longe lateque diffunditur) etiã scientiæ flores apparuerunt in terra nostra. Inter illos autem, celeberrimus est Philosophiæ cursus, qui sub nomine Collegij Complutensis PP. Carmelitarum Excalceatorum, duodecim ab hinc circiter annis prodijt in lucem. Miratur siquidem vniuersa schola perspicuitatem, nec non doctrinæ, quæ in prædicto cursu continetur, sublimitatem: verum quandiu potißima pars, Metaphysica scilicet, siue prima princepsque Philosophia, ad operis consumma-*

tionem desideratur; quasi quoddam sapientiæ simulachrum ἀκέφαλον suspicere videtur; atque adeo non cessat votis eorum pulsare mentem, vt huic egregio operi, vltimam admouentes manum desideratam tandem, optatamque tamdiu Metaphysicam adijciant, quæ quasi totius Philosophicæ disciplinæ caput & complementum, prædictam effigiem omnibus numeris suis absolutam exhibeat. Iam vero cum longa satis fluxerint tempora, quibus spes communis, anxia & inanis remanet, hoc solum cogitationi nostræ relictum videtur, quod grandiora, & Christianæ Reip. vtiliora meditantes sublimioribus conatibus artem suam operamque deuouerunt. Quapropter non ingratum fore communi expectationi meum existimaui obsequium, si quod olim Theodorus quidam, sculpendi arte eximius, prospero fœlicique exitu perfecit, hoc saltem aggredi & tentare non detrectarem. Dum enim frater eius Theletæus insignis cuiusdam Apollinis Pythij simulachri alteram solum partem, sed adeo affabrè elaboratam confecisset, vt elegantia & artificij præstantia in admirationem raperet spectantium oculos, & in sui complementum eorum animos inanis desiderij motibus torqueret, tandem prædictus Theodorus, iustas in fratrem suum querelas, non sustinens, tam fœliciter & adeo consimili artificio, desideratam statuæ partem aggressus absoluit, vt priori addita, nullam exhiberet artificum diuersitatem, sed vniuersum simulachrum vna manu perfectum esse videretur.

Si in alijs similitudo & proportio præsenti in negotio defutura est, iam tamen satis in hoc elucet quod ego, cui inchoatum illud à Patribus Complutensibus simulachrũ & imaginem absoluere incumbit, frater ipsorum sum; ex eiusdem quippe religionis vtero spiritaliter genitus, & in ipsius sinu educatus, eiusdem doctrinæ vbera suxi (D. Thomæ intelligo, cuius puro ac sincero lacte pascit nos sacra nostra Religio:) verum naturalis, fateor, ingenij mei imbecillitas, in æqualem cum ipsis scientiæ ac cognitionis magnitudinem assurgere non permisit, adeo vt in hac vltima Philoso-

phiæ parte, quam egregio illi excelsoque operi ab ipsis inchoato, quasi toti ædificio culmen ac fastigium imponere ex obedientia suscepi, æqualem eruditionem haud quisquam possit expetere, aut etiam expectare. Sed quamuis hæc ita sint, spero tamen, si non æqualis omnino, similis saltem artificis manum opus est expressurum, cum mihi in hoc instituto semper propositum fuerit, vt ipsorum inhærens vestigijs, sublimem profundamque Angelici Doctoris doctrinam mihi ob oculos in exemplar & ideam constituerem, ad cuius similitudinem, non solum omnes meas sententias, sed & sententiarum mearum rationes quantum mihi licuit conformarẽ.

Dum igitur cogitare cœpi, cuius potissimum aut præsidio committerem, aut meritis appenderem tenellum hunc ingenij mei fœtum, nulla ratione adduci potui, vt alterius, quam diuinæ sapientiæ aris consecrarem; in membranis quippe istis humanæ sapientiæ qualiscumque adumbratur effigies, cum sapientiæ nomen & officium, vendicet sibi hæc scientiarum Regina ac directrix Metaphysica. quidni ergo reddatur sibi ipsi sapientia? quidni ipsius templo appendatur, quod munus ipsius esse agnosco? Tu es ipse (vir clarissime) *templum illud sapientiæ animatum in quo hoc meum votum lubens libensque offero, ipsi numini acceptum fore sperans, quod ipsius templo deuotus affigo. Verum si cuipiam vel leuissima suboriatur suspicio, quod aliquo adulationis pruritu potius, quam veritate ipsa compulsus, hunc tibi gloriosum honoris titulum defero, ipsam mihi vindicem assumo sapientiam.*

Ego (*inquit illa*) in altissimis habito. *Si hæc ita se habent, nonne ipsiusmet sapientiæ oraculo conuictus, te quasi viuificũ illius habitaculum venerari cõpellor, quẽ dignitatis non pænitendæ fascibus fastigiatum, &* (*quod laudabilius est*) *eximiarum virtutũ insignibus & ornamẽtis dotatũ, mirabũdus suspicio. Quod si quẽadmodũ cũ parentibus sanguinẽ sortiti sumus cõmunem, ita etiã bona quælibet æquum est esse communia, nonne hinc ingens insuper nomini tuo splendor accrescit, quod germani fratres tui, primas in-*

cliti huius Regni sedes pro meritis suis occupãt? quorum duo Regi à secretis, alij in supremo Senatu purpurati refulgent, adeo vt micanti illo splendore familiæ tuæ, fidelitate erga Regem nostrum Christianißimum alteri nusquam secunda, tum vel maxime virtutis & honestatis ipsi cõgenitæ pulchritudine allecti, Regni huius Proceres, Præsides, Procomites, Comites, Marchiones sacro nuptiali fœdere cum ea coniungi honorificum esse duxerint. Sed parum esset, te in hoc maximarum dignitatum apice collucere, nisi, (quod longe sublimius est magisque suspiciendum) per calcatos pergens honores, ad virtutis altius fastigium, gradum tibi fecisses. Plerosque namque videre est, quos ad summos honores euectos, superbiæ turbo dispellit, & eò miserabiliore casu ad vitiorũ barathrum deijcit præcipites, quò altius obsecundentibus fortunæ ventis fuerant sublimati, de quibus (vt opinior) loquitur Tertullianus, dum ait, plus togas læsisse Remp. quam loricas.

Non ita tecum actum est (vir clarissime) sciebas enim sapientiæ templum, quod humilitate fundatum est, etiam humilitate crescere, propterea seruasti semper illæsam medijs in dignitatibus animi tui modestiam quam etiam in vultu tuo legere cuiuis facile peruium est. Cogitasti non in sublime eleuatum te esse, vt elato spiritu inaniter hominum multitudini purpuram tuam ostentares, sed vt inde quasi ex alto solio cœloque pietatis, iustitiæ, fortitudinis, beneficentiæ, cæterarumque virtutum radios vndequaque diffunderes, quod sane summo Reip. gaudio perfecisti vnde etiam cum satis amplas facultates, quasi fidelißimo dispensatori suo largitus esset Deus, non illas in terra recondidisti, sed effudisti liberaliter in pauperes, quid dico effudisti? immo recondidisti intra pauperum manus, vt eas in cœlesti Patris sinu reponerent, vbi fur non appropiat, neque tinea corrumpit, quibus tibi gratiæ ac virtutum dona coemeres, & templum sapientiæ, quæ in altißimis habitat, etiam ad excelsam molem cacumenque erigeres.

Quadraginta sex annorum spatio superbum illud Hierosoly-

morum templum ædificatum fuisse, sacrarum paginarum testantur oracula, numquid etiam & tu totidem circiter annorum spatium in elaboranda & construenda interiori mentis tuæ fabrica, non insumpsisti? dum quadraginta circiter annis Rationum regiarum præfecturam aliasque Reip. dignitates tanta cum integritate iustitia, omniumque virtutum cælesti harmonia, administrasti.

Vanos elatosque hominum cogitatus superbis ædificijs extruendis inutiliter intentos, altius Dei consilium sæpe sæpius dissipat. ita Babylonicæ turris ædificatoribus contigisse legimus, quorum linguam & opus confudit Deus, dum inanis consilij vanitate nomen sibi facere molirentur. At dissimilem disparemque prorsus sortitus es in interioris fabricæ templique tui constructione exitum; consumptis siquidem tot annis in ædificij huius structura, descendit Deus non vt confunderet opus tuum, sed magis vt à confusione, turbaque importuna negotiorum sæcularium, quibus distenduntur & distrahuntur miseris modis plerique mortalium eriperet, iis (vt arbitror) intus alloquens vocibus, quibus sapientissimus ille Philosophorum Seneca, Paulinum charissimum post diu administratam Quæstoriam dignitatem, ad otia contemplationis vocabat. Satis inquit iam per laboriosa & inquieta documēta exhibita virtus est, experire quid in otio faciat, major pars ætatis, certe melior Reip. data sit, aliquid temporis tui sume etiam tibi. *Obtemperasti continuo* (vir clarissime) *diuinæ vocis oraculo, & (quod heroum & semideorum proprium esse existimatur) secutus es Deum vocantem. Cessisti sponte officio tuo adinstar Fabiorum & Quintiorum, quos celebrat antiquitas, & ingenti animi fortitudine Deo volenti manus dedisti, satius vitæ tuæ & conscientiæ, quam ærarij publici rationes nosse ducens. Respirasti tādem medijs negotiorū in fluctibus, & ad tutū periculis vſe quibuslibet imperuium quietæ atque contemplatiuæ vitæ portum confugisti, in quo, sicut iuuenilis virilisque ætatis florem actionis strenuitate clarum inlustremque effeceras, ita venerabilem tuam*

canitiem otij sancti ac piæ quietis gloria cohonestares. Sciebas quippe post actionis laborem in contemplationis quiete, quærendam esse rationalis creaturæ consummationem, ac proinde cum ingens perfectionis tuę ardor pectus illud tuum ad summa natum accenderet, voluisti vltimam vitæ tuæ periodum vltimæ perfectioni animæ tuæ impendere, operum diuinorum & assidua meditatione contemplator effectus, & virtutum exemplo præco efficacissimus non ignarus Epicteti dicti, ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. *Deus hominem cõtemplatorem induxit, & sui, & operum suorum non solum contemplatorem, sed etiam enarratorem eorum. Abripiunt me & immemorem epistolicæ breuitatis faciunt ornamenta tua, sed vlterius procedere modestia tua vetat, quę diuinos aspectus & affectus mereri contenta est. Hoc tantummodo precor vt nouum hunc ex D. Thomę officina emergentem partum non asperneris: cui enim potius eruditione paruum, doctrina parcum, omnique ornamento egenum mitterem egestatis meę conscius, aut cuius patrocinio & clientelę committerem tutius, quam eius, quem prodiga charitas fecit esse communem pauperum patrem & egenorum tutelarem, tutissimumque perfugium. Accipe igitur* (vir clarissime) *hanc qualemcumque gratitudinis ac deuotionis nostrę tesseram, quam nomini tuo consecrat deuouetque tua illa Charentonensis studijs dicata domus, tua inquam, quam tibi tot & tantis deuinxisti assiduisque deuincire non cessas beneficijs, & nominis tui claritate, claritatis aliquid in pręsens opus diffunde: sic enim fiet, vt voti tui compos effectus, naturali propensioni qua omnibus donare ac benefacere studes, facias satis. Vale.*

In Carmelo nostro Charentonensi, anno reparatæ salutis 1640. Die 29. Martij.

Tibi addictissimus. F. Blasius à Conceptione, Carmelita Excalceatus indig.

TABVLA

PERMISSIO ORDINIS.

FRATER Philippus à Sancto Iacobo Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, Congregationis Sancti Eliæ, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, ac eiusdem sancti montis Prior; Facultatem concedimus, quantum ad nos attinet, Patri Fratri Blasio à Conceptione, Congregationis nostræ Sacerdoti professo, vt Metaphysicam à se compositam, edere possit in lucem, dummodo prius à peritis Ordinis nostri Theologis examinata & approbata fuerit. Romæ in Conuentu nostro sanctæ Mariæ de scala: Die vigesima octaua Iunij, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono.

F. Philippus à Sancto Iacobo, Præpositus Generalis.

APROBATIO.

FRater Ioannes Euangelista à Sanctissimo Sacramento, Prouincialis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Prouinciæ Galliæ, sub titulo omnium Sanctorum. Fidem facimus Metaphysicam à R. P. Fratre Blasio à Conceptione, Congregationis nostræ Sacerdote professo compositam, à peritis Ordinis nostri Theologis, iuxta concessionem Reuerendi P. Nostri Generalis datam vigesimo octauo Iunij, anno 1639. perlectam fuisse & approbatam. Datum in Conuentu nostro Sancti Ioseph Parisiensi, die nono Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono.

Frater Ioannes Euangelista à Sanctissimo Sacramento, Prouincialis.

APPROBATIO DOCTORVM
Facultatis Parisiensis.

NOs subsignati Doctores in Facultate Theologiæ Parisiensi, perlegimus hoc opus de Metaphysica, compositum à Reuerendo Patre F. Blasio de Conceptione nuncupato, Carmelita Excalceato, ac in tres libros distinctum, visum est nobis multæ eruditionis, nec minoris vtilitatis Philosophiæ studiosis, cum sanam doctrinam contineat, ac nullomodo fidei orthodoxæ contrariam. Ita testamur, Die septima Octobris, anno 1639.

Cl. Henriot.

C. Patu.

e

TABVLA
DISPVTATIONVM ET QVÆSTIONVM,
QVÆ IN HAC METAPHYSICA CONTINENTVR.

ADMONITIO AD LECTOREM.

OFfendent tibi (Lector beneuole) quamplurimi errores, oculosque tuos offendent, qui tum ex incuria impressoris, tum ex absentia authoris irrepserunt, cui ob alias occupationes aliò vocantes non licuit adesse impressioni. Quare monitum te esse volumus, vt si quid parum consonum occurrerit, recurras ad sequentem tabulam, vbi notauimus citationes falsas & mendà quę sensum peruertunt & lectoris animum affectumque vt plurimum auertunt, cętera autem quæ sunt contra syntaxim aut alia huiusm odi tuæ prudentiæ relinquentes.

ERRATA. Littera P. paginam, C. columnam, L. vero lineam denotant.

p.4.c.1.l.17.loco quæst.3.lege quæst.111. p.16.c.2,l.9. ante finem loco intrinsece, lege extrinsece. p.17.c.2.l.21.loco proprium, lege purum. ibid.l.38.post copulatiue deest quod. p.23. c.2.l.10.loco materiali, lege immateriali. ibid.l. penult.loco ideo, lege adeo.p.41.c.2.l.vlt. loco quomodo, lege quod autem. p.49.c.1.l.7.loco modum lege modo. p.64.c.2.l.5.loco contrarietatis, quam contradictionis, lege contrarietas, quã contradictio. p.81.c.2.l.9.loco radicale, lege actuale. p.86.c.1.l.22.loco formali, lege fontali. p.89.c.2.l.9.ante hęc verba quod sit deest secundum. pàgin. 90. column.1. lin.7. ante finem,, loco specificam, lege specificè. pag.95. c.1.l.1. loco denominetur, lege determinetur. p.99.c.2.l.7.ante finem loco rationis, lege actionis. p.102.c.1.l.15. ante finẽ ante alicuius deest indiuiduationis. p.103.c.1.l.8.loco proprifi, lege proprium. p.104.c.2.l.16.loco item, lege itaut. p.109.c.1.l.30.loco &, lege quia. pag.110.col.1.lin.3.ante finem post hæc verba, illa recipere, deest ab aliquo agente naturali. p.122. loco post Damasc. lege per. p 126.c 1.l.9. ante finem loco 5.lege 50.ibid.c.2.l.5.post artic.pone 4. item l.8. loco 2.lege 1. item l.17. loco vt lege 2. p.162.c.2.l.7.post ly suppositum deest & consequenter etiam existentia. p.165.c.1.l.16. loco actiuitatis lege actiua, p.173. col.2. lin.8. ante finem loco materiam lege naturam. pagin. 175. col. 1. lin. vltim. *post terminetur, deest ad essentiam absque eo quod terminetur.* p.184. c.1. l.29. post perfectissimum deest ergo cum negatio non possit esse id quod est perfectissimũ in genere substantiæ, &c. p.192. c.1.l.18.loco 58.lege 50.p.203.c.2.l.15. loco materiæ lege naturę. p.208.c.2.l.17.ante distinguantur deest aliquid & post ab alio, deest eo modo. p.219.c.1.l.9.ante terminus deest intrinsecus.p.235.c. 2.l.12 post hæc verba S.Doctore deest dist.6.q.1.a.1.in resp.ad 1.quęstiunc. 3. p.235.c.2.l.19.post D.Th.deest in primũ.p.247.c.2.l.4.loco cap.7. lege lib.1. c.1. p.260.c.2.l.13. loco 5. lege primo. p.291.c.1.l.13.loco homine, lege hominis semine. p.295.c.1.l.11.loco parte lege secundę. p.296.c.1.l.3. loco excipitur, lege eripitur.p.299.c.1.l.14.post.D.Tho.deest 3.p.p.301.c.2.l.8.ante finem post hęc verba vt neque, deest per aliquid extrinsecum neque. p.312.c. 1.l.vlt. post &, deest dicit. p.319.c.2.l.3.loco quæ, lege illæ.p.327.col.1.l.1.loco Heruæum. lege Herreram. pag. 333 column.1. lin.1. loco prima, lege decima. pagin 345. column.1 lin.7 ante finem ante committitur deest ergo forma separata est infinita. p.355.c.1.l.21. ante agat dele si & parenthesim. p.356. c.2. l.13 ante agentis deest talis.p.368.c.1.l.3.loco receptu, lege recessu. p.431 c. 2.l.10 deest at non fuit hoc Philosophis notum p.466.c.2.l.8 ante finem loco in 2.lege in 1 p.469 c 1.l.2. loco ad ea in, lege ad eam.ibid.l.vlt.loco ar.1. lege ar.2. p 476 c.1.l 20.post tres deest res pagin. 484. column.2. lin. 19.loco est de carentia, lege est carentia. pagin.505. col.2. loco quæst.19. lege quęst. 16.p.510. c.1 deest non p.5 7.c.1.l.vlt.post in esse, deest, obiectiuo secum. p. 546.c 1 l.8.ante finem loco q 5.lege q.1. p.552.l.33.loco dub.1, lege dub.2.ibid. loco Nauarrette contro.1, lege Nauarrete 1 p.contro. 21.

METAPHYSICA.
IN
TRES LIBROS DIVISA.

IN QVIBVS METAPHYSICALES, QVÆ AD Integritatem Philosophici Carmelit. Excalceatorum Cõplutenſ. Curſus deſiderabantur Quæſtiones diſputantur.

IVXTA EXIMIAM ANGELICI DOCTORIS D. Thomæ, & ſcholæ eius Doctrinam.

PROOEMIVM.

DVO ad hoc opus Metaphyſicale me impulerunt, neceſſitas ſcilicet domeſtica, & vtilitas publica: neceſſitatis quidem domeſticæ operis huius teſtes habeo, quotquot è noſtris Philoſophiæ ſtudio vacant; nec opus eſt rationes prædictæ neceſſitatis huc adducere, cùm illæ ſatis ſint toti congregationi notæ atque manifeſtæ. Quod autem aliqua quoque poſſit ex præſenti opere publica ſperari vtilitas, videtur, non immerito; quamuis enim non pauci Metaphyſicas conſcripſerint, & præclara Commentaria in duodecim Ariſt. Metaphyſicæ libros ediderint, paucos tamen reperies, & inter Thomiſtas maximè qui quęſtiones Metaphyſicales magis neceſſarias, ad breuem aliquam & ſcholaſticam methodum redegerint, quod eſt huius operis intentum atque finis. Et quia curſus Complutenſium noſtrorum, cæteras Philoſophiæ partes publico donauit, quibus nonnullas quæſtiones Metaphyſicales inſeruit; ideo vt hæc Metaphyſica noſtra prædicto curſui poſſit annecti ab illis quæſtionibus abſtinebimùs, ne inutilis ſit & moleſta earum repetitio, contenti ſecundum quod illę ſe obtulerint, annotare proprium locum in quo à Complutenſib. Noſtris tractantur, & ad eum lectorem remittere. Diuerſam quidem in hoc opere Metaphyſicali methodũ obſeruabis ab ea, quam tenuit Complut. curſus, ille enim in fronte cuiuſcumque quęſtionis aduerſam ſententiam rationibus ſuis fulcitam atque munitam primo proponit, deinde propriam cum ſuis fundamentis, tertio loco aduerſæ ſententiæ rationibus quas initio fecerat, reſpondet. In hoc vero opere, aduerſariorum rationes, quibus ſuam ſententiam confirmare, & noſtram impugnare nituntur, in vltimum locum remittimus, vt ſtatim ad propoſitionem earum illis ſatisfiat. Hęc enim methodus videtur eſſe in tradendis diſciplinis longe alterâ aptior, & lectori lon-

ge suauior, quia in prima exciderunt iam vt plurimum e memoria, argumenta initio facta, quando venitur ad solutionem eorum, & consequenter cogitur lector iterum ea repetere, & ingentem aliquando paginarum numerum reuoluere, vt ea adinuenire possit.

Secundò quia in priori illa methodo, suspensus diu retinetur lectoris intellectus, expectando solutionem argumentorum initio propositorum, quod certe fieri non potest sine ingēti inquietudine, à qua liberatur, quando proposito argumento, cuius recentem adhuc habet memoriam, statim, & extemplo satisfit, absque eo quod opus sit aliò aciem oculorum diuertere; & propterea Salmantic. N. qui primo tomo cursus sui Theologici priorem illam methodum secuti fuerant, in secundo tomo nostram sunt amplexati, eamque se alijs sequentibus tomis, secuturos pollicentur, vt videre est apud ipsos tomo 2. tract. de Trinit. disp. 1. statim sub initiū in animaduersione quam expresse faciunt pro hac re.

Sed quamuis in hoc à prædicto cursu diuersi fuerimus, non credas tamen propterea in doctrinæ substantia ab eo nos discrepare, quotquot enim sumus, Doctoris vnius Angelici diui Thomæ doctrinam omnes vno ore profitemur: vnde sicut in Carmeliticis Excalceatorum scholis solus auditur D. Thomas, solus in aulis earum resonat Angelicus Doctor; ita solam eius doctrinam Carmeliticus Excalceatorum calamus scribere nouit, aliam nescit, & sic quamuis cursum Complutensem Hispanus, hanc autem Metaphysicam Gallus produxerit calamus, non tamen pugnantem, aut aduersam, sed vnanimem, atque concordem omnino, solamq; D. Thomæ vterque profert doctrinam: nā sicut ex Apostoli sententia ad Galatas 3. Inter Christianos, non est quātum ad fidem Iudæus, aut Græcus, sed omnes vnum sumus in Christo, ita inter Carmelitas Excalceatos, non est quantum ad scholasticam doctrinam Gallus, aut Hispanus, sed omnes in S. Thoma vnum sumus: vnde si ab eius doctrina vel leuiter recedere contigerit, admoneri non solum libenter ferā, sed etiā gaudebo, vt statim quod iudicabitur sententiæ D. Thomę repugnans eradatur; turpiori enim macula non credo posse præsens opus fœdari, quam opinione aliqua mēti tanti Doctoris contraria.

Quod si quæras cur quęstiones de Deo attributisque eius Metaphysicis quæstionibus inseruerim. Respondeo id fecisse primo, quia quæstiones illæ non excedunt limites Metaphysicæ, & propterea apud nos in scholis Philosophię doceri permittuntur. Secundo, quia cum cursus Complutensis & Salmanticensis mutuum sibi inuicem præstent auxilium, & in Salmanticensi, nihil actum sit de prædictis quæstionibus, iudicaui illas esse in hoc opere tractandas, vt per illud, quæ in vtroque cursu ex Metaphysicis quæstionibus desunt suppleantur. Tertio, quia non erit forsan ingrata lectio illarum quæstionum ijs, qui soli Philosophiæ studio incumbunt, ad propositum accedamus.

DISPVTATIO PRIMA PROOEMIALIS Metaphysicæ.

ANtequam de natura obiecti Metaphysicæ proprietatibusque ipsius disputationes aggrediamur, præmittendæ cum sint duæ procemiales, quarum altera in explicanda quidditate & nobilitate ipsius Metaphysices, altera vero in dilucidatione quorumdam generalium & communium principiorum seu axiomatum versabitur, priori manum apponamus.

QVÆSTIO PRIMA.

DE NOMINE ET EXISTENTIA METAPHYSICÆ.

§. I. Satisfit primæ parti quæstionis.

QVIA nomina sunt rebus imposita vt earum rationes significent, ideo quæstio quid nominis quascunque alias quæstiones præuenire debet, ne scilicet in vanum quæramus ignorando prorsus quid per nomina quærimus: A quæstione ergo quid nominis exordium suum sumit nostra Metaphysica, vt cognita significatione nominis ipsius, de existentia naturaque rei significatæ per tale nomen postea inquiramus.

1. Ergo per istud nomen Metaphysica nihil aliud intelligitur, quam aliqua scientia, quæ versatur circa aliquod obiectum transcendens Physicalia, seu ea quæ tractantur in Physica; & propterea dicitur Metaphysica, quia scilicet consideratio eius progreditur μετὰ τὰ φυσικὰ, vltra res naturales, quæ Philosophiæ *naturalis* considerationi subiiciuntur; Metaph. enim de rebus materiæ immersis vt sic non agit, sed potius de rebus separatis à materia, vel secundum esse, vt sunt Deus & Angeli: vel secundum rationem, vt sunt rationes illæ, quæ sunt gradu corporis superiores, quæ licet secundum

esse quod habent à parte rei, possint esse materiales, ex vi tamen præcise suorum conceptuum materialitatem non dicunt, sed ab ea præscindunt, & abstrahunt; & propterea etiam non minus in rebus immaterialibus, quam corporeis possunt reperiri, sicut sunt, verbi gratia gradus substantiæ & entis, quos certum est in rebus à materia separatis reperiri; quod tamen fieri non posset, si à materia secundum se dependerent, vt optime hic dicit D. Thom. in proœmio.

2. Ex hac autem dignitate, quæ Metaphys. cæteris scientiis naturalibus præeminet, processit, quod pluribus aliis & quidem egregiis nominibus fuerit insignita in quantum enim cæteras scientias naturales superat, quasi per Antonomasiam Philosophia nominatur 4. libro Metaphys. tex. 5. textu vero 4. & 6. prima Philosophia; item sapientia 1. Metaph. cap. 2. quia scilicet sapientis est dirigere (vt hic annotat D. Th. in proœmio:) vnde cum ex eodem S. Doct. ibidem Metaphysica cæteras scientias dirigat, non immerito sapientiæ nomen ei tribuitur, sicut & Dominæ Reginæque aliarum scientiarum, quo titulo decorauit eam Arist. 6. Met. ca. 1. & l. 11. cap. 6.

3. In quantum vero consideratio Metaph. ad res sublimissimas & altissimas se extendit, 1. Metaphysica vocatur, quia scilicet abiectis adeo rebus, sicut sunt res corporales & materiæ immersæ, non occupatur, sed sublimioribus & eas longe excedentibus. 2. Sapientia nuncupatur, quia causas altissimas, ipsumque Deum quantum naturali lumine attingibilis est, contemplatur; & propterea etiam Theologia naturalis passim ab Aristotele nominatur vt 6. Metaph. cap. 1. & l. 11. cap. 6. & D. Th. plerisque in locis, maxime 1. p. qu. 1. art. 1. ad 1. 3. contra Gentes cap. 25. & op. 70. qu. 5. art. 1. Et hæc de prima parte huius quæstionis.

---

§ II.

Satisfit secundæ parti quæst. & ostenditur Metaphysica possibilitas.

4. Quod autem attinet ad secundam partem, resolutio facilis videtur, supposita intelligentia nominis Metaph. & significationis ipsius quam satis abunde declarauimus in prima parte huius quæst. nullus enim est qui non videat huius scientiæ & necessitatem & possibilitatem quam Philosophi omnes vnanimiter asserunt, quæ potest vlterius ratione probari. Sed antequam prima ratio proponatur, ad intelligentiam eius supponendum est ex Aristotele hic 1. Metaphys. cap. 1. & ex D. Tho. in prologo, quod omnes homines naturaliter scire desiderant; quod quidem Axioma tribus rationibus D. Tho. hic lect. 1. demonstrat, quarum 1. est hæc.

Vnaquæque res appetit suam perfectionem naturaliter, ad quam est in potentia, & propterea materia dicitur appetere formam, quia à forma perficitur, sicut potentia ab actu suo proprio; sed intellectus, seu ratio intellectualis, per quam homo constituitur in esse hominis, est in potentia omnia, nec in eorum actum reducitur, nisi per scientiam, quia nihil est eorum quæ sunt ante intelligere, vt dicit Arist. in 3. de anima lect. 9. apud S. Th. ergo naturaliter vnusquisque desiderat scientiam.

Et si contra hanc rationem obiicias

potest fieri aliud in esse intelligibili sine scientia, siue cognitione scientifica; quia non requiritur quæcunque cognoscuntur ab homine, ab eo cognosci per scientiam: aliqua enim sunt (sicut sunt prima principia, quæ non sunt scibilia, sed potius immediate cognoscibilia: Ergo vt in ea transformetur intellectus, scientia non erit necessaria.

5. Respondeo ad vim & efficaciam rationis D. Thomæ sufficere, quod pleraque non possint cognosci nisi per scientiam, quia ex suppositione quod homo habeat potentiam ad hoc vt possit fieri illa in esse intelligibili, inclinabitur consequenter in scientiam, per quam debet intelligibiliter in ea transformari; vltra quod posset dici adhuc, via originis & acquisitionis nostrum intellectum non peruenire ad cognitionem plerorumque principiorum nisi à posteriori & per effectus; & consequenter ad eorum cognitionem, scientiam requisitam esse. Immo omnia principia, quantuncunque sint immediata, possunt per effectus & à posteriori demonstrari; ergo cum noster intellectus inclinetur ad ea etiam sic cognoscenda, inclinabitur consequenter & in scientiam, per quam debet hoc modo illa cognoscere, & sic ad quæcunque cognoscenda homo naturali feretur pondere, feretur ad ea cognoscenda per scientiam.

6. Secunda ratio est. quælibet res naturaliter inclinatur in suam propriam operationem, sicut calidum ad calefacere, &c. Sed intellectio seu cognitio scientifica, est propria operatio hominis, quia illa est per quam homo distinguitur & differt ab aliis quæ secum in genere conueniunt: ergo naturaliter homo inclinatur ad sciendum & intelligendum.

3. Ratio est, quælibet res desiderat suo principio vniri, quia ex vi talis vnionis suam perfectionem acquirit: cum enim quicquid habet perfectionis effectus, habeat illud dependenter à suo principio, & per influxum ipsius, & quanto magis effectus approximatur suæ causæ, tanto magis, fit susceptiuus influxus ipsius, propterea effectus, perfecte vnitus principio suo, perfectionem suam omniuo acquirit: sed homo non potest vniri principio suo (videlicet substantiis separatis quæ sunt principia intellectus humani, & ad quæ se habet intellectus humanus sicut imperfectum ad perfectum,) nisi per scientiam & cognitionem: ergo homo naturaliter inclinatur in scientiam & cognitionem.

7. Quod si quæras quid D. Tho. intelligat per hoc, quod substantiæ separatæ sint principia intellectus nostri, cum certum sit eas non esse principia effectiua ipsius, quippe qui per creationem productus est.

Posset 1. respond. quod Angeli sunt principia nostri intellectus, non quidem in genere causæ efficientis. sed in genere causæ exemplaris; & hoc solum videtur intendere D. Tho. dicit enim quod noster intellectus ad eos inclinatur sicut imperfectum ad perfectum: cum ergo imperfectum inclinetur ad perfectum eiusdem generis tanquam ad principium in genere causæ exemplaris, apertè sequitur solum à D. Tho. intendi, quod noster intellectus inclinetur ad substantias separatas, tanquam ad principium suum in genere causæ exemplaris.

Resp. 2. Cum Flandria hic quæst. 1. art. 1. in cap. quod aliqua res dicitur esse substantia separata dupliciter vno modo quia non est de ratione eius quod sit in materia, licet hoc ei

non repugnet, & sic ens, verũ, vnum, & alia transcendentia possunt dici substantiæ separatæ, & tales substantiæ sunt principia mouentia intellectum, non quidem illum effectiuè producendo, sed obiectiuè mouendo, eo modo quo obiectum mouet potentiam: alio modo aliqua substantia dicitur separata, quia de ratione eius est quod non sit materia, & quod ei repugnet in ea inueniri; & talis substantia est duplex, alia increata, & hęc est Deus, qui solus est principiũ effectiuum animæ, & intellectus per creationem; alia est creata, & hæc sunt Angeli, qui sunt intellectus humani principia *illuminando, dirigendo, & fortificando ipsum*, vt probat D. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 1. Cum ergo S. D. possit intelligi de qualibet ex illis substantijs separatis, patet, quid intendat, quando dicit eas esse principium nostri intellectus.

8. Hoc posito probatur possibilitas nostræ Metaph. quod est appetibile appetitu naturali ab homine, illud est possibile: sed Metaphysica est appetibilis appetitu naturali ab homine: ergo. Maior est certa, quia natura non inclinat appetitum in aliquid impossibile, alioquin talis inclinatio esset frustranea: ergo cum illud quod est appetibile appetitu naturali, sit appetibile ex inclinatione, quam natura tribuit appetitui in ordine ad talem rem, necessarium est illud quod est naturaliter appetibile, esse etiam possibile. Minor probatur, quia appetitus naturalis inclinatur naturaliter in omnes scientias, vt ostensum est: Ergo in Metaphysicam maxime, tanquam in perfectissimam omnium scientiarum, vt pote quæ versatur circa vniuersalius obiectum, circa magis intelligibilia, magisque abstracta à materia, & tandem circa causas altiores, ita vt ipsum etiam Deum consideret.

Secundò probatur eadem minor sic. illud per quod acquiritur beatitudo naturalis hominis, est naturaliter appetibile; quia sicut naturaliter appetibilis est naturalis beatitudo; ita & appetibilia debent esse naturaliter media necessaria ad talis beatitudinis consecutionem: sed Metaphysica est medium necessarium ad hoc vt homo beatitudinem suam naturalem connaturaliter acquirat: & probatur, quia beatitudo naturalis hominis, est cognitio scientifica Dei per creaturas acquisita: atqui talis cognitio maxime per Metaphysicam acquiritur, & propterea Metaphysicæ munus est proprium per effectus demonstrare Deum, attributaque eius naturalia, & ob hanc rationem Theologia naturalis nuncupatur: Ergo.

9. Prob. 2. Conclus. illa scientia quæ versatur circa ens in communi, est possibilis: atqui Metaphys. versatur circa ens in communi (vt ostendetur seq. qu.) ergo. Mai. probatur, quia quotiescumque aliquod obiectum est scibile per se, tunc debet dari scientia potens versari circa tale obiectum: sed ens in communi sumptum est scibile per se, quia passiones habet de se demonstrabiles, vnum, scilicet, verum, &c. ergo. Confir. ratione petita ex D. Thoma hic in proœmio. cognitio de ente in communi est omnino necessaria ad perfectam & completam cognitionem obiectorum aliarum scientiarum, quia cum conceptus entis sit de ratione cuiuscumque rei, non poterunt obiecta aliarum scientiarum complete cognosci, nisi & ratio entis in eis inclusa cognoscatur: ergo cum non possit tradi cognitio de ente in communi in aliqua scientia parti-

culari, tum quia earum obiecta non abstrahunt ita perfecte à materia sicut ens, tum quia non esset maior ratio, cur in vna potius quam in altera scientia de eo tractaretur, cum ad obiecta omnium scientiarum pertineat; debet necessario dari aliqua scientia generalis, quæ circa ens per se versetur, & consequenter possibilis est Metaph. cuius est tale munus.

10. Tertio probatur principaliter alia ratione petita ex eodem D. Tho. hic; illa scientia quæ alias dirigit, est possibilis; talis est Metaph. ergo. Maior probatur: quotiescumq; plura ad vnum ordinantur, tunc debet dari necessario inter illa aliquod vnum dirigens, ex Arist. in polit l. 1. lect. 3. apud D. Th. plura enim vt plura vnum tantum finem respicere non possunt, quia quodlibet suum proprium finem respicit, & conseq. plura plures fines respicient: ergo vt aliqua plura in vnum finem conueniant, hoc debet fieri ex directione vnius; sed omnes scientiæ ordinantur ad perficiendum hominem, & ad beatitudinem eius complendam: ergo debet esse inter eas aliqua, quæ alias ad istum finem dirigat, sed directrix illa scientia, est Metaph. & probatur. quia illius est dirigere; cuius est versari circa vniuersalissima, & circa maxime intelligibilia, quia vt ait Arist. in polit. l. 1. lect. 1 & 3. apud D. Thom. *homines intellectu vigentes & ratione, naturaliter sunt aliorum rectores & gubernatores: robusti vero corpore naturaliter serui*; ergo cum Metaphys. versetur circa vniuersalissima & maxime abstracta à materia, tum secundùm esse, tum secundùm rationem, illius erit alias scientias dirigere & moderari in ordine ad perfectionem hominis.

§. VLTIMVS.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

11. Obiic. primò, si quæ esset ratio, quare daretur, aut possibilis esset Metaph. maxime propter primam rationem allatam, quæ in hoc axiomate fundatur, quod *homo naturaliter scire desiderat*; sed istud axioma videtur falsum: ergo.

Probatur min. si daretur in nobis appetitus naturalis ad scientias, non deberet dari virtus applicans volũtatem ad prosecutionem sciẽtiarum, atqui datur virtus studiositatis in voluntate ad hoc deputata, quia secundùm D. Th. 2. 2. q. 106. art. 1. & 2. *sicut fortitudo circa pericula mortis per se tendit, & temperantia circa delectationem tactus, ita studiositas circa cognitionem*; ergo.

Sequela mai. prob. quia illud ad quod aliquid est à natura determinatum, non indiget habitu vt ad illud determinetur; ergo si homo naturaliter est determinatus ad prosecutionẽ cognitionis & scientię, non requiritur vlla virtus aut vllus habitus in eo, vt ad eum determinetur.

Resp. non dari virtutem studiositatis ad inclinandam simpliciter voluntatem in cognitionem, sed ad reprimendum appetitum nimis immoderatum cognitionis & scientiæ, vel etiam ad incitandam hominis voluntatem ad studium, si forte ab appetitu & desiderio scientiæ retardetur per passionem, vel alias difficultates, quæ solent in prosecutione scientiarum interuenire.

12. Sed dices appetitum naturalem, nimium & immoderatum esse non posse, cum directionem & impulsum Dei sequatur; ergo si datur

appetitus naturalis circa scientias, immoderatus esse non poterit.

Resp. quod virtus studiositatis datur ad reprimendum appetitum elicitum voluntatis, qui quidem non cognitionem Dei & eius directionem, sed cognitionem hominis sequitur, & qui ex consequente excedere potest.

Secundò potest responderi, quod appetitus scientiæ, qui sequeretur ad naturam depuratam ab omni prorsus infectione peccati originalis, non esset immoderatus aut deordinatus: sed ille qui sequitur ex natura, originali peccato infecta, vitium & deordinationem quamdam contrahit, & propterea non mirum quod ad illam deordinationem corrigendam virtus studiositatis requiratur, quia appetitus ille iam vitiatus est, & non in sua puritate naturali.

13. Obiic. secundò, si homo haberet inclinationem in cognitionem, non indigeret speciebus, per quas ad eam determinaretur; ergo.

Resp. Quod species determinant illum ex parte obiecti; at præter illam determinationem, alia ex parte potentiæ exigitur, quæ fit per habitum scientiæ.

Ob. tertiò. non datur inclinatio & appetitus naturalis ad scientiam, si possit actus odij respectu scientię elici; atqui patet experientia multos horrere, & odio habere scientias; ergo non datur in homine appetitus naturaliter ad eas.

14 Resp. quod voluntas est solum determinata ad desiderium scientiæ quod ad specificationem, quando proponitur scientia sub ratione boni; sed quando proponitur scientia sub ratione mali, sicut fit quando proponitur eius consecutio, vt nimium difficilis, aut tanquam impeditiua melioris alicuius boni vel in re, vel in apprehensione, tunc desiderium scientiæ, non est necessarium quod ad specificationem; quod tamen non tollit, quin desiderium scientiæ non sit absolutè necessarium & naturale in homine. sicut enim homo absolute inclinatur in conseruationem cuiuslibet ex membris corporis sui inclinatione naturali, licet aliquando desideret destructionem aliquorum ex eis, quando scilicet illa sunt toti corpori nociua, aut maioris boni impeditiua; ita similiter absolute homo inclinatur naturaliter in desiderium scientiæ, quamuis per accidens (quando scilicet proponitur scientia, vt nociua vel impeditiua melioris boni) ab eius amplexu, & prosecutione recedat, & hoc est quod intendit D. Tho. quando 1. 2. q. 10. art. 1. dicit appetitum vitæ, scientiæ, integritatis corporis, & similium esse solum necessarium & naturalem, vt frequenter, non vt semper; ex eo quod scilicet possunt prædicta aliquando proponi, non sub ratione boni, sed potius sub ratione nociui, & impeditiui maioris boni (vt diximus) & consequenter non erunt semper quoad specificationem necessitantia. Nota tamen ex Diuo Th. hic lect. 1. & 1. contra Gentes c. 4. quod penitus ab humana natura degenerat, qui scire & intelligere non affectat, vt liberius voluptatibus indulgeat.

Obiic. 4. ideo datur Metaph. vt illa dirigat intellectum, & alias scientias: sed hoc est Logicæ munus, cum eius sit dirigere operationes mentis.

Resp. Quod Logica solum dirigit intellectum circa prædicata rationis, non autem circa prædicata realia, sed hoc ad Metaphysicam perti-

net ex Arist. 4. Metaph. c. 2. & D. Th. Lect. 4. ibidem.

QVÆSTIO II

Vtrum ens vniuersaliter sumptum, sit obiectum Metaphysicæ.

PRæmissis iis, quæ ad an est Metaph. pertinent, descendimus ad quæst. quid est, & quia ex communi omnium Philosophorum consensu, scientiæ suam petunt ab obiectis specificationem, ideo vt in cognitionem quidditatis Metaph. veniamus, de obiecto ipsius inquirimus quidnam scilicet illud sit.

§. I.

Aliqua breuiter supponuntur & variæ circa obiectum Metaphysicæ sententiæ proponuntur.

SVppono primò ad intelligentiam huius quæstionis ea omnia quæ de obiecto scientiæ doctiss. traduntur à PP. nostris Complut. in Logica Disp. 1. procem. q. 2. ad quos, quia in manibus sunt, Lectorem remitto.

15. Supp. 2. quod scientiæ duplex est obiectum: Aliud communissimum (quod alij vocant terminatiuum, seu extensiuum, quia illud est, ad quod se extendit vniuersaliter scientia, siue illud obiectum formaliter & per se consideretur, siue materialiter & ratione alterius. (Aliud specificatiuum, quod ab aliis obiectum adæquationis seu attributionis vocatur: quia illud quod per se scientiæ specificatiuum est, debet esse tale, vt totam scientiæ essentiam ambiat & complectatur; & sic debet esse id, ratione cuius considerantur, quæcumque considerantur à scientia; & propterea etiam attributionis obiectum vocatur, quia si quæ considerantur à scientia, hoc debet attribui ipsi, & eius meritis. Hic obiecto tres conditiones assignantur à D. Th. in prologo supra 1. Sent. a. 4. in corp. 1. est, quod sub illo contineantur omnia quæ tractantur in scientia, debet enim esse quid commune per prædicationem respectu omnium obiectorum inadæquatorum, in recto quidem, respectu eorum quæ per se considerantur per modum obiecti inadæquati, & in obliquo saltem, respectu eorum quæ non per se, sed ratione alterius considerantur. 2. conditio est quod eius cognitio principaliter intendatur in scientia, & quod ratione illius cætera cognoscantur. 3. tandem est, quod scientiam ab aliis distinguat, cum enim tale obiectum sit specificatiuum, & constitutiuum scientiæ, & idem sit constitutiuum & distinctiuum, debet consequenter scientiam, quam specificat, ab aliis distinguere.

16. His positis circa obiectum Metaph. septem adducit sententias Suarex disp. 1. suæ Metaph. sect. 1. inter quas tres sunt celebriores, & quæ magis controuertuntur. 1. tenet ens, pro vt abrahit ab ente reali & rationis esse obiectum Metaph. hanc Arauius tribuit Aquario dilucidatione 1. suæ Metaph. Curiel Decano Salmant. in suo posthumo libro de Auxiliis, disp. 3. pag. 59.

2. Sent. tenet quod solum ens reale creatum abstrahens à decem prædicamentis est obiectum directum Metaph. & quod Deus non consideratur ab ea, nisi per modum principij obiecti sui directi & adæquati. ità Fland. hic quæst. 1. a. 8. quod etiam

probabile reputat, Arau. q 1. proœmij, art. 1. concl. 1.

3. Sent. & vera est quod obiectum Metaph. est ens reale pro vt abstrahit à creato & increato: & hanc communiter sequuntur recentiores, tam in Schola D. Tho. quam extra eam. Ita sentiunt Soncinas, lib. 4. Met. q. 10. qui pluribus ostendit eam esse de mente D. Thom. & Arist. Iauellus, Fonseca, lib. 4. Met. cap. 1. q. 1. Suarez disput. 1. suæ Metaphys. sect. 1. §. vltimo.

---

§. II.

Declaratur quomodo sit de mente D. Th. & Arist. quod ens vt abstrahit a creato & increato est obiectum Metaph.

27. PRobatur 1. ex Arist. 4. Metaphysicæ statim in initio. *est scientia quædam* (inquit) *quæ speculatur ens, vt ens, & quæ ei per se insunt*, & statim subdit, quod illa scientia est Metaph. & rursus eodem lib. 4. lect. 4. apud D. Th. paulo ante finem, *manifestum itaque ex his etiam est, quod vnius scientiæ est ens, pro vt est ens speculari*. Et D. Tho. commentans primum locum, lect. 1. hæc habet: *dicit primo, quod est quædam scientia quæ speculatur ens secundum quod ens*, quod passim repetit per totam illam lectionem: & in Commentario secundi loci, lect. 4. *colligit* (inquit) *quæ sunt supra ostensa dicens manifestum esse quod ad vnam scientiam pertinet considerare ens secundum quod est ens, & ea quæ per se illi insunt*. Et paulo superius: *contraria vero reducuntur ad vnum & multitudinem, quia vnum & multitudo sunt vnius scientiæ, scilicet Philosophiæ*; ergo & eius est considerare ens, secundum quod est ens. & paulo superius dicit cum Philosopho, quod *Met. se extendit ad omnia, de quibus ens naturæ prædicatur*, quod idem repetit sub finem eiusdem lect. 4. Ex his potest elici efficax Argum. ex Philosopho & D. Th. ens naturæ, seu lumine naturali cognoscibile, vt est ens, est obiectum Metaphys. sed ens naturale seu lumine naturali cognoscibile, abstrahit ab ente creato & increato; ergo non solum ens creatum, vt sic, sed ens à creato & increato abstrahens, erit obiectum Metaphys. quia si solum ens creatum esset illius obiectum, Metaphys. non consideraret ens, vt ens est (vt dicunt Arist. & D. Th.) sed ens huiusmodi, cum limitatione scilicet & restrictione.

18 Quod si dicas locum penultimum esse omnino contra nos, quia ibi Arist. dicit illud ens, quod considerat Metaph. esse ex contrariis, quod certum est Deo competere non posse. Respond. Aristot. dicere hoc, non ex mente propria, sed ex mente aliorum Philosophorum: ita soluit Diuus Thom. qui vt ostendat ens quod est obiectum Metaphys. adæquatum, non esse solum ens, quod est ex contrariis, & quod Arist. nunquam fuit in ista opinione, post positionem textus Aristot. ex professo instantiam facit de ente immobili contra textum ipsum, quam quidem soluit dicens (sicut iam supra retulimus) quod Aristot. non est locutus secundum mentem propriam; adeo verum est D. Thom. cum Aristot. sentire quod Deus est intra obiectum Met. si enim D. Th. sentiret contrarium, ad quid sibi faceret talem instantiam? & quod magis est, quomodo illam admitteret vel potius quomodo non negaret illud in quo tanta vis ipsius consistit, quod

quod scilicet ens immobile est intra obiectum Metaph. certe si quę sit auctoritas, quæ possit confirmare conclusionem nostram esse de mente D. Tho. & Aristot. ista est, quod probatur adhuc aliis præclarissimis locis, nam libro illo 4. lect. 1. apud D. Tho. Aristoteles omnes substantias sub obiecto Metaphys. comprehendit, secundùm quod habent rationem substantiæ & entis, & propterea etiam libro 12. per multa cap. agit de Deo, & plerisque eius proprietatibus, vt de æternitate eius, vnitate, immensitate, &c.

Et si dicas quod agit de Deo solum, secundum quod est principium obiecti Metaph. non autem vt est obiectum ipsius.

19. Contra, quia libr. 4. Metaph. lect. 5. litt. E. S. Th. dicit cum Philosopho, Deum pertinere ad Metaph. sub aliqua consideratione sub qua non pertinet ad Physicam; atqui Physica considerat de Deo vt est principium obiecti sui, & propterea 8. Physic. text. Comment. 48. lect. ij. apud S. Tho. agitur de Deo; ergo consideratio de Deo pertinet ad Metaph. sub alia ratione, quam sub ratione principij obiecti Metaphys. accipe Doct. Angelici verba. *Hoc autem ens immobile superius est & nobilius ente mobili de quo considerat naturalis, & quia ad illam scientiam pertinet consideratio entis communis, ad quam pertinet consideratio entis primi, ideo ad aliam scientiam, quam ad naturalem pertinet consideratio entis communis, & eius etiam erit considerare huiusmodi principia communia: Physica enim est quædam pars Philosophiæ, sed non prima qua considerat ens commune, & ea quæ sunt entis inquantum huiusmodi.* Deinde Opusculo 70. quæst. 5. artic. 1. dicit præcipuum cognitorum à Metaphys. esse Deum, & propterea Metaph. vocari Theologiam, id est diuinā scientiam, idem docet paulò ante illam quæst. in expositione aliquorum verborum Boëtij, ex quibus sumpsit occasionem, quæst. hanc quintam faciendi accipe eius verba. *Deinde ostendit de quibus est diuina scientia, id est Theologia, id est, 3. pars speculatiua, quæ dicitur diuina, vel Metaphys.* &c. & paulò post, *vnde res diuinæ non sunt consideratione separabiles à materia, sed secundum esse abstractæ, res vero Mathematicæ è conuerso, & hoc probat per Dei substantiam, de qua diuina scientia seu Metaphys. (vt ante dixit) principaliter considerat, vnde & nominatur inde.* & articul. 4. eiusdem quæst. 3. dicit eadem ratione agi in Metaphys. de causa 1. & de Angelis, at nullus dubitat quod in Metaphys. non agatur de Angelis, tanquam de obiecto ipsius: ergo agitur etiam de Deo, tanquam de eius obiecto, & quidem magis præcipuo, vt statim ex Diuo Th. relatum est, vide eumdem S. Doctor. cum Philosopho 11. Metaph. lect. 7. paulò ante finem, & 3. Metaphys. lect. 4.

20. Sed dices iterum Deum non posse pertinere ad obiectum Metaphys. quamuis Angeli ad illud pertineant, quia obiectum Metaphy. abstrahit ab omni materia solum, non autem à potentialitate, sed potius eam includit. vt etiam insinuant Complutens. nostri in Logica disput. 19. q. 4. §. 4. resp. 1. ad 5. ergo Angeli, qui abstrahunt ab omni materia solum & non à potentialitate, cadent sub abstractione Metaphys. non autem Deus, qui est actus purissimus abstrahens ab omni prorsus potentialitate.

B

Respon. ex D. Th. Opusc. illo 70. quæst. 5. art. 1. iamjam citato paulo ante responsionem ad argumenta, quod abstractio conueniens obiecto specificatiuo Metaph. est abstractio ab omni prorsus materia, siue illa abstractio fiat per separationem ab omni potentialitate, sicut accidit in Deo; siue fiat per separationem solum à materia corporali, includentem tamen potentialitatem, sicut accidit in Angelis; siue fiat per solam præcisionem intellectus, præcidentis aliquas rationes à materia, sicut sunt ratio substantiæ & entis, & aliæ huiusmodi. Accipe S. Doct. verba. *Quædam verò sunt speculabilia, quæ non dependent à materia secundùm esse, quia sine materia esse possunt, siue nunquam sint in materia, sicut Deus & Angeli, siue in quibusdam sint in materia & in quibusdam non, vt substantia, qualitas, actus, vnum, & multa & alia huiusmodi de quibus est Theologia, id est, diuina scientia, quia præcipuum cognitorum in ea est Deus.* Caue ab errore impressionis Parisiensis, anno 1634. factæ, in qua loco huius vocabuli, præcipuum, est principium.

Vnde ad illud quod obiicitur ex PP. N. Complutens. Resp. 1. eos non sistere in 1. illa solutione, vt videre est apud ipsos, sed in secundam magis inclinare.

21. Resp. 2. ab eis non asseri Metaphys. abstrahere solum à materia, & non potentialitate, sed solum dicunt Metaphys. oiectum non esse ita purum, vt à se excludat omnem prorsus potentialitatem, sicut facit obiectum Theologiæ supernaturalis, quod est Deus, & ita dicunt obiectum Metaphys. excludere solum de necessitate materiam corporalem, admittendo (inquiunt) compositionem ex actu & potentia, quod nos etiam libenter admittimus, quia certum est, quod obiectum specificatiuum Metaphys. non ita abstrahit ab omni materia, vt excludat à se omnem prorsus potentialitatem, sed permissiue se habet ad hoc vt includat talem potentialitatem, vel ad hoc vt ab illa abstrahat, & propterea inter obiecta inadæquata Metaphys. datur aliquod, (Deus scilicet) quod ab omni prorsus potentialitate abstrahit, licet cætera ab ea non abstrahant, sed solum ab omni materia; omnia tamen illa comprehenduntur sub abstractione Metaphys. quia omnia abstrahunt secundum rationem entis ab omni prorsus materia.

22. Et si dicas quod abstractio à materia solum particulari Physicam specificat, sicut abstractio à materia solum sensibili Mathematicam, & consequenter quod abstractio ab omni materia solum, non autem ab omni potentialitate specificabit Metaphysicam.

Respond. neg. conseq. si enim Metaphys. taliter diceret abstractionem ab omni materia, quod non admitteret in illa abstractione abstractionem ab omni potentialitate, sed illam à quocumque suorum obiectorum excluderet, sequeretur quod Aristoteles non diuisisset adæquate scientias reales, quia præter tria genera scientiarum ab illo assignata, & quæ in obiectione tanguntur, deberet dari alia scientia, cuius obiectum abstraheret ab omni prorsus potentialitate; cum certum sit de quolibet scibili naturali debere dari scientiam naturalem; ergo cum Deus

sit per se scibilis naturaliter, & possint multæ fieri de eo demonstrationes, debet dari aliqua scientia naturalis de Deo, vt auctore naturæ, condistincta à Metaphysica, quod hactenus est inauditum. Vide D. Thom. Opusc. 70. quæst. 5. art. 1.

§ III.

Ostenditur rationibus ens vt abstrahit à creato, & increato, esse obiectum Metaphysicæ.

23. Illud de quo passiones & proprietates in Metaphys. demonstrantur, est obiectum Metaphys. sed ens vt abrahit à creato & increato, est id de quo passiones & proprietates demonstrantur in Metaphys. ergo. Maior est certa, quia obiectum est subiectum demonstrationis scientificæ: ergo debet esse id de quo passiones & proprietates in scientia demonstrantur, & propterea etiam obiectum scientiæ vocatur subiectum. Minor autem probatur quia vnum, verum, bonum, aliquid, & aliæ proprietates quæ sub disiunctione enti communi conueniunt, vt ratio contingentis vel necessarij, actus vel potentiæ, & alia huiusmodi, sunt ea quæ demonstrantur de ente per totam Metaphysicam, vt videre est apud Aristotelem, 4. libro Metaphys. & deinceps; ergo cum hæc omnia sint proprietates conuenientes enti, vt ens abstrahit à creato & increato, obiectum Metaphysicæ erit tale ens, & non solum ens creatum vt abstractum à decem prædicamentis.

Dices, hæc omnia tractari in Metaphys. quatenus sunt passiones entis creati, non autem quatenus sunt passiones entis vt sic, à creato & increato abstrahentis.

24. Contra, quia illud cui per prius conueniunt huiusmodi proprietates, debet esse id de quo per prius demonstrantur: sed enti vt sic, per prius conueniunt, quam enti creato: & probatur, quia quotiescumque aliquod prædicatum conuenit tam superiori quam inferiori, & de vtroque directe & per se prædicatur, per prius conuenit superiori quam inferiori, vt patet inductione: & ratio huius rei est, quia quando aliquid plura respicit, oportet quod ordine quodam illa respiciat, & consequenter quod vnum respiciat ratione alterius; at impossibile est, quod illud quod conuenit inferiori vt sic, & ratione gradus inferioris, possit per se & directe conuenire superiori, quia ratio superior ab inferiori præscindit: ergo illud quod per se superiori & inferiori conuenit, non conueniet superiori ratione inferioris, sed è conuerso potius inferiori conuenit ratione superioris, quod euidens est fieri posse, cum superius per se inferiori conueniat, & in essentia eius actu includatur: ergo cum prædictæ passiones entis conueniant per se enti creato, & enti vniuersaliter sumpto, prout abstrahit à creato, & increato, debet de necessitate per prius conueniri entis vniuersaliter sumpto, quam enti creato.

Deinde si prædicatum quod conuenit per se inferiori & superiori, conueniret superiori ratione infe-

rioris; non posset huiusmodi prædicatum reperiri nisi in eo in quo inferius inueniretur: ergo si rationes veri, boni, & vnius, &c. conuenirent enti creato ratione entis creati vt sic, non possent reperiri nisi in eo vbi inuenitur ens creatum, quia prædictum ens esset ratio propter quam conuenirent, & sic cum ens creatum, vt sic, non reperiatur in Deo, nec in ente vniuersaliter sumpto, prout abstrahit à creato & increato, rationes illæ non conuenirent per se Deo, nec enti vniuersaliter sumpto: ergo debent de necessitate conuenire cuilibet enti ratione entis, vt sic.

Confirmatur, quia illæ passiones sunt per se demonstrabiles de ente vniuersaliter sumpto, prout abstrahit à creato & increato: ergo vel debent de eo in Metaphysica demonstrari, vel debet dare alia scientia vniuersalior Metaphysica in qua demonstrentur, quia illud omne quod est per se scibile, & de quo possunt per se fieri aliquæ demonstrationes, sibi vendicat per se aliquam scientiam, à qua per se consideretur.

25. Et si dicas sufficere quod reductiue ad aliquam scientiam pertineat.

Contra, quia eo modo debet aliquid pertinere ad scientiam, quo est scibile; ergo si quid per se scibile sit, etiam si daretur quod ad alias scientias posset reduci, quia posset forsan iuuare ad intelligentiam obiecti aliarum scientiarum, tamen debet semper per se ab aliqua scientia considerari: ergo cum ens reale abstractum à creato & increato sit per se scibile, & per prius conueniant illi hæ passiones & proprietates, debet necessario vendicare sibi aliquam scientiam, à qua per se consideretur, & per quam prædictæ passio[nes] de eo demonstrentur.

Et si dicas quod ex hoc inferretur non solum ens reale, vt abstrahit à creato & increato, sed ens vniuersalissime sumptum, vt abstrahit ab ente reali & rationis esset obiectum Metaph.

26. Respondetur neg. Maiorem, & ratio est primò, quia vniuersales illæ proprietates entis non conueniunt enti rationis, nisi ratione entis realis, à quo intellectus mutuatur eas, vt eas enti rationis tribuat. Secundò quia abstractio Metaphys. non conuenit enti rationis; licet enim abstrahat ab omni materia negatiuè, non tamen positiuè, quod obiecto Metaphys. conuenit. Tertiò, quia ens rationis non cognoscitur, nisi ad hoc vt deseruiat cognitioni entis realis, & consequenter non debet per se considerari à scientia, quæ per se considerat ens reale, sed si ab ea consideretur, hoc non erit ex æquo, sed solum ratione entis realis, & vt deseruiat eius cognitioni.

Probatur secundò nostra conclusio, illud ens ex quo prima principia alicuius scientiæ fiunt, debet esse obiectum per se illius scientiæ: sed principium illud vniuersalissimum Metaphys. quodlibet est vel non est, de quo Aristotel. quarto Metaphys. lectione sexta & sequent. apud Diuum Thomam non solum fit ex ente creato, sed ex ente vniuersaliter sumpto: & propterea non solum enti creato, sed enti vniuersaliter sum-

pro conuenit; ergo, &c.

27 Probatur 3. Si qua esset ratio, quare ens vt abstrahit à creato & increato, non esset obiectum Metaph. maxime quia Deus non continetur per se intra obiectum Metaphys. per modum obiecti inadæquati ipsius; atqui hoc falsum est; ergo. Maior est certa, minor probatur. illud cui conuenit per se & in recto ratio communis Metaphys. specificatiua, debet contineri per se intra obiectum specificatiuum illius; ergo cum ens vt abtrahit ab omni materia sit obiectum per se specificatiuum Metaphys. & ista ratio per se & in recto de Deo prædicetur, quia Deus est ens abstractum ab omni materia, Deus per se continebitur intra obiectum Metaph.

Dices posse per hoc probari similiter, quod Deus est per se intra obiectum Physicæ & Mathematicæ, quia Deus est ens astractum à materia particulari, & à materia sensibili; ens autem abstractum à materia particulari est obiectum Physicæ & ens abstractum à materia sensibili est obiectum Mathemat. ergo.

28. Resp. Ex D. Thom. opuscul. 70. quæst. 5. artic. 1. in corpore quod obiectum Physicæ non est ens quodcumque à materia particulari abstrahens, sed ens sensibile à materia tantum particulari abstrahens, obiectum vero Mathematicæ, ens concretum materia intelligibili, à materia tamen sensibili abstrahens; ex quo euidenter apparet Deum non posse per se contineri intra obiectum Physicæ aut Mathematicæ, cum Deus nec materiam sensibilem, nec intelligibilem includat, sed ab omni prorsus materia absoluat, licet contineatur per se sub obiecto Metaph. quod ab omni prorsus materia abstrahit.

Confirmatur ista vltima ratio, quia vt supra num. 22. dictum est, possunt multa de Deo demonstrari, vt quod sit verus, bonus, quod sit omnipotens, quod sit immensus quod sit iustus, quod sit æternus &c. ergo cum omnia illa sint, non quocumque modo, sed per se de Deo demonstrabilia, debet assignari aliqua scientia, in qua hæc de illo per se demonstrentur.

Dices de eo hæc demonstrari in Metaphysica sicut de principio obiecti Metaphys. non tanquam de obiecto ipsius; & poteris cum Arauio hanc solutionem confirmare exemplo qualitatis, quæ licet habeat passiones de se demonstrabiles, non tamen propterea ad aliquam scientiam pertinet per modum obiecti specificatiui illius, sed ad Physicam solum reducitur.

29. Contra. quia prædictæ proprietates sunt per se demonstrabiles de Deo: ergo Deus debet sibi vendicare aliquam scientiam, ad quam per se pertineat non solum tanquam principium obiecti, sed quanquam obiectum saltem inadæquatum illius, in qua tales proprietates de eo per se demonstrentur.

Ad illud autem quod obiicitur de qualitate sensibili Resp. quod qualitas sensibilis est passio, & proprietas obiecti est passio & proprietas obiecti Physices, quod est ens mobile sensibile, & consequenter non ponit in numero cum ente mobili, sed vna cum eo facit vnum obiectum adæquatum Physices: obiectum enim incomplete consideratum non specificat scientiam, sed complete consideratum & vt vnitur in conclusione cum proprietate quæ de eo demonstratur: & sic passiones

qualitatis sensibilis, sunt etiam passiones entis Physici, imo, potius sunt passiones & proprietates illius entis, quam qualitatis, quia licet qualitati immediatius conueniant, per prius tamen & tanquam primæ radici, enti mobili conueniunt; at proprietates quæ de Deo demonstrantur, Deo conueniunt tanquam primæ radici illarum, & consequenter tanquam alicui quod est primo & per se scibile, & quod primo & per se vendicat sibi aliquam scientiam à qua consideretur.

Dices tales proprietates demonstrari de Deo in Theologia.

Contra, quia demonstrantur solum in Theologia de Deo, vt cadit sub virtuali reuelatione: ergo cum sint naturaliter de Deo demonstrabiles, & sublata quacunque reuelatione supernaturali, debet dari aliqua scientia naturalis in qua per se demonstrentur.

---

§. IV.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

30. OBijcies 1. ex D. Tho. opusc. 70. super Boët. de Trinit. quæst. 5. art. 4. vbi habet ista verba: *Igitur Theologia siue scientia diuina est duplex, vna in qua considerantur res diuinæ non tanquam subiectum scientiæ, sed tanquam principium subiecti, & talis est Theologia, quam Philosophi prosequuntur, quæ alio nomine Metaph. dicitur: alia vero quæ ipsas res diuinas considerat propter se ipsas vt subiectum scientiæ, & hæc est Theologia, quæ Sacra Scriptura dicitur.* Et in procemio Metaph. idem dicit, quod scilicet Deus non consideratur à Metaphys. vt subiectum, sed vt principium subiecti ipsius, quod est ens commune: ex quibus euidenter apparet quod Deus non est intra obiectum per se Metaph. secundum mentem D. Thomæ.

Respond. quod ipsimet aduersarij tenentur eisdem auctoritatibus Sanctissimi Doct. respondere; illud enim quod dicit de Deo, illud idem asserit de Angelis, quod illi scilicet pertinent ad considerationem Metaph. non vt subiectum, sed vt principium subiecti. Legatur SS. Doctor in procemio Metaphys. Dicant ergo quomodo D. Th. sit intelligendus, quando loquitur de Angelis, & solutionem quam assignabunt, eamdem & nos applicabimus quando loquitur de Deo.

13. Resp. ergo cum Soncin. lib. 4. Metaph. quæst. 10. ad 1. Sanctum Doctorem velle solum, quod Deus & Angeli possint considerari duobus modis, primo quidditatiue, & secundum quod sunt in seipsis; secundò vt sunt principia horum inferiorum. Si primo modo considerentur, subiectum Metaph. esse non possunt, quia à nobis quidditatiue, & secundum quod sunt in se ipsis cognosci naturaliter non possunt. At si secundo modo considerentur, iam sub ista ratione poterunt esse subiectum Metaphys. vult ergo solum D. Tho. quod ex parte modi nostri cognoscendi, Metaphys. solum consideret Deum & Angelos per modum principij effectuum sensibilium, non quod totum, quod cognoscimus de illis, sit solum, quod sint principia illorum effectuum, sed quia quodcumque prædicatum quod cognoscimus eis conuenire, cognoscimus per ef-

fectus eorum, tanquam per media & specula quædam, per quæ in eorum cognitionem ascendimus, & iste videtur esse legitimus & germanus omnino D. Thomæ sensus. Ex ista solutione poteris euidenter colligere de quo subiecto D. Th. sit intelligendus, quando dicit Deum & Angelos esse principia subiecti Metaph. satis enim apparet intelligendum esse de principiis subiecti inadæquati Metaphys. non autem de principiis subiecti adæquati ipsius.

Obiicies secundò. Illud est subiectum scientiæ, cuius principia & causæ quæruntur in tali scientia: at non possunt quæri in Metaph. principia & causæ entis, prout abstrahit à creato & increato, quia tale ens non habet principia & causas, alioquin Deus, qui est sub tali ente, deberet habere principia & causas sui ipsius: ergo.

32. Resp. Ad hoc vt aliquid possit esse obiectum alicuius scientiæ non esse necessarium absolutè, quod illud propriè dictas causas suis ipsius habeat, alioquin Deus non posset esse obiectum Theologiæ. Quando ergo dicitur, quod scientia considerat causas sui obiecti, primo non debet sic intelligi ista propositio, quod principia obiecti demonstratiue inquirantur à scientia, cum ex Aristot. l. 1. poster. lect. 2. apud D. Thom. à scientia supponantur: secundo dico quod per illas causas intelliguntur rationes formales intrinsecè obiecti constitutiuæ.

Tertio dico quod per illas causas obiecti, possunt intelligi causæ obiecti non incomplexè, sed complexè considerati: quatenus scilicet obiectum est id de quo in conclusione aliquæ proprietates demonstrantur: tales autem causæ nihil aliud sunt, quam propria subiecti definitio, & quidditas, quæ medij rationem habet in præmissis, ex quo in conclusione vnio proprietatis cum subiecto infertur: cum ergo tam Deus, quam ens abstractum à creato & increato rationes formales habeant propriarum quidditatum constitutiuas, ex quibus potest vnio, quam habent cum sui proprietatibus, deduci, non poterit ex defectu huius conditionis Deo, aut enti, abstracto à creato & increato ratio obiecti Metaphys. denegari. vide Soncinat lib. 4. Metaph. quæst. 8.

Obiicies tertiò. habitus intellectus non potest æque se exendere ac se extendit intellectus: at si Metaph. haberet pro obiecto suo specificatiuo ens commune creato & increato, Metaphysica æque se extenderet ac intellectus: ergo. Maior est certa, quia habitus comparatur ad potentiam, veluti causa particularis ad vniuersalem, quia sicut causæ particulares determinant vniuersalem ad aliquem effectum particularem: ita & habitus potentiam ad aliquod obiectum particulare, contentum sub obiecto vniuersali potentiæ specificatiuo. Min. autem est euidens, quia intellectus non potest in plus se extendere, quam in ens abstractum à creato & increato, cum ens sic consideratum complectatur & ambiat omnia entia.

33. Resp. conc. mai. & neg. min. Ad prob. autem eius respondeo quod licet ens commune creato & increato, consideratum sub quacumque abstractione, omnia entia quæ sunt obiectum intellectus complectatur, non tamen si consideretur ens illud commune, vt est sub tali & determi-

nata abstractione: vnde cum ens reale commune creato & increato, sit solum obiectum Metaphys. vt est sub abstractione ab omni materia, non autem si consideretur sub quacunque abstractione, & vt descendit ad omnia entia sub quacunque consideratione, sicut facit obiectum specificum intellect. vt quæstione sequenti dicetur; non potest dici quod Metaphys æque se extendat ac intellectus. Deinde saltem in sentent. aliorum qui dicunt quod ens abstractum ab ente reali & rationis, est obiectum intellectus, dubitari non potest, quod obiectum Metaphys. non sit magis coarctatum & limitatum, quam obiectum intellectus, cum ens rationis non sit sub obiecto specifico Metaphys. sed solum ens reale, vt ex Aristot. ostendit D. Thom. 4. Metaphys. lect. 4. & 7. Metaph. lect. 1. sed quia de veritate huius sententiæ potest non immerito dubitari, ideo primæ solutioni standum est.

Ob. 4. Deus non potest quidditatiue cognosci à Metaphys. ergo Deus non erit intra obiectum Metaph.

34. Resp. Si quid probat argumentum, probare etiam Angelos non contineri intra obiectum Metaphys. quia non possumus per eam Angelos quidditatiue cognoscere.

Respond. ergo argumentum solum probare, quod Deus non est intra obiectum Metaphys. vt est quidditatiue & immediate cognoscibilis, non autem quod absolute non sit intra obiectum ipsius, quia licet Deus non sit immediate à Metaphys. cognoscibilis, & secundum illum modum essendi quem habet in se ipso, cognoscibilis tamen est ab ea secundum plura eius attributa & proprietates per effectus, seu mediate, & quod ad quæst. an est: quod sufficit, vt possit esse per se intra obiectum Metaphys. & vt possimus post quam existentiæ eius cognitionem consecuti sumus, plura de eo à priori demonstrare: quod accidit nobis non solum in comparatione ad Deum, sed etiam in comparatione ad alia pleraque, ad quorum cognitionem per effectus prius ascendimus, quam de eis aliquid à priori demonstremus.

Obij. quintò ex Arist. 4. Met. lect. 1. apud S. Thomam. *Sicut de omnibus sanatiuis considerat vna scientia per ordinem ad sanitatem formalem, quæ est in animali: ita & Metaphys. consideratio est de omnibus entibus per respectum ad vnum principium, quod quidem primum, non est finis, nec efficiens sed subiectum aliorum entium*: ergo ex Aristot. ens quatenus analogum analogia attributionis, per modum subiecti ad omnia entia, erit obiectum Metaph.

35. Resp. 1. Si quid probat argumentum, probare quod sola substantia creata est obiectum Metaphys. quia illa so'a est quæ habet rationem subiecti accidentium, & sic nec Deus nec accidentia erunt intrinsece intra obiectum Metaphys. sed solum substantia creata, quia in analogia attributionis, ratio analoga est solum intrinsece in principali analogato, in cæteris vero intrinsecè, vt ostendunt PP. N. Complut. in Logica disp. 19. quæst. 3. & 4.

Imò ex hoc argumento nequidem Deus extrinsece pertineret ad considerationem Metaph. quia Deus non potest habere habitudinem ad substantiam creatam tanquam ad subiectum suum; ergo cum ea quæ analogantur

loguntur analogia attributionis cum aliquo tanquam cum principali analogato, debeant dicere habitudinem ad illud, & ab eo dependere secundum illam rationem, secundum quam analogantur cum ipsa, Deus non poterit analogari analogia attributionis cum substantia creata, secundum quod participat intrinsecè rationem obiecti Metaphysices, quæ est ratio subiecti cæterorum entium: & sic, cum ea quæ considerantur ab aliqua scientia, etiam reductiuè & extrinsecè debeant adminus esse vnum quid secundum analogiam attributionis cum aliis obiectis Deus non pertinebit nec per se, nec reductiuè ad considerationem Metaph.

Ex iis igitur patet, quod Arist. & D. Thom. loquuntur ibi, non de ente, pro vt est obiectum adæquatum Metaph. sed de ente pro vt est obiectum inadæquatum ipsius, de ente scilicet creato comparato ad partes subiectiuas ipsius, eadem enim lect. & sequenti vsque ad 6. eiusdem lib. continui sunt in asserendo quod ens vt ens est, est obiectum Metaph. Imo dico magis; quod licet omnia entia creata pertineant ad obiectum Metaph. secundum quod analogantur analogia attributionis in ratione prædicta, non tamen considerantur solum ab ea vt analogantur tali analogia (alioquin accidentia non pertinerent intrinsecè ad obiectum Metaph. vt ostensum est) sed debent vlterius considerari ab ea vt analogantur absolutè in ratione entis analogia proportionalitatis.

36. Ob. 6. Quod Arist. diuidit ens quod est obiectum Metaph. in 10. prædicam. vt patet ex sexto, 7. & 8. lib. & in actum & potentiam, vt pater ex 9. ergo cum Deus non habeat rationem actus & potentiæ, nec ponatur in prædicamento, non erit intra obiectum Metaph.

Resp. primo quod Arist. non diuidit obiectum Metaph. adæquatè in omnes partes illius subiectiuas, sed solum inadæquatè in aliquas.

Resp. 2. Quod Arist. diuidit solũ in 10. prædicam. ens quod est obiectũ inadæquatũ Met. ens scil. creatũ non autem ens, quod est obiectum adæquatum ipsius. potest & hęc solutio secundæ auctoritati Arist. adhuc applicari, cui potest & secundo responderi, quod ista auctoritas magis nobis quam aduersariis fauet; quando enim Arist. diuidit ens in actum & potentiam, per actum illum intelligit ens, cui competit per se essentialiter & necessario esse in actu, & esse actum propriũ quod soli Deo cõpetit, de quo propterea 12. Metaph. agit, & per potentiam intelligit ens, cui conuenit solum potẽtialiter esse, quod entis creati proprium est, de quo seq. li. vsque ad 12. tract.

Et si dicas alibi ab Arist. asseri, principia entis, quod est obiectum Metaph. esse actum & potentiam, & consequenter ex mente ipsius Deum non contineri intra obiectum Metaphycæ.

Resp. Arist. esse intelligendum de ente, quod est obiectum inadæquatũ, Metaph. non autem de ente quod est subiectum adæquatum ipsius; vel 2. Resp. Arist. esse intelligendum sub disiunctione non copulatiuè, scilicet ens, cui competit obiectum Met. habet pro principiis intrinsecè constitutiuis, vel actum vel potentiã, non quod semper vtrumque debeat, simul, cuilibet ex obiectis Metaph. conuenire, licet verum sit quod ali-

quando vtrumque vni & eidem enti Metaphysicali conueniat.

37. Obij. 7. Metaph. est perfectissima omnium sciëtiarum naturalium, ergo debet illi assignari pro obiecto, obiectum perfectissimum; at ens sic vniuersaliter sumptum est quid imperfectissimum & valde potentiale: ergo.

Resp. primo licet illud quod est vniuersalius sit imperfectius in ordine entis, tamen in ratione obiecti est quid perfectius; & sic licet Metaph. obiectum sit quid valde vniuersale, & consequenter valde imperfectum in ordine entis, in ratione tamen obiecti est quid perfectissimum, & perfectissimam per conseq. reddet Metaph. in ratione scientiæ, quia quo vniuersalius est, eo ad plura illam extendet.

Resp. 2. Quod illud quod facit obiectũ scientiæ formaliter perfectius, est abstractio maior à materia, cum obiecta non specificent scientias, secundum quod sunt in ordine entis, sed secundum quod sunt sub abstractione: vnde cum obiectum Metaph. abstrahat ab omni prorsus materia, erit consequenter in ratione obiecti præstantius obiectis aliarum scientiarum, cæterisque scientiis Metaph. præstare faciet.

QVÆSTIO III.

Vtrum Metaph. descendat ad cognitionem rerum in particulari.

Resolutio quæstionis.

§. I.

38. Notandũ est primo ex D. Th. opusc. 70. quæst. 5. art. 1. in c. & hic in proœmio, Metaph. omnia quæ à Metaph. considerantur, considerari ab ea in quantum sunt abstracta ab omni materia, siue hoc fiat, ex eo quod illis repugnet in materia reperiri, sicut Deo & Angelis repugnat; siue ex eo quod tales sint rationes, quæ in quibusdam sunt in materia, in aliis vero non, & quæ consequenter secundum se non dependent ab ea, sicut sunt substantia, qualitas, actus, potentia, &c.

Secundò notandum quod quando quæritur vtrum Metaph. descendat ad cognitionem rerum in particulari; sensus quæsiti non est, vtrum descendat ad cognitionem rerum in indiuiduo, scientia enim non est de singularibus, sed vtrum descendat ad cognitionem rerum, secundum quod genericè & specificè distinguũtur ab inuicem; ita vt consideret per se & directè, quicquid cõuenit essentialiter atomis speciebus, & secundum rationem genericam, & secundum differentialem.

Notand. 3. Quod ex rebus quæ continentur sub ente vt ens abstrahit à creato & increato, aliæ abstrahunt à materia intelligibili vt sunt substãtia, qualitas actus, potentia, &c. Aliæ vero non abstrahunt, vt sunt homo, Leo, equus, bos, & alia huiusmodi, quæ licet secundum rationem generalem entis, vel substantiæ à materia præscindant, tamen secundum rationes atomas & minus communes eam includunt.

39. His positis prima Sententia affirmat Metap. de omnibus rebus vsq; ad vltimas & atomas earum differentias considerare pro hac Sentent. citantur Suar. disp. 1. suæ Metaph. sect. 2. Ægidius primo Metaph. qu. 22. & Anton. Miran. li. 13. de Euers. singul. certam. sect. 6. & 7.

Secunda tamen sententia & vera

quæ communiter ab omnibus Philosophis recipitur est, quod Metaph. non descendit ad considerationem, omnium rerum in particulari, sic sentiunt Suares loco iam citato Soncinas 4. Metaph. quęst. 11. Fland. lib. 1. Metaph. quæst. 7. art. 5. & alij.

Prima concl. Met. descendit ad cognitionem omniũ rerũ quæ ab omni materia abstrahunt, & consequenter Deus, Angelus, rationes entis, substantiæ, qualitatis actus, potentiæ tandem omnia quæ in suis conceptibus materiam non includunt, cadunt directè & per se sub consideratione Metaph. in hac cõclusione omnes Metaphysici conueniunt.

Prob. breuiter, quia illa omnia quę per se & directè sunt sub obiecto cõmuni, specificatiuo Met. & gaudent ratione formali, sub qua Metaph. tendit in suum obiectum, debent per se & directè considerari à Metaph. ergo cum illa omnia quę sunt abstracta ab omni materia sint talia, (quia primo, per se, & directe prædicationẽ entis suscipiunt, deinde gaudent etiam ratione formali sub qua Metaphysices cum abstractionem habeant ab omni materia, quæ est ratio formalis sub qua illum) necessario asserendum est directe & per se cadere sub consideratione Metaph.

40. Secunda concl. Metaph. non descendit directe & per se ad cognitionem rerum in particulari, quæ non abstrahunt ab omni materia, sed si quas cõsideret, considerabit solum illas directe quidem secundum rationes communes ab omni materia præscindentes, indirectè vero secundum rationes particulares, & quantum erunt necessariæ ad proprij obiecti cognitionem. In hac conclus. conueniũt auctores citati pro 2. sent.

Probatur concl. ex D. Tho. opusc. 70. in Boët de Trinit. quæst. 5. & 4. ad 6. *Adsextum*, inquit, *dicendum quod Metaph. considerat etiam de singulis entibus non secundum proprias rationes per quas sunt tale vel tale ens, sed secundum quod participant rationem entis, & sic pertinent ad eius considerationem materia & motus*: Et in prologo supra primum Sent. art. 2. in cap. idem sub expressis terminis asserit.

41. Probat. ratione desumpta ex D. Tho. art. illo 1. prologi supra Sent. Quicquid attingit scientia, attingit illud secundum quod ducitur in eius cognitionem per rationem specificatiuam obiecti sui; atqui Metaph. duci non potest in cognitionem rerum particularium, quæ materiâ sunt concretæ per rationem specificatiuam obiecti sui: ergo. maior est certa, min. prob. quia ens abstractum ab omni materia, quod est obiectum Metaph. abstrahit & separat omnino cognitionem à materia; qui ergo fieri poterit, quod ducat intellectum in cognitionem rerum materialium? certe videtur aperta & euidentissima esse in hoc implicantia: dicere enim quod aliquid separat intellectum à materia, & quod tamen ducit in cognitionem rerum materialium, est dicere, quod trahit ad res materiales, & quod ad eas non trahit, sed potius ab eis retrahit, quod ducit ad eas, & quod ab eis abducit & separat, quod mouet ad eas & ab eis remouet.

Confirm. quia abstractio, quæ est ratio formalis sub qua scientiæ tendũt in sua obiecta, est abstractio formalis seu actualis, non abstractio totalis seu potentialis vt ostendunt & declarant optime PP. N. Complut. in Logica disput. 19. quæst. 4. §. 2. num. 49. & ratio est, quia scibilitas & co-

gnoſcibilitas rei fundatur in actu, & propterea quanto magis aliquid eſt in actu & ſeparatum à potentia, vt à materia cōſequenter, quæ eſt prima potentia, tanto magis aliquid eſt cognoſcibile, ſeu ſcibile, iuxta illud tritum & vulgare proloquium, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis; ergo cum abſtractio formalis diſtinguatur à totali per hoc quod nequidem potentialiter includat ea à quibus abſtrahit, ſicut facit totalis, ſed potius ea totaliter excludat, & ab eis penitus ſeparet, abſtractio formalis conueniens Metaph. excludet penitus à conſideratione ipſius omnia materialia, quandoquidem abſtractio ei conueniens, eſt abſtractio ab omni prorſus materia.

42. Confir. adhuc, quia impoſſibile eſt quod vllus habitus exeat extra limites ſui obiecti ſpecificatiui, & conſequenter cum res materiales ſint ſecundum materialitatem ſuam extra abſtractionem ab omni materia, impoſſibile eſt quod Metaph. extendat ſe vſque ad eorum conſiderationem.

Prob. vlt. ſi Metaph. ſe extenderet ad conſiderationem rerum materialium, vt ſic, aliæ ſcientiæ non eſſent neceſſariæ, ſed ſola Metaph. ſufficeret quod eſt contra communem omnium Phyloſoph. ſentent. pro quo vide PP. N. Complut. in Logica diſp. illa 19. §. 1. Ex his ergo euidenter apparet, quod licet de quibuſdam rebus materialibus tractetur in Metaph. vt de quantitate, de principio indiuiduationis, non ſolum in communi, ſed & in rebus etiam materialibus & aliis pleriſque, hoc tamen ſolum eſt indirectè & ad pleniorem eorum cognitionem, quæ per ſe tractantur à Metaph. per quod ſecundæ parti concluſ. noſtræ ſatisfit.

Proponuntur & ſoluuntur obiectiones.

§. II.

OBij. prim. ille habitus qui verſatur per ſe circa rationem aliquam communem, verſatur per ſe circa ea omnia de quibus in recto & formaliter talis ratio prædicatur: atqui Metaph. verſatur circa ens abſtractum à creato & increato; ergo cum ens, per ſe & in recto prædicetur de rebus etiam immaterialibus, Metaph. per ſe circa illas verſabitur. Min. eſt certa ex præcedenti quæſt. maior prob. inductione in omnibus potentiis & habitibus, nam quia color eſt obiectum viſus, ideo viſus ſe extendit ad omnes colores; & quia ens mobile eſt obiectum Phyſicæ, ideo Phyſica, ſe extendit per ſe ad conſiderationem omnium quæ ſunt ſub ente mobili; ergo.

43. Reſp. cōc. maiorē: ſi ratio formalis ſub qua habitus verſatur circa rationem communē, conueniat etiam omnibus partibus ſubiectiuis: ſi vero non conueniat neg. maior, vnde cum abſtractio ab omni materia, quæ eſt ratio ſub qua Metaph. tendit in ens reale vniuerſaliter ſumptum, non conueniat rebus materialibus vt ſic, hinc fit quod non poſſit verſari circa eas, prout ſunt formaliter tales.

Obij. ſecundò debet dari aliqua ſcientia per quam cognoſcatur diuerſitas quæ eſt inter Leonem & Angelum; ſed non poteſt aſſignari alia quam Metaph. ergo. maior eſt certa;

quia hæc diuerſitas eſt ſcibilis,& de ente demõſtrabilis,cũ idem & diuerſũ ſint paſſiones entis. Mi. probatur, quia illa ſcientia quæ iudicat de diuerſitate aliquorum debet cognoſcere illa, per quæ diuerſificantur ad inuicem; ſed ſola Metaph. poteſt cognoſcere id per quod Angelus diſtinguitur à leone & à quacumque alia re materiali, quia ſola Metaph. poteſt verſari circa res abſtractas ab omni materia. Ergo ad eam ſolam pertinet cognoſcere illam diuerſitatem; ergo cũ illa ſcientia quę iudicat de diuerſitate aliquorum, cognoſcat ea ſecundum id, per quod diuerſificantur, Metaph. cognoſcet Leonem ſecundum id, per quod diſtinguitur ab Angelo, & cum Leo diſtinguatur ab Angelo ſecundùm materialitatem, Metaphyſica conſequenter verſabitur circa Leonem vt materialis eſt.

44. Reſp. 1. quod ſicut ſenſus communis verſatur circa obiecta ſenſuum externorum, tanquam circa obiecta materialia, & ſub vniuerſaliori ratione quam ſenſus externi; ita Metaph. verſatur circa res materiales, non tanquam circa obiectum formale, quod, ſed tanquam circa obiectum mere materiale, & per principia quædam vniuerſaliſſima.

Et ſi dicas ex hoc inferri, non eſſe neceſſarias alias ſcientias.

Reſp. quod ſicut ex hoc quod ſenſus communis feratur materialiter circa obiecta ſenſuum externorum, non infertur quod ſenſus particulares non ſint neceſſarij, quia ſenſus communis fertur circa illa ſub ratione vniuerſaliori; ita quia Metaph. fertur circa obiecta aliarum ſcientiarum per principia vniuerſaliora quam aliæ ſcientiæ, ideo ſit nullo modo hinc inferri, quod aliæ ſcientiæ non ſint neceſſariæ: ſed quia iſta ſolutio videtur contra ea quæ dicta ſunt concluſione 2. aliquo modo pugnare, ideo

45. Reſpondeo 2. ad principale argum. conc. Mai. & neg. Mi. ad probationẽ eius reſp. quod illa ſcientia quæ iudicat de diuerſitate poſitiua quæ eſt ex parte vtriuſque extremi, debet quidem cognoſcere vtrumque extremum ſecundum id per quod quodlibet ex illis diuerſificatur & diſtinguitur poſitiue ab alio, ſed illa ſcientia quæ iudicat ſolum de diuerſitate poſitiua, quæ ſe tenet ex parte vnius extremi, non autem de diuerſitate poſitiua quæ ſe tenet ex parte alterius, ſed ſolum de negatiua eius diuerſitate ab alia, non eſt neceſſe quod vtrumque extremum cognoſcat ſecundum ea poſitiua, per quæ ambo diuerſificantur & diſtinguntur ad inuicem, ſed ſufficit quod vnum extremum poſitiuè cognoſcat, quia cognoſcendo illud ſecundùm id, per quod diuerſificatur ab alio, iudicat ſtatim quod aliud non ſit idem cum ipſo, ſed potius quod ſit ab ipſo diuerſum. Dilucidatur ſolutio exemplo clariſſimo; ad hoc vt v.g. ſenſus communis poſſit iudicare de diſtinctione poſitiua quæ eſt inter obiecta ſenſuum externorum, non ſufficit quod obiectum ſolum vnius ſenſus. v. g. coloratum tantum cognoſcat, ſed de facto debet ferri in obiecta omnium ſenſuum, & illa ſecundùm poſitiua quæ includunt cognoſcere, vt poſſit ſanum iudicium ferre, quod coloratum v. g. à ſonoro poſitiuè diſtinguitur, & ſonorum poſitiuè à colorato, & ſic de aliis obiectis ſenſuum externorum: Sed vt aliquis ſenſus particularis

cognoscat obiectum suum distingui positiue ab alio,& aliud non esse obiectum suum,sed à suo esse diuersum negatiuè,sufficit quod positiue versetur circa suum obiectum secundùm id, per quod positiue distinguitur ab altero, & in alio non aduertat propriam rationem obiecti sui, sed circa illud priuatiue se habeat ; eo enim ipso statim aduertet obiectum aliud esse à suo diuersum diuersitate negatiua. Non quod sensus versetur positiue circa illam diuersitatem negatiuam,apprehendendo illam,quia certum est quod sensus non apprehendit negationes; sed versando positiue circa proprium obiectum, & non circa aliud,æquiualenter dicitur apprehendere diuersitatem illam negatiuam, & propterea si posset ad modum intellectus iudicare, & de negationibus propositiones fabricare,de facto hanc efformaret propositionem, hoc nõ est obiectum meum, sicut quando intellectus non aduertit alicubi rationes entis efformat hanc propsitionem , hoc non est ens.

46. Similiter ego dico in nostro casu, quod si daretur aliqua scientia quæ iudicaret de diuersitate positiua quæ est ex parte rei materialis, & ex parte rei immaterialis, verum est, quod talis scientia deberet cognoscere,&rem materialem secũdùm id, per quod positiuè distinguitur ab immateriali, & rem immaterialem secundùm id, per quod positiuè distinguitur à materiali : sed vt aliqua scientia cognoscat diuersitatem negatiuam quam habet aliud obiectum à suo,sufficit quod non aduertat in eo esse rationem formalem & propriam obiecti sui,statim enim iudicat illud nen esse obiectum proprium, sed à suo omnino esse diuersum ; & hoc facit quælibet scientia cognoscendo proprium constitutiuum obiecti sui:cum enim constitutiuum sit distinctiuum,cognoscendo cõstitutiuũ obiecti sui cognoscit cõsequẽter illud positiuè à quocũque altero distingui & diuersificari,& alterum quodcumque, in quo non est talis ratio constitutiua,esse diuersum negatiuè à proprio obiecto,seu non esse idem cum obiecto proprio, quia sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis. Metaph. ergo cognoscit quidem diuersitatem positiuam quam habent obiecta sua ab obiectis aliarum scientiarum, sed diuersitatem positiuam quam habent alia obiecta à suis non cognoscit, sed diuersitatem solùm negatiuam. Et ad illud quod obiicitur, quod diuersitas est passio entis & consequenter eam à Metaphysicâ cognosci.

Resp. quod diuersitas illa quæ conuenit entibus, vt sic,est quidem passio entis vt sic, & hanc concedo cognosci à Metaph. sed illa diuersitas quæ conuenit enti quatenus est tale ens, materiale scilicet, non est passio entis vt sic,sed entis,vt ius, materialis & hanc nego à Met. cognosci.

47. Quod si quæras vtrum positiua diuersitas quæ est ex parte duorum extremorum nequeat ab vna & eadem scientia vllo modo cognosci ?

Resp. opus esse distinctione, si enim illa quæ sunt diuersa, sicut sub vna & eadem abstractione, & sub eodem obiecto in esse scibili, tunc poterunt, vt sunt etiam inter se diuersa, ab vna & eadem scientia cognosci ; & hoc modo cognoscuntur à Physica leo & equus vt sunt diuersi,

quia secundum diuersitatem etiam positiuam quam habent inter se, continentur formaliter sub ente mobili: at quando quæ sunt inter se diuersa, non sunt sub eodem obiecto scibili, sed potius sub diuersa abstractione, sicut sunt res materiales & Angeli, tunc non possunt directe ab vna & eadem scientia cognosci, quia vna & eadem scientia formaliter diuersa in esse scibili, per se & directe attingere non potest, & propterea si illa cognoscat, vnum directe cognoscet, alterum vero indirecte, & hoc modo potest admitti à Metaph. directe cognosci Angelos diuersitatemque positiuam, quam habent à rebus materialibus, res vero materiales indirecte, in quantum iuuant ad perfectam cognitionem rerum immaterialium, similiter quoque à Physica res materiales cognosci directè, indirectè vero res immateriales, quatenus ad plenam rerũ immaterialiũ cognitionẽ conducunt. Sed quãuis hæc saltem videantur habere aliquid probabilitatis, tamen vt verum fatear, saluo meliori iudicio, videtur mihi potius dicendum nequidem indirectè vnam scientiam (& maxime si illa sit inferior) obiectum alterius scientiæ posse attingere, ita vt eliciat cognitionem circa tale obiectum, sed concomitanter solum cognosci & attingere illud, inquantum scilicet intellectus vtitur illa scientia, ad hoc vt altera possit perfectam habere proprij obiecti cognitionem, quam tamen non haberet, nisi altera etiam eliceret actionem circa suum obiectum, à quo perfecta alterius obiecti cognitio dependet. Exemplum rem declarabit: vult v. g. quis cognoscere diuersitatem quam habet equus vel leo ab Angelo, vtitur quidem Physica ad cognitionem naturæ equi vel leonis, sed quia cognitio perfecta diuersitatis quam habet equus vel Leo à rebus immaterialibus, pendet ab ipsa cognitione rerum immaterialium, quæ sunt obiectum Metaph. ideo intellectus vtitur Metaph. ad cognitionem immaterialiũ, vt cognitâ re materiali, perfectius Physica diuersitatem quam habere equus ab ea possit discernere: Ratio autem quæ ad id nos inducit, hæc est, quia licet intellectus non coarctetur ad aliquam abstractionem in particulari, sed possit vnicus manens quæcumque obiecta & sub quacumque abstractione per diuersas scientias, attringere, tamen hoc alicui scientiæ in particulari tribui non potest cum quælibet sit determinata ad vnam abstractionem, & ad vnum obiectum in esse scibili; vnde sicut quælibet potentia est determinata ad suum obiectum, ita & scientiæ quælibet ad suam particularem abstractionem, ita vt extra eam non possit se extendere. Et propterea quando Metaph. vult se extẽdere ad cognitionem aliquarum rerum, quæ sunt extra abstractionem propriam reducit prius illas ad propriam abstractionem, vt possit circa illas versari v. g. si velit versari circa materiam secundùm aliquid proprium ipsius, considerabit illam secundùm rationem potentiæ, quæ rationem materiæ non exprimit. similiter si formam corpoream velit cognoscere, considerabit illam secundùm rationem actus, quæ ratio à materiâ & corpore abstrahit, & sic de cæteris ideo verum est quod nulla scientia potest se extendete extra terminos

propriæ abstractionis, quandoquidem nec hoc sibi potest vendicare regina scientiarum Metaphys.

48. Quod si quæras quare tribuatur specialiter Metaph. cognoscere diuersitatem quæ est inter aliqua.

Resp. hoc tribui Metaph. quia Metaph. tradit regulam generalem ad dignoscendam diuersitatem, tradendo ipsammet definitionem diuersitatis in communi, vnde cum illa defintio ponatur per modum medij in præmissis ad inferendam diuersitatem inter aliqua, hinc fit quod ad Metaph. dicatur pertinere cognoscere talem diuersitatem.

Sed dices ex hoc euidenter inferri quod Metaph. elicit conclusionem, in qua cognoscitur diuersitas aliquorum, quod tamen videtur esse contra ea quæ à nobis statim dicta sunt. Sequela ista probatur, quia vt in Logica disp. 1. q. 4. §. 1. ostendunt PP. N. Complut. ideo Logica vtens elicit conclusiones probabiles in quacumque materia, quia per media Logicalia procedere potest ad probabiliter differendum in quacumque materia. Ergo quando medium, per quod probantur aliqua esse inter se diuersa, est Metaphysicū, ad Metaphysicam pertinebit elicere conclusionem, per quam talis diuersitas cognoscitur.

49. Resp. quod si in conclusione ostendantur solum aliqua esse diuersa inter se in ratione entis, non est dubium quin ad Metaph. pertineat cognoscere talem diuersitatem, quia diuersitas quæ in conclusione demonstrabitur esse inter aliqua, manebit intra eamdem abstractionem cum Metaph, sed si diuersitas quæ ostenditur esse inter aliqua, pertineat ad abstractionem diuersam, ab abstractione Metaph. vt si ostendatur quod equus est diuersus diuersitate materiali à re spirituali, tunc conclusio illa pertinebit ad Physicam, quia medium non pertinet ad scientiam, nec specificat eam quocumque modo consideratam, sed vt est sub tali abstractione, vt egregie ostendunt PP. N. Complut. in Logica disp. 19. §. 4. n. 56. & 60. & ratio huius rei est; quia differentia non specificat nisi vt est sub genere, vnde cum abstractio à materia constituat genus scientiæ, medium non specificabit scientiam, nisi vt est sub tali, vel tali abstractione, seuve est ratio eliciendi conclusionem in tali vel tali abstractione. Licet ergo Metaph. eliciat illam præmissam in qua definitio diuersi de diuerso prædicatur, & propter hanc rationem dicatur ad Metaph. pertinere, diuersitatem, quæ est inter aliqua cognoscere, quia tamen aliquando determinatur illa definitio in minori ad diuersam abstractionem, & ad ostendendum de subiecto conclusionis aliquod prædicatum, quod est extra propriam abstractionem Metaph. hinc fit quod non semper pertineat ad eam elicere conclusionem, in qua probatur diuersitas aliquorum.

Ad illud autem quod obiicitur de Logica resp. quod quando Logica vtens descendit ad probabiliter differendum in quacumque materia, non exit extra propriam abstractionem, quia licet subiectum conclusionis sit quid reale, tamen prædicatum, quod probat conuenire tali subiecto, est aliquod prædicatum rationis: vnde cum debeat iudicari maxime de abstractione conclusionis ex prædicato ipsius, cōsequenter

Logica

Logica vtens non exibit extra propriam abstractionem, quando probabiliter differit in aliena materia, seu de ente reali, quia probat aliquid rationis de eo.

50. Quod si quæras quomodo possit definitio diuersi ad abstractionem diuersam ab abstractione Metaphys. determinari.

Resp. quod sicut ens est transcendens quoddam, quod potest ad diuersas rationes entis diuersasque cōsequenter abstractiones determinari, ita & definitio diuersi, cum diuersum sit passio entis.

Obijcies ij. ex Arist. 4. Metaph. textu 2. quod *sicut est vnus sensus vnius obiecti, & eorum quæ sub ipso continentur, ita quod scientia hæc (idest Metaphysica) speculatur ens inquantum, ens & species eius & species specierum.*

Respondeo primò posse sic intelligi Aristotelem, quod scilicet Metaphys. speculatur ens inquantum ens, hoc est ens vt abstrahit à creato & increato & species entis, hoc est, creatum & increatum, quæ sunt veluti species entis, deinde species specierum, Angelos scilicet & prædicamenta quæ sunt veluti species quædam entis creati.

Secundò respondeo cum S. Th. quem sequuntur Fonseca & Suarez construendo litteram secundum versionem antiquam, quæ sic habet, *Entis inquantum est ens quascumque species speculari, vnius est scientiæ genere & species specierum.* Quorum verborum sensus est quod vnius scientiæ genere, id est generalis & communis, sicut est Metaphysica, est speculari omnes species entis, inquantum rationem entis habent, & species specierum (hoc est) species vero entis consideratas secundum rationes speciales & particulares considerare, munus est specierum (id est) munus est particularium scientiarum accipe verba Diui Thomæ: *Hic ostendit quod primi Philosophi est considerare de omnibus substantiis tali ratione, omnium eorum quæ sunt vnius generis est vnus sensus, & vna scientia: sicut visus est, de omnibus coloribus, & Grammatica considerat omnes voces: si igitur omnia entia sunt vnius generis, aliquo modo oportet quod omnes species eius pertineant ad considerationem vnius scientiæ, quæ est generalis, & species entium diuersæ pertineant ad species scientiæ diuersas. Hoc autem dicit, quia non oportet, quod vna scientia consideret de omnibus speciebus vnius generis secundum proprias rationes singularum specierum, sed secundum quod conueniunt in genere, secundùm autem proprias rationes pertinent ad scientias speciales.*

Corolarium in quo ostenditur vnitas specifica Metaphysicæ.

§. *Vltimus.*

54. EX iis quæ dicta sunt, tam in præsenti, quam in præcedenti, quæst. breuiter potest satisfieri quæstioni quam hic excitant aliqui, vtrum scilicet Metaphys. sit dicenda vna vnitate specifica.

Respond. enim affirmatiuè, quia Metaphysica reducit omnes suas conclus. in principia esse vniuersalissima, inquantum sunt sub ab-

ſtractione ab omni materia intelligibili: ergo cum illa ſcientia ſit vna vnitate ſpecifica & atoma, quæ deducit omnes ſuas concluſiones ex principiis quæ vel deriuantur ex aliis vel ex alterutris intra eamdem abſtractionem, Metaphyſica erit vna vnitate ſpecifica & atoma. Totum argumentū eſt euidens ſuppoſita generali doctrina quam tradunt N. Complutenſes in Logica, diſp. 19. quæſt. 4. & 5. de vnitate ſcientiarum, videantur etiam Aranius quæſt. 5. proœmial. Metaph. art. 2. & 3. Flandr. quæſt. 1. art. 4. Suarez in ſua Metaph. diſp. 1. ſect. 3. & alij Metaph. qui communiter hanc ſequuntur ſententiam.

Quod ſi contra obiicias principia entis non eſſe vniuoca, ſed Analoga, & conſequenter non poſſe communicare Metaphyſ. vnitatem ſpecificam.

52. Reſpond. quod licet in eſſe entis ſint analoga, in eſſe tamen ſcibilis ſunt vniuoca, quia principia illa ſunt rationes per ſe aſſentiendi concluſionibus Metaphyſ. intra eamdem abſtractionem ab omni materia intelligibili, & conſequenter per ſe, & per modum differentiæ propriæ in eſſe ſcibili genus aliquod contrahunt.

Et ſi dicas quod Metaphyſ. non gaudet vnica abſtractione in ſuis obiectis, quia Deus abſtrahit ab omni potentialitate, Angeli autem ab omni materia Phyſica, ſeu corporea, ſed non ab omni potentialitate; & ſubſtantia, licet ab omni materia Phyſica abſtrahat, non tamen ſicut Angeli, quia Angeli ita abſtrahunt ab ea vt habeant repugnantiam cum ea, vbi ſubſtantia permanet ſe habet ad hoc vt ſit in re materiali, vel ab ea ſeparetur.

Reſpond. quod illæ diuerſæ abſtractiones materialiter ſe habent ad obiectum Metaphyſ. & ad abſtractionem ipſius: ſicut enim maior vel minor immaterialitas, quæ eſt intra abſtractionem à materia particulari, materialiter ſe habet ad obiectum Phyſices, modo illa immaterialitas ſit ſemper in materia ſenſibili; ita maior vel minor immaterialitas quæ eſt intra abſtractionem ab omni materia intelligibili, materialiter ſe habet ad obiectum per ſe ſpecificatiuum Metaphyſ. vnde ſiue aliqua abſtrahant ab omni materia taliter, quod etiam abſtrahant ab omni potentialitate ſicut eſt Deus, ſiue abſtrahant ab omni materia taliter quod etiam repugnet eis in ea reperiri, quamuis tamen aliquam ſemper includant potentialitatem, ſicut ſunt Angeli; ſiue tandem abſtrahant ſolum ab omni materia, taliter quod poſſint in re materiali inueniri, ſicut ſunt rationes potentiæ, qualitatis, &c. omnia illa ſunt ſemper obiecta per ſe inadæquata Metaph. quia quodlibet ex eis gaudet abſtractione per ſe conuenienti obiecto Metaphyſ. quæ eſt abſtractio ab omni materia intelligibili. V. Aranium libro primo, Metaph. quæſt. 5. proœmiali Ariſtot. tertio numero 30. & 31.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ens sit illud quod primò cognoscitur ab intellectu cognitione simplici & apprehensiua.

Aliqua ad intelligentiam quæstionis supponuntur, & diuersitas opinionum proponitur.

§. I.

52. NOtandum est primò quòd quæstio procedit, non de eo quod est primò cognitum per iudicium, sed de eo quod cognoscitur primò per simplicem apprehensionem intellectus.

Secundo notandum est quod vnum & idem potest duobus modis cognosci, vel cognitione perfecta atque distincta, vel cognitione imperfecta atque confusa; tunc aliquid cognoscitur cognitione distincta & perfecta, quando distinctè & clarè cognoscitur secundum omnia quæ continet, ad quod requiritur (si illud quod cognoscitur plura vel realiter vel ratione distincta contineat) quod illa omnia distinctè in eo cognoscantur; si vero illud quod cognoscitur sit conceptus simplex, quod clarè euidenterque cognoscatur vt est in se, & secundum omnem modum formalem quem habet ex parte sui. Talis est autem ordo inter duas istas cognitiones, vt confusa & imperfecta perfectam & distinctam semper præcedat, natura enim ab imperfectioribus ad perfectiora semper procedit; ex quo sequitur, quod ens erit solum primò cognitum cognitione confusa & imperfecta, non autem cognitione distincta atque perfecta, si semel verum est illud esse primo cognitum ab intellectu.

Tertiò notandum est quod ens potest considerari duobus modis, vel secundum vniuersalissimam amplitudinem suam: Secundum quod scilicet abstrahit ab omnibus generibus & speciebus, & à quibuscumque aliis rebus, secundum quam considerationem non exprimit quidditatem materialem. Secundo potest ens considerari, secundum quod est concretum quidditate sensibili & materiali, secundum quam considerationem (inquit Caietanus q. 1. in c. 1. de ente & essentia) concipitur ens abstractum solū à singularitate sensibili & materiali. Pro cuius maiori intelligentia sciendum est quod singularitas rei materialis & sēsibilis singularisat non solum gradum atomum, sed etiam omnes alios gradus, singularitas enim quæ est v. g. in homine, non solum singularisat hominem, faciendo hominem esse hunc hominem, sed etiam facit quod animal sit hoc animal; quod viuens sit hoc viuens; quod corpus sit hoc corpus; quod substantia sit hæc substantia; & tandem quod ens sit hoc ens. Quando ergo concipitur ens vt ens concretum quidditate sensibili & materiali concipitur solum, vt est abstractum à singularitate rei sensibili, & consequenter concipitur adhuc circumuolutum modo concretionis materialis & sensibilis, seu conditionibus materialibus & sensibilibus, quas contraxit in materiali & sensibili quidditate.

54. Quartò notādū est quod vniuer-

salale, v.g. animal, potest cōsiderari duobus modis; vel secūdùm id quod actu solum includit, præscindendo veluti abstractione formalia differentiis solum contrahentibus, vel secundùm quod est, quoddam totum abstractum abstractione totali, à suis inferioibus potentialiter illa in se continens. Si primo modo vniuersalia considerentur, certum est in sententia omnium; si sermo sit de cognitione distincta, prius ea cognosci quam minus vniuersalia. Si verò secundo modo considerentur, & sermo sit de eadem cognitione distincta, certum est in sententia adhuc omnium, quod minus vniuersalia prius debent cognosci, & magis vniuersalia posterius. Et ratio huius rei est euidens: quia si considerentur vniuersalia secundùm id quod in actu solum continent, partes sunt rationis minus vniuersalis; animal enim secundùm istam considerationem dicitur esse pars hominis, & vna cum rationali hominem componere; at si considerentur secundùm quod sunt tota potentialia, totum est è conuerso, nam minus vniuersalia sunt partes eorum potentiales, totalitatem eorum potentialem constituentes. Vnde cum ad perfectam & distinctam cognitionem alicuius totius debeant prius omnes eius partes cognosci, propterea ad perfectam, & distinctam vniuersalium cognitionem, secundùm quod illa sunt tota quædam potentialia, debent prius minus vniuersalia cognosci; quamuis si secundùm aliam considerationem spectentur, debeant prius vniuersaliora distinctè cognosci, quam minus vniuersalia, quia secundùm istam considerationem vniuersaliora sunt minus conuersalium partes. Ex qua doctrina infero, quod cum ens sit primus & vniuersalissimus gradus, debet esse id quod primò cognoscitur cognitione distincta, si consideretur secundùm id quod actu includit & exprimit, vt præscindit à supremis generibus, secundùm quam rationem exprimit solum quod non sit nihil aut non ens; quamuis si consideretur secundùm quod est totum quoddam potentiale, debeat esse id quod est vltimum in nostra cognitione.

55. Ex iis sequitur quod nodus difficultatis in hac quæstione non est, vtrum ens sit primò cognitum à nostro intellectu cognitione distincta, sed vtrum sit primò cognitum cognitione confusa & imperfecta. Circa quam difficultatem quatuor diuersas opiniones reperio.

Prima est, primò cognitū ab intellectu non esse ens, nec quodcumque aliud vniuersale, sed esse singulare. Ita sentit Durandus in 2. dist. 3. q. 3. Ocham. d. 3. q. 5. Rich. in 2. dist. 24. q. 4. Toletus 3. de Anima q. 12.

Secunda Sententia dicit esse speciem atomam, cuius singulare prius ac efficacius mouet sensum. Ita Scotistæ cum Scoto in 1. dist. 3. q. 2. & Anthonius Trombeta lib. 1. Metaph. q. 10.

Tertia Sententia dicit esse ens in vniuersali amplitudine sua, vt suo ambitu omnia materialia & immaterialia, & quicquid est vel habet esse extra nihil, comprehendit. Hanc amplectitur Masius in capite primo 1. Phys. quæst. 7. citans pro se Soto quæst. 2. lib. 1. Phys. & Astudillo quæst. 3.

Quarta denique sententia tenet ens quatenus concretum quidditate sensibili & materiali esse id quod primò cognitione confusa ab intellectu attingitur. ita Caietanus quæst. 1. in cap. 1. de ente & essentia. Aranius lib. 1. Metaph. quæst. 1. art. 3. Martines 3. de anima cap. 3. & alij plurimi ex ipso Masij testimonio.

Statuitur singulare non esse id quod est primò cognitum ab intellectu, & contrariæ sententiæ argumentis satisfit.

§. II.

60. PRobatur ex Arist. lib. 1. Phys. cap. 5. vbi iuxta veterem Boëtij interpretationem habet ista verba *Vniuersale quidē secundū rationē notū est, singulare autem secundū sensum: ratio enim vniuersalis est; sensus autem, particularis.* Deinde probatur ex D. Tho. 1. p. quæst. 89. art. 1. vbi dicit singularia cognosci solum indirectè à nostro intellectu, quod asserit qu. 2. de veritate art. 6. & pluribus aliis locis.

Probatur ratione desumpta ex illis D. Tho. auctoritatibus. Illud quod primò ab intellectu nostro cognoscitur, debet directè, & non solum indirectè ab eo cognosci; sed singulare non cognoscitur directè ab intellectu nostro pro præsenti statu, (de eo enim loquimur) sed indirectè: ergo. Maior probatur: quia illud quod primò ab intellectu nostro cognoscitur debet per se & ratione sui cognosci; at illud quod non cognoscitur directe, sed solum indirectè, non cognoscitur per se & ratione sui, sed solum ratione alterius, seu in altero & veluti ex consequenti: ergo.

Minor autem est expressa D. Tho. & potest vlterius probari: quia illud directe cognoscitur, quod directe relucet in specie intelligibili; at singulare non directe relucet in specie intelligibili: ergo. Maior est certa, quia cognitio, vt sæpius dicit D. Thom. & maxime 1. p. quæst. 12. art. 4. fit secundum quod cognitum est in cognoscente: vnde cum cognitum sit in cognoscente per speciem intelligibilem, in qua secundum esse repræsentatiuum & intelligibile continetur, eo quo modo cognitū erit in esse intelligibili & repræsentatiuo in tali specie, eodem modo ab intellectu cognoscetur: ergo vt cognitum directe cognoscatur debet directe in specie respendere.

Min. autē probatur, quia illud quod directe per speciē repræsentatur debet esse per se obiectum intellectus, at singulare nō est obiectū per se intellectus, sed vniuersale, vt vidimus ex Arist. & potest euidenter probari; quia obiectum per se intellectus debet ei formaliter proportionari: ergo cum singulare sit omninò improportionatum intellectui & inferioris ordinis ab ipso, cum singulare sit materiæ omnino immersum (de singulari enim materiali est sermō) & intellectus potētia formaliter à materia abstracta, singulare non poterit esse per se obiectum intellectus, sed ab eo ratione vniuersalis cognoscetur. Si vis videre plura quoad probationem illius minoris, lege PP. N. Complut. in libro de anima. disp. 18. quæst. 6. §. 4. & seq. & disp. 21. qu. 6. §. 3. & disp. 17. quæst. 2.

Probatur secundò, illud quod primò cognoscitur ab intellectu debet

esse id, ratione cuius cætera cognoscantur; sed singulare vt sic non potest esse id ratione cuius cætera cognoscuntur ab intellectu: ergo. Maior est certa, quia primò cognitum aperit viam intellectui, ipsumque mouet & inducit ad cæterorum cognitionem, & propterea cætera quæ ab intellectu cognoscuntur, cognoscuntur ad modum obiecti primò cogniti, eiusque conditionibus quodammodo induuntur. Et deinde potest illa maior probari ratione: Tum quia primum in quolibet genere est ratio & mensura cæterorum: tum etiam quia illud quod primò attingitur ab intellectu, non potest non esse obiectum per se specificatiuum illius, potētia enim non potest habere intimiorem connexionem, quam cum obiecto sui ipsius formaliter & per se specificatiuo: ergo obiectum quod proximius & prius attingetur ab intellectu erit formaliter & per se intellectus specificatiuum: ergo cum obiectum per se alicuius potentiæ specificatiuum sit id, ratione cuius cætera à tali potentia attinguntur, illud quod prius & proximius ab intellectu cognoscetur, erit id ratione cuius cætera ab intellectu cognoscuntur.

62. Minor autem, quod singulare vt sic non possit esse ratio attingendi cætera, quæ ab intellectu cognoscuntur, probatur, quia alias quicquid cognosceretur, deberet ad modum singularis cognosci, & consequenter intellectus non posset quātum est ex se rationes vniuersales in seipsis vt à singularitate præscindunt inspicere, quia singulare determinaret intellectum ad omnia cognoscenda ad modum singularis.

Secundò Conf. quia illud quod est intellectui ratio attingendi cætera, debet veluti vagari circa omnia quæ per se attinguntur ab intellectu, & de eis per se prædicari; & consequenter debet, si attingat ea vt sūt in seipsis, esse aliquid quod saltem sub se & sub sua amplitudine contineat omnia ad quæ quidditatiuè cognoscenda intellectus se extendit: vnde cum intellectus possit quidditates omnes materiales quidditatiuè in seipsis, & vt præscindunt à suis singularitatibus cognoscere, illud quod est ei ratio attingendi cætera quæ ab ipso cognoscuntur, debet esse ratio quædam vniuersalis, cuicūque quidditati materiali vt sic conueniens, & de ea per se prædicabilis; non autem singulare, cum singulare non possit per se prædicari de quidditate materiali vt sic, vt à singularitate præscindit.

Obijcies primò ex Aristot. lib. 1. de demonstratione c. 2. vbi dicit: *Singularia esse nobis notiora, natura tamen minùs nota, è contrà verò vniuersalia notiora natura, minùs tamē nobis nota:* Ergo cum ea quæ sunt nobis notiora priùs à nobis cognoscantur, singularia priùs à nobis cognoscuntur quam vniuersalia, & consequenter priusquam ens.

63. Respond. ex D. Thom. l. 1. Phys. lect. 1. quando dicit Aristot. singularia esse notiora nobis, ipsum loqui de cognitione sensitiua, quæ cum intellectiuam præcedat, à sensibus enim oritur intellectiua cognitio; propterea obiectum ipsius quod est singulare, dicitur notius esse nobis, seu priùs esse nobis notum quam sit vniuersale quod est intellectus obiectum.

Obiicies secundò, cognitio intellectualis oritur à sensibus: Ergo cum

sensus sit circa singularia, illud circa quod primo feretur intellectus, erit aliquod singulare.

Respondeo negãdo consequentiã; quando enim dicitur, quod intellectio oritur à sensu, sensus non est, quod ipsemet sensus sit causa principalis intellectionis, aut quod illud idem quod est obiectum eius, sit etiam sub eadem ratione formali obiectum intellectus; sed sensus est, quod intellectus noster non potest intelligere pro hoc statu, nisi phantasia subministret materiam, ex qua intellectus agens educat speciem intelligibilem, quamuis illa species intelligibilis non repræsentet eodem modo obiectum ac phãtasma ex quo educitur, quia phantasma repræsentat illud secundum singularitatem ipsius, à qua tamen species intelligibilis virtute intellectus agentis producta separat & abstrahit.

Et si dicas phantasma concurrere ad productionem speciei intelligibilis, & cõsequenter cùm agat per modum agentis naturalis, ab ipso produci speciem intelligibilem singularis immediate repræsentatiuam.

Respondeo quod phantasma concurrit solum ad productionem speciei intelligibilis per modum instrumenti, instrumẽtum autem concurrit ad productionem effectus secundum naturam virtutis principalis agentis, & secundum determinationem quam recipit ab illo: at intellectus agens qui concurrit principaliter ad productionem speciei intelligibilis, determinat phantasma per virtutem luminis, quod in ipsum diffundit, adhoc vt producat speciem intelligibilem, quæ sit repræsentatiua obiecti vniuersalis, non vero singularis, quia vniuersale, est obiectum proprium & proportionatum intellectus, nõ autem singulare. Imo dico magis, quod etiamsi daretur phantasma concurrere per modum causæ principalis ad productionem speciei intelligibilis, tamẽ non determinaret eam ad hoc vt esset repræsentatiua directa & immediate singularis, quia cum agens naturale agat secundum exigentiam & dispositionem naturalem subiecti, circa quod agit, & intellectus secundum exigentiam & dispositionem suam naturalem, petat prius versari circa vniuersalia, (vt pote sibi magis proportionata) quam circa singularia, phantasma per consequens determinaret speciem quam produceret, adhoc vt esset potius immediate & directe repræsentatiua vniuersalis, quam singularis; & propterea etiam in sententia eorum qui dicunt determinationem repræsentationis quæ est in specie, prouenire à phantasmate, phantasma concurret solum ad eam secundum quod præcise continet naturam cõmunem non autem secundum quod determinate repræsentat hoc singulare.

In quo statuitur, quod species atoma non est id quod primo cognoscitur ab intellectu nostro, sedens.

§. III.

64. VT clarius procedamus in probatione huius conclusionis, exponendũ prius est, quid sit id, in quo nodus difficultatis consistat. Quæstio ergo est, vtrum illud quod v. gratia infans, primo cognoscit in prima intellectione quam exercet, sit conceptus entis, an conceptus speciei atomæ. Demus exemplum, primum obiectum, quod se offert infanti quando de-

bet exercere primam suam intellectionem, est Petrus. Quæritur vtrum illud quod primo in illa intellectione apprehensiua infans intelligit de Petro, sit conceptus entis, an conceptus hominis, an conceptus talis hominis, Petrus scilicet. In §. præced. determinatum est, illud quod in illa intellectione primo cognoscitur ab infante, non esse hunc hominem, id est, Petrum, in præsenti autem quæritur, vtrum quod primo attingitur ab ea de Petro, sit conceptus hominis, an conceptus entis: Scotus tenet esse hominem; at nos determinamus cum vniuersa Thomistarum Schola cōtra scotistas esse conceptum entis: & meminisse oportet, quod quæstio semper procedit de cognitione confusa & imperfecta, qualem certum est esse primam illam infantis intellectionem. Quo posito.

65. Probatur conclusio ratione, omnis potentia, omnisque habitus prius fertur in obiectum suum formale adæquatum, quam in cætera quæ sub illo sunt contenta; sed obiectum formale adæquatum intellectus nostri, est ens: ergo illud quod primo se obiicit cognoscendum intellectui, est conceptus entis, & non conceptus speciei atomæ. Maior patet inductione in omnibus potentiis & habitibus; nam illud quod primò se obiicit cognoscendum visui, est color, quia color est obiectum adæquatum potentiæ visiuæ, illud quod primo se obiicit cognoscendum Physicæ, est ens mobile vt sic, quia ens prædictum, est obiectum adæquatū Physices, & ita de cæteris tum habitibus tum potentiis. Et ratio huius rei est, quia obiectum formale adæquatū, est obiectum specificatiuum formaliter, & consequenter debet esse id, quod primo attingitur à potentia vel habitu, cum sit id, ratione cuius cætera attinguntur (vt dictum est §. præced. Minor autem est constans omnium Philosophorum sententia, & propterea inutile esset eam probare. Consule PP. N. Complut. in lib. de anima disp. 17. quæst. 1. & 2.

Confirmatur prius est ordine originis intellectio vt sic, quam intellectio vt talis, quia rationes communes sunt priores in illo ordine, quam aliæ ex Arist. 8. Phys. cap. 7. & 9. Metaph. cap. 9. ergo illud quod ex parte obiecti correspondet intellectui vt sic, est prius ordine originis cognitum, quam illud quod correspondet intellectioni vt tali: sed illud, quod ex parte obiecti correspondet intellectui vt sic, est ens, illud vero quod correspōdet intellectioni vt tali, est tale ens, homo scilicet, vel equus: ergo illud quod primo cognoscitur ab intellectu, est ens. Confirmatur secundo, quia illud quod est notius quoad nos, prius cognoscitur: atqui conceptus entis est notior quoad nos: ergo à nobis prius cognoscitur. Maior est certa, probatur minor, quia illud quod est communius, & in quo plura conueniunt, est notius quoad nos, quia sæpius occurrit; ergo cum conceptus entis sit communissimus, & occurrat in omnibus obiectis, omnia enim in illo conueniunt, notior erit quoad nos.

Deinde potest eadem minor alia sic probari. Ille conceptus de quo potest intellectus minus dubitare, est notior quoad nos: sed intellectus potest minus dubitare de conceptu entis quā de quocūque alio cōceptu. Et probatur primo, quia conceptus entis est specificatiuus intellectus: secundò

secundò quia pauciora requiruntur ad eius notionem, cum ad hoc vt aliquid cognoscatur sub conceptu entis, requiratur solum, quod cognoscatur non esse, non ens, aut nihil, vbi ad conceptuum inferiorum notitiam assequendam oportet & ea cognosci, quæ ad superiorum cognitionem requirũtur, (cum superiora sint de essentia inferiorum,) & insuper ea, quæ inferiores conceptus ex propriis addunt supra superiores: ergo.

66. Probatur vltimo ratione qua vtitur D. Tho. 1. p. quæst. 85. art. 3. cap. 1. de ente & essen. statim sub initium & lect. 1. in cap. 1. lib. 1. Phys. illud quod per varios & diuersos actus, quorum alij non sunt aliorum productiui, procedit ad acquisitionem suæ perfectionis, prius transit in actum imperfectum quam in actũ perfectum: sed intellectus noster, procedit per varios & vniuersos actus, quorum alij non sunt aliorum productiui, ad acquisitionem suæ perfectionis: ergo intellectus noster in acquisitione perfectionis suę prius transit in actum imperfectum, quam in actum perfectum: sed cognitio confusa entis, est cognitio imperfectissima, quæ possit esse in intellectu, quia nihil minus potest concipi conceptu confuso entis, cùm vt statim dictũ ad eius conceptum sufficiat cognoscere aliquid non esse non ens, à quo solo conceptus entis distinguitur; ergo illud quod primo via originis intellectus noster cognoscit, est conceptus confusus entis. Subsumptum & prima consequẽtia sunt euidentia, minor etiam primi argumenti patet, quia certum est experientia, quod noster intellectus non fit perfectus vno actu, & vno instanti; sed de necessitate indiget longo & diuturno tempore variisque & diuersis cognitionibus, vt perficiatur in cognitione omnium, quæ se offerunt cognoscenda in obiecto. Quod autem ex variis cognitionibus, quibus perficitur intellectus in cognitione alicuius obiecti, vna non sit productiua alterius, hoc supponitur; argumentum enim procedit solum de illis cognitionibus, nam quãdo vna est alterius productiua, certum est quod ea quæ est productiua alterius, debet præcedere eam cuius est productiua, sed quando vna non est productiua alterius, vt accidit, quando varij & diuersi gradus qui sunt in obiecto intelliguntur per diuersas & successiuas cognitiones, tunc in illo casu dicimus imperfectiorem præcedere perfectiorem via originis & executionis.

Maior autem explicatur, antequã ad eius probationẽ accedamus primo enim dicitur, quod illud quod acquirit suam perfectionẽ per varios actus prius prorumpit in imperfectos quã in perfectos; si enim per vnicum actũ aliquid acquirat suam perfectionem, certum est quod actus ille debet esse perfectissimus, qui possit tali rei conuenire. Et per hoc soluitur instantia, quam faciunt aduersarij de aëre, qui in lucem imperfectam prius non fertur, quã in perfectam; dicimus enim quod aër non perficitur successiue, & per diuersos actus sibi inuicẽ succedentes, quamuis possit etiam dici, licet aër non perficiatur successiue à lumine, sed in instanti, tamen cum prius perfici ordine generationis secundum gradus communes & genericos lumini conuenientes, quam secundum gradum eius specificum & atomum, quia vt ex Arist. lib. 2. de gener. animal. cap. 3. refert S. Tho. loco

E

cit 1. p. ad 1. imperfectiora & potentialiora sunt priora via generationis; prius enim generatur animal quam homo (ait Arist.) ex quo fit, quod etiam si daretur, quod in prima intellectione, quam elicit infans, perficeretur omnino intellectus eius taliter quod perueniret in ea, vsque ad cognitionem gradus atomi illius rei, quam cognoscit (quod tamen esse falsum Arist. lib. 1. Phys. cap. 1. ostendit, cum constet experientiâ, prius, & iam tempore infantes nosse res secundũ ea, in quibus couenjũt, quam secundũ ea in quibus distinguntur, & propterea prædicti infantes in initio vocant omnes viros, patres, & omnes fæminas, matres, inquit idem Aristoteles) tamen intellectus eius prius via originis perficeretur à cognitione illa secundum quod respicit gradum entis, quam secundum quod respicit gradum atomum & vltimum: imo dico magis, licet non sit necesse in quacumque intellectione cognoscere prius gradum aliis vniuersaliorem quam inferiores; imò possit per præcisionem cognosci inferior gradus sine superiori, tamen concipere vnum gradum inferiorem sine gradu entis prius concepto, esse prorius impossibile: sicut enim non potest forma vlla naturalis informare materiam secundum gradum atomum, nisi prius informet secundum gradum corporis; ita impossibile est quod vllum obiectum præbeat se intellectui nostro cognoscendum secũdum vllum gradum, absque eo quod prius secundum gradum entis ei se offerat: & ratio est quia gradus entis est ratio formalis specificatiua intellectus nostri, & consequenter debet esse intellectui ratio attingendi quæcumque ab ipso attinguntur.

68. Secundò addidimus in eadem maiori vt firma & stabilis omninò redderetur quando aliquid perficitur per diuersos actus, quorum alij non sunt aliorum causa, tunc illud debere prius exsilire in actus, imperfectos, quam in perfectos, quia quando aliqui ex illis actibus sunt aliorũ causa, certum est, cum causa sit prior effectu suo quamlibet rem inclinari prius in prædictos actus, & consequenter prius in actus perfectiores propendere, cum omnis causa sit suo effectu perfectior. Et per hoc soluitur obiectio quam faciunt aduersarij de primis principiis, in quorum cognitionem prius propendet intellectus quam in cognitionem scientificam conclusionum, quamuis cognitio eorum sit longe perfectior cognitione conclusionum. Ratio enim quare intellectus prius in illam cognitionem inclinatur, est quia assensus præmissarum est causa assensus conclusionis.

Maior ergo sic explicata & exposita est omninò certa & expressa Aristotelis 8. Phys. cap. 7. & 9. Metaph. cap. 9. vbi habet ista verba *quæ ortu & origine posteriora sunt, sunt priora specie & essentia*, id est natura, vt vir puero, & homo semine, idem dicit lib. 2. de gener. animal. cap. 3. & potest euidenter ratione ostendi: tum quia actus imperfectiores disponunt subiectum ad perfectiorum receptionem: tum etiam quia inclinatio fundatur in sympathia, sympathia verò in assimilatione; ergo cum actus imperfecti maiorem habeant assimilationem cum potentia receptiua quam actus perfecti, quia magis accedunt ad rationem potentiæ

quam actus perfecti, debet potentia transiens de potentia in actum, prius prodire in actus imperfectiores quam in perfectiores.

Confirmatur ista ratio: quia intellectus intelligendo imitatur naturam; at natura prius producit ea quæ sunt imperfectiora, & per ea ad perfectiora aditum sibi parat: prius enim effingit embrionem quam animal, & animal quam hominem, & hominem quam Socratem. ergo etiam intellectus intelligendo prius procedit ad cognitionem imperfectam, qualis est entis cognitio, quam in cognitionem perfectam speciei & aliorum inferiorum entis.

Ens concretum quidditati materiali est id quod primò cognoscitur à nobis, non ens in tota latitudine sua.

§. IV.

69. SI autem quæras vtrum ens quod primò cognoscitur ab intellectu nostro, sit ens concretum quidditati sensibili, seu concernens quidditatem sensibilem & materialem; an verò ens in vniuersali amplitudine sua, sicut dicit tertia sententia?

Respondeo opinionem Caiet. quæ asserit ens, vt concernens quidditatem sensibilem & materialem, esse obiectum primo cognitum ab intellectu, videri longe conformiorē. Et ratio est quia cognitio fit secundùm quod cognitum est in cognoscente per speciem impressam; at species impressa prius continet in esse repræsentatiuo ens concernens quidditatem sensibilē, quam ens vt abstrahit ab illa concretione: & probatur, quia quoscumque gradus, quos concipiat intellectus, concipit semper illos ad modum quidditatis materialis & sensibilis: ergo quidditas sensibilis seu ens concernens eam, est id quod primo attingitur à nostro intellectu, posteriora enim induunt modum priorum, non autem è conuerso.

Confirmatur, si in prima cognitione qua intellectus intelligit, produceretur aliquod verbum, quod esset repræsentatiuum entis in sua ratione vniuersalissima sumpti, sicut dicit Masius quæst. 7. post argumentum 4. assertionis secundæ, sequeretur quod quicquid cognoscitur à nostro Intellectu, non cognosceretur ad modum quidditatis materialis, quia obiectum cognoscitur, secundùm quod relucet in verbo; at ex ipso Masio in prima cognitione producitur verbum quod est immediate repræsentatiuum entis, pro vt abstrahit à concretione quidditatis materialis: ergo in illa prima intellectione cognoscitur ens secundū quod abstrahit à concretione illa, & non mediante quidditate materiali, aut secundum quod relucet in ea. Ex quo sequitur quod posset noster intellectus speculari res quæ abstrahunt à materia secundum quod sunt in seipsis, absq; eo quod cernerentur vt in quidditate materiali relucent, quod certe est contra omnium Philosophorum consensum.

Quod si dicas, quando cognoscitur ens in illa vniuersali amplitudine, cognosci semper ad modum entis materialis.

70. Contra, quia si cognoscatur ad modum illius; ergo ens materiale prius cognoscitur: quomodo enim posset ens materiale modificare cognitionem entis illius vniuersaliter sumpti, nisi præcessisset & prius cognitum fuisset? quando enim intellectus cognoscit aliquid ad modum alterius, sumit normam, regulam, & exemplar cognoscendi ex illo, ad cuius modum aliud cognoscit; vnde sicut pictor pingẽs aliquid ad exemplar alterius, prius de necessitate debuit cognouisse illud ad cuius exẽplar aliquid pingit: ita intellectus noster imprimens, & veluti pingens in se imaginem ad exemplar & similitudinem alterius, debuit prius necessariò cognouisse illud, ad cuius similitudinem imaginem pingit & efformat. Et propterea illi qui asserunt, in cognitione entis rationis intellectum producere verbum ipsius entis rationis repræsentatiuum, dicunt semper debuisse præsupponi in intellectu cognitionem entis realis, ad modum cuius cognoscitur; ergo similiter, vt cognoscatur aliquid ad modum quidditatis materialis, debuit necessariò præcessisse cognitio quidditatis materialis ergo primo cognitum intellectus nostri pro statu præsenti erit quidditas materialis, seu ens concernens quidditatem materialem.

71. Confirmatur, quia ex D. Thoma 1. p. quæst. 84. art. 7. quæst. 86. art. 2. quæst. 88. art. 8. & alibi sæpius, quidditas materialis est obiectum motiuum & proportionatum intellectus nostri pro statu præsenti; quod etiam ipsemet Masius admittit: ergo cum obiectum motiuum dicatur motiuum ex eo quod mouet ad sui ipsius cognitionem, seu ad hoc quod sit terminus cognitionis, certè mouebit & excitabit intellectum, non vt secundarias partes termini cognitionis habeat, sed vt primarias eius partes obtineat: & consequenter prius cognoscetur quam quælibet alia ratio.

Dices cum Masio, quod intellectus in obiectum suum tendit ad gradus vniuersaliores prius cognoscendos; ergo cum ens secundum abstractionem à concretione quidditatis materialis consideratum, sit vniuersalius, quam ens concernens eam, prius cognoscetur secundum priorem illam considerationem, quam secundum posteriorem.

Respond. concedi anteced. si illi gradus vniuersaliores sint magis proportionati potentiæ intellectiuæ: negando autem illud si non sint ita ei proportionati: Vnde cum ens consideratum vt præscindit ab omni concretione quidditatis materialis non sit ita proportionatum intellectui nostro, sicut est ens concretum quidditati materiali, non exiget cognosci prius, secundum priorem illam considerationem, sed secundum posteriorem; quia, vt optimè dicit D. Thom. quæst. 2. de veritate art. 6. *Actio sequitur conditionem formæ per quam agens agit*: vnde cum species intelligibilis, per quam intellectus noster intelligit, sit educta à phantasmate, & quidditatem materialem, quæ in eo relucet, concernat; propterea debet cognitio sequi modum talis speciei, & primò consequenter respicere illud ens, quod quidditatem materialem concernit: non autem ens quod

præscindit à quidditatis materialis concretione & respectu.

72. Sed obiicies rursus & instabis prius debere ab intellectu nostro cognosci id, quod respondet intellectioni vt sic: ergo cum illud quod respondet ex parte obiecti intellectioni vt sic, sit ens vt sic, non autem ens vt concernit quidditatem materialem, debet prius ens vt sic cognosci, quam ens vt concretum quidditati materiali.

Respond. disting. anteced. debet prius cognosci ab intellectu illud quod correspondet intellectioni vt sic per modum obiecti intensiui, & proportionati illius, concedo. Illud quod correspondet intellectioni, vt sic per modum obiecti extensiui ipsius, nego: at licet ens in tota latitudine sua correspondeat intellectioni vt sic hominis per modum obiecti extensiui illius, illud tamen quod correspondet ei per modum obiecti intensiui, & proportionati est ens concernens quidditem materialem, & conseq. debet ens posteriori, non autem priori modo consideratum esse primo cognitum ab intellectu.

Dices ens concretum quidditati materiali correspondere solum intellectioni vt humanæ, non autem intellectioni vt sic: ergo assignandum est ens secundum totam vniuersalitatem suam pro obiecto intellectionis vt sic.

73. Respond. quod licet intellectio creata vt sic, provt prescindit à modo essendi quē habet in intellectione, vel humana, vel Angelica, respiciat ens in communi, absque eo quod determinet specialem modum secundùm quem respiciat illud ens, & negatiuè se habeat ad hoc vt respiciat illud, vel vt relucet in quidditate materiali, vel vt relucet in quidditate & substantia spiritali: tamen si consideretur secundùm modum essendi quem habet in intellectione humana, iam determinatur ex vi illius modi ad hoc vt quæcumque respicit, etiam secundū rationem intellectionis, respiciat ea vt relucent in quidditate materiali. Et ratio huius rei esse potest; Primo quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; ergo ratio generica intellectionis determinabitur in intellectione humana ad tendendum in obiecta sua, quatenus illa vestita sunt, & inuoluta quidditate materiali. Secundo quia actus & potentiæ modificant & determinant se ad inuicem: ergo ratio generica intellectionis determinationem & modificationem accipit à differentia intellectionis humanę, conformem & proportionatam naturæ talis differentiæ. Tertio quia differentia complet vim agendi, quæ est in ratione generica; cum enim agere fundetur in actualitate, & ratio generica sit solum actus imperfectus, debet conseq. compleri & perfici in virtute agendi à differentia, & sic ratio generica intellectionis in intellectione humana, sapiet naturam differentiæ illius. Quarto, quia sicut rami ab eadem radice prodeuntes, eius naturam sapiunt: Ita ratio generica & differentialis intellectioni sab eadem forma humana prodeūt debent sapere, naturam talis formæ. Quinto, & hæc potest esse præcedentis confirmatio, quia, vt suprà ex D. Thom. q. 2. de verit. art. 6. retulimus, intellectio, sequitur modum illius formæ, quæ est principium ipsius: v[illegible] cùm species intelligibilis quæ est intelle-

ctionis humanæ principium repræsentat pro præsenti statu, quæcumque repræsentat, mediante quidditate materiali, propterea intellectio humana modum quemdam à specie illa impressa recipit per quem determinatur secundùm omnes rationes suas ad tendendũ in ea omnia, in quæ fertur, mediante quidditate materiali, seu mediante ente, quidditatem materialem concernente: & consequenter ens concretum quidditate materiali debet esse id, quod primò pro præsenti statu attingitur ab intellectione humana, considerata secundùm omnes rationes suas.

Proponuntur & soluuntur Obiectiones.

§. *Vltimus.*

OBiicies primo, omne agens naturale producit effectum præstantissimum quem potest producere; sed omnia quæ concurrunt ad intellectionẽ sunt agentia naturalia, illa enim quæ concurrunt sunt intellectus agens & patibilis, & phantasma illuminatum: ergo producent effectum præstantissimum quem possint producere. Sed cognitio speciei atomæ est præstantior cognitione entis; ergo.

74. Respondetur primò, si quid probat argumentum, probare in prima cognitione cognosci speciem atomam distinctè: quia cognitio distincta speciei atomæ est præstantior cognitione confusa ipsius. Vnde respondetur secundò, quod agens naturale producit effectum secundùm exigentiam, capacitatem, & dispositionem subiecti: vnde cum homo in primo illo instanti quo cognitionem primam exercet, non sit dispositus sufficienter ad perfectissimam, quam potest habere cognitionem, nec etiam ex natura sua requirat eam in primo illo instanti habere (quia homo est inter creaturas intellectuales imperfectissima, tendens in perfectionem suam non vno momento, sicut Angeli, sed successu temporis acquirendam) hinc fit quod primò tendat & inclinetur in cognitiones imperfectiores, vt paulatim per eas ad perfectiores disponatur.

Obiicies 2. Illud quod efficacius mouet intellectum prius cognoscitur; sed species atoma efficacius mouet intellectum: ergo. Maior videtur certa: probatur minor. Illud cuius indiuiduum prius & efficacius mouet sensum, prius & efficacius mouet intellectum; sed species atoma est illa, cuius indiuiduum prius & efficacius mouet sensum: ergo species atoma est illa quæ prius & efficacius mouet intellectum. Maior videtur esse certa: quia cum omnis nostra cognitio oriatur à sensibus, illud cuius indiuiduum efficacius mouebit sensum, maiorem etiam vim habebit ad mouendum intellectum. Vnde sic potest illa maior in forma probari: obiectum non mouet intellectum nisi mediante phantasmate in phantasia producto: ergo illud cuius indiuiduum prius & efficacius mouebit mediante phantasmate sensum phantasiæ, prius & efficacius mouebit intellectum. Minor autem probatur: quia indiuiduum mouet sensum; ergo magis indiuiduum speciei magis sensum mouebit.

74. Respondetur dato quod spe-

cies atoma efficacius moueat intellectum, solum ex hoc probari prius ordine intentionis cognosci speciem atomam, quam gradum entis; non tamen prius, ordine executionis & generationis: sicut enim ordine executionis agens naturale non prius se communicat in generatione secundùm gradum specificum & atomum quam secundùm gradus communes, licet maiorem vim habeat communicandi se secundùm gradum vltimum, vt potè magis in actu secundùm eum, quàm secundùm alios gradus; ita licet species atoma maiorem vim haberet mouendi intellectum ex gradu vltimo quam ex gradu entis, tamen nō sequeretur, quod prius ordine executionis preberet se intellectui cognoscendum secundùm gradum atomum, quam secundùm gradum illum communem.

Respondeo secundò quod obiectum adæquatum motiuum maiorem vim habet ad primò se offerendum potentiæ, quam quodcumque aliud obiectum inadæquatum: vnde sicut album non mouet visum nisi ratione colorati, & consequenter coloratum prius mouet visum quam album, vt sic: ita quia ens concretum quidditati materiali est obiectum adæquate motiuum & proportionatum intellectus nostri pro præsenti statu, propterea species atoma non mouet intellectum nisi prius conceptu entis moueatur, & conseq. efficacius ens mouebit intellectum quam species atoma. Et ad illud quod obiicitur in argumento, quod obiectum mouet intellectum mediante sensu & phatasmate in phantasia producto, respond. quod licet ita sit; tamen obiectum non mouet intellectum eodem modo ac sensum. Deinde licet singulare sensum moueat, non tamen mouet illum, vt est formaliter singulare speciei atomæ, & ratione talis singularitatis, alioquin certè solum illud singulare posset à sensu cognosci, quia non potest sensus, vltra suum specificatiuum se extendere. Singulare ergo mouet sensum inquantum est singulare entis sensibilis, non autem vt est singulare speciei atomæ, vt sic tribuatur sensui aliqua ratio, quæ æque vniuersaliter se extendat, ac sensus cuius est specificatiua: & propterea etiam quando videtur aliquod coloratum, v. g. Petrus, prius videtur secundum quod est quoddam ens coloratum, quam secundùm quod est hc homo coloratus, vt docet expressis terminis D.Thom. lect. 1. in c. 1. lib. 1. Phys. & 1. p. q. 85. adeo verum est rationes magis communes prius cognosci quam cæteras quæ non sunt ita vniuersales. Vt etiam hoc in sensibus externis verificetur.

Obiic. 3. illud quod est abstractione facilius, illud est quod est respectu nostri intellectus notius, & prius consequenter ab eo cognitum; atqui species atoma potest facilius abstrahi, quam ens, quia à paucioribus debet abstrahi, quam ens; ergo.

76. Resp. necessarium non esse vt aliquid cōcipiatur per abstractiuum conceptum, quod noster intellectus ea omnia cognoscat, a quibus præscindit conceptus ille quem cognoscit, sed sufficit quod illū conceptum cognoscat, aliis à quibus præscindit nō cognitis, quod quidem tanto facilius præstat intellectus, quanto conceptus magis est cōmunis, quia talis conceptus in pluribus se offert, & à paucioribus est ab intellectu distinguendus, vt ab eo cognoscatur.

Dices quod species atoma est magis confusa quam ens: quia in ea plura continentur quam in ente: ergo cum illud quod est magis confusum prius confusa cognitione cognoscatur, species atoma prius cognoscetur quam ens.

Respond. quod plura potentialiter in ente continentur, quam in specie atoma, confusio autem oritur, non ex continentia quacumque plurium, sed ex continentia inordinata, & consequenter ex potentiali continentia, non ex actuali: quia actus est qui distinguit & ordinat; vnde cum plura secundùm rationem potentię contineantur in ente quam in specie atoma, conceptus entis conseq. magis erit confusus, quam conceptus speciei atomæ.

Obiicies quarto, ex Aristot. 1. Phys. textu.. 5. prius definitum cadit in cognitione nostra, quam partes definientes: ergo cum ens & omnes alij gradus sint vnâ cum differentia partes speciem atomam definientes, prius species atoma cognoscitur quam ens.

77. Respond. ex D. Thoma 1. p. q.85. art.3. ad 2. quod totum debet prius cognosci confusa cognitione, quam partes cognoscantur cognitione distincta, si considerentur formaliter, vt partes sunt definiti; sed si cõsiderentur absolutè possunt prius cognosci quam totum, & sic, inquit, D. Thomas, debet prius animal, quam homo cognosci.

Obiicies quinto ens est obiectum Metaph. ergo cum Metaph. sit difficilior quacumque altera scientia, (& propterea etiam vltimò addiscitur) debet ens esse conceptus aliis omnibus cognitu difficilior.

Respond. ens, quod primò cognoscitur ab intellectu nostro esse ens concernens quidditatem materialem; at ens quod est obiectum Metaphysicæ, est ens abstractum ab omni materia, & concernens ipsasmet substantias spiritales tanquam partes subiectiuas obiecti sui adæquati, & tale ens est valde intellectui nostro cognitu difficile, & maximè scientifica cognitione, vt ex D. Thoma quæst. sequenti num. 83. videbimus.

QVÆSTIO V.

Vtrum Metaphysica sit Sapientia.

Quæstio resoluitur.

§. I.

78. Notandum estprimò ex D. Thoma 2.2. quæst. 45. art. 1. & 1. p. q. 1. art. 6. in c. quod duplex datur Sapientia, altera quæ in aliquo solum determinato genere dicitur talis, alterà verò quæ absolutè & simpliciter dicitur talis. *Ille enim* (inquit Sanctus Doctor) *sapiens dicitur in vnoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis: vt in genere ædificij, artifex, qui disponit formam domus dicitur Sapiens, & Architector respectu aliorum artificum qui dolant ligna & lapides, vel qui parant cementum, Vnde dicitur, 1. Cor. 3. vt Sapiens Architector ego fundamentum posui. Et rursus in genere totius humanæ vitæ prudens sapiens dicitur, inquantum ordinat humanos actus ad debitum finem: vnde dicitur Prov. 10. Sapientia est viro prudentia. Ille igitur qui simpliciter considerat altissimam causam totius*

totius vniuersi, qua Deus est, sapiens dicitur, vnde & sapientia dicitur esse diuinorum cognitio, hæc S. Thomas loco citato 1. p.

Secundò notandum est ex eodem SS. præceptore eodem loco 1.p.ad 3. *quod cum iudicium ad sapientiam pertineat: secundùm duplicem modum iudicandi dupliciter sapientia accipitur: contingit enim aliquem iudicare vno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis rectè iudicat de his quæ sunt secundùm virtutem agenda, inquantum ad illa inclinatur. Vnde & in 10. Ethic. dicitur quod virtuosus est mensura, & regula actuum humanorum alio modo per modum cognitionis: sicut aliquis instructus in scientia morali possit iudicare de actibus virtutis, etiamsi habitum virtutis non haberet*: hæc S. Thomas. Hoc posito difficultas non procedit de sapientia, quatenus est primo modo de rebus iudicatiua; quia hoc modo iudicare ad sapientiam pertinet, quæ practica est: neque etiam de sapientia in aliquo genere determinato, sed de sapientia speculatiua, & per modum cognitionis, & quæ simpliciter, & non solum in aliquo genere determinato dicatur talis.

Circa hanc difficultatem non est diuersitas opinionum inter Metaphysicos, sed omnes cum Aristotele conueniunt Metaphysicam esse veram & perfectam sapientiam.

79. Probatur primò ratione desumpta ex supposit. Illa scientia quæ considerat altissimas causas est simpliciter sapientia; talis est Metaphysica; & probatur ex eodem Diuo Thoma, hic lectione 2. litt. M. vbi minorem hanc sic probat. Illa scientia quæ considerat causam rerum omnium, supremam & altissimam causam considerat; at Metaphysica hoc facit, quia Metaphysica considerat finem huius vniuersi, & vniuersum bonum ipsius, cum tale bonum cadat sub abstractione Metaph. quæ est abstractio ab omni materia; ergo.

Secundò probatur; sex conditiones & proprietates sapientiæ conuenientes, Metaphysicæ conueniunt, ergo Metaphysica est sapientia. Conseq. patet. Probatur anteced. enumerando sex illas proprietates quas hic Aristoteles lectiones 2. apud Diuum Thomam in sapientia exigit; requirit enim quod sapientia sit circa omnia, circa difficilia, quod de his quæ scit, sit certa, quod cognoscat & doceat per altissimas causas. Quintò, quod quæratur & sit propter se, & tandem quod sit Architectonica, princeps, & domina aliarum scientiarum, non autem famula earum: At sex illæ proprietates Metaphys. conueniunt. Primò enim Metaphysica discurrit circa omnia, quia cum sit scientia vniuersalis, & circa rationes vniuersalissimas versetur, quæ omnibus entibus conueniunt, debet ex consequenti de omnibus disputare; inquantum saltem in illis rationibus vniuersalibus conueniunt. Secundò cognoscit difficiliora, quia vniuersalia de quibus Metaphysica cognoscit sunt abstractiora & difficiliora cognitu, cognitione distincta & perfecta, de qua est hic sermo.

Tertiò de his quæ scit certissima est, quia per causas scit valde vniuersales, valde in actu, & consequenter valde immobiles, & certas. Quomodo cognoscat per cau-

ſas valde vniuerſales & conſequenter perfectius doceat quam aliæ ſciẽtiæ, quæ eſt quarta conditio, hoc eſt euidens, quia cum obiectum eius ſit vniuerſaliſſimum in omni ente creato repertum, debet neceſſariò iudicare de eo per cauſam vniuerſaliſſimam, & quæ ſe ad omnia entia extendat. Quintò cognoſcit obiectum propter ſeipſam & gratia ſui; quia ſcientia quæ eſt de maximè ſcibilibus, eſt maximè gratia ſui; at Metaph. eſt de maximè ſcibilibus, quia cum ſcire ſit rem per ſuam cauſam cognoſcere, quo ſuperiores erunt & vniuerſaliores cauſæ per quas ſcientia procedet, eo erit de magis ſcibilibus; ergo cum Metaphyſica procedat per primas & vniuerſaliſſimas cauſas, erit de maximè ſcibilibus: ergo erit maximè propter ſe & gratia ſui. Quod ſic probatur, quia illa ſcientia quæ eſt maximè propter ſuum cognoſcere, eſt maximè gratia ſui; ſed illa ſcientia quæ eſt de maximè ſcibilibus, eſt maximè propter ſuum cognoſcere; ergo. Maior patet ex terminis, quia ſcientia ordinatur ad ſuum cognoſcere ex ſe & propter ſe: ergo ſi ordinatur ad ſuum cognoſcere maximè, ordinabitur ad illud maximè propter ſe & gratia ſui. Minor autem probatur: quia quo ſcibilia ſunt perfectiora, eo magis eorum cognitio propter ſe appetitur; ergo cognitio eorum quæ erunt maximè ſcibilia, erit propter ſe & gratia ſui maximè appetibilis, & conſequenter non ratione alterius. Sextò tandem Metaphyſica eſt Architectonica, princeps & domina aliarum ſcientiarum, quia cum verſetur circa maximè intelligibilia & maximè abſtracta à materia, cauſaſque vniuerſaliſſimas, debet eſſe maximè intellectualis. Ergo, cum ad illam ſcientiam quæ eſt maximè intellectualis, ordinare, regere & moderari alias pertineat, ad Metaphyſicam ſpectabit alias moderari per modum reginæ & dominæ earum. Vide quoad hanc Metaphyſ. proprietatem D. Thom. in prologo; & Flandriam libro primò Metaphyſ. quæſt. 1. art. 1. 2. & 3. & q. 8. art. 2.

80. Quod autem ſex præallegatæ proprietates debeant conuenire ſapientiæ, probat ſic Ariſtoteles, non dicitur quis ſapiens ex eo quod ſciat ſolum aliqua: Ergo vt dicatur talis debet omnia ſcire: ergo ſapientia debet verſari circa omnia, & ecce primam proprietatem. Secundò ſapiens aliquis dicitur ex eo quod aliquid ſupra vulgares homines norit: Ergo cum faciliora nota ſint vulgaribus etiam hominibus, vt quis dicatur ſapiens, debet noſſe difficiliora; & ecce ſecundam. Tertiò, cum certitudo conueniat cuilibet ſcientiæ, multò magis debet id perfectiſſimæ omnium ſcientiæ conuenire; & ecce tertiam. Quartò cum ſcire ſit rem per ſuam cauſam cognoſcere, ſupremæ ſcientiæ, qualis eſt ſapientia, erit res per altiſſimas & ſupremas cauſas cognoſcere, & docere conſequenter perfectiori modo quam ſcientias particulares; & ecce quartam. Et ex eodem medio poſſunt aliæ duæ proprietates probari: quia eo ipſo quod ſapientia ſit prima & ſuprema inter ſcientias, eo ipſo debet eſſe maximè propter ſeipſam, aliaſque ſcientias moderari tanquam regina & domina earum. Vide Flandriam lib. 1. Metaph. q. 7. art. 1.

81. Probatur tertiò. Illa scientia quæ versatur circa principia vniuersalissima debet esse sapientia; Metaphysica est talis : Ergo. Minor probatur, ad eamdem scientiam pertinet considerare effectum, & causam propriam talis effectus: ergo cum ad Metaphysicam pertineat considerare ens creatum, ad eamdem pertinebit considerare causam propriam entis creati vt sic; sed causa prima & vniuersalissima, est causa propria entis creati vt sic : ergo. Probatur minor : quia qualis est ordo effectuum, talis debet esse& ordo causarum, vt dicit sanctus Doctor quæst. 3. de potentia, art. 4. sed gradus entis est primus & vniuersalissimus omnium : ergo prima & vniuersalissima omnium causa, debet esse causa propria illius: & consequenter ad Metaphysicam pertinebit considerare primam omnino, & vniuersalissimam omnium causam.

82 Maior autem primi argumenti probatur, quia scientiæ consideranti prima & vniuersalissima principia conueniunt sex sapientiæ proprietates : Ergo debet esse sapientia. Consequentia patet, probatur anteced. quia scientia quæ considerat aliqua principia, considerat etiam ea ad quæ se extendunt huiusmodi principia : Ergo cum prima & vniuersalissima principia se extendant ad omnia, scientia quæ considerabit ea, occupabitur etiam circa omnia. & ecce primam sapientiæ proprietatem. Secundò prima & vniuersalissima principia sunt maximè abstracta à materia & consequenter maximè in actu : Ergo licet sint secundum se intellectui peruia, quoad nos tamen erunt difficillima ; & sic scientia quæ est circa illa principia, erit circa difficillima ; & ecce secundam. Tertiò principia prima & vniuersalissima eo ipso quod sint valde abstracta, & valde in actu, eo ipso sunt valde immobilia, & valde consequenter certa ; ergo scientia quæ versatur circa ea, est valde certa, & ecce tertiam. Quartò principia prima & vniuersalissima sunt causæ causarum, & consequenter scientia quæ est circa ea altissimas causas considerat, per quas longè diuinius docet quam aliæ scientiæ per causas particulares faciant ; & ecce quartam, per quod magis adhuc probatur tertia: quia cum certitudo scientiæ consistat in hoc quod per causam cognoscat, illa scientia quæ per causam altiorem & per causam causarum cognoscet, erit eminentissimo modo certa, iuxta tritum illud axioma ; sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Quintò cum illa principia sint ea per quæ alia sciuntur, debent esse maximè scibilia, iuxta illud, propter quod vnumquodque tale & illud magis ; & cum illa scientia quæ est de maximè scibilibus, sit maximè gratia sui, vt ostensum est ratione præcedenti, illa scientia quæ attinget principia prima & vniuersalissima erit maxime propter se & gratia sui, & ecce quintam. Et tandem sexta ei etiam conuenit : quia sicut ars quæ habet finem vniuersaliorem imperat arti alteri quæ non habet finem ita vniuersalem, vt ars nauis gubernatoria arti nauifactoriæ, & ars equestris arti frænofactoriæ ; ita scientia quæ consi-

mitatione (addendo fere) illa enim quæ sunt à materia pœnitus separata, sicut sunt substantiæ immateriales, sunt magis à cognitione nostra remota quam sint ipsamet vniuersalia.

85. Secundò posset respond. quod Aristot. non dicit quæcumque vniuersalia esse magis cognitu difficilia, sed maximè vniuersalia: vnde possent ista duo loca Arist. quæ apparentem videntur inter se habere pugnam, sic concordari, vt lib. 1. Physic. intelligeretur Arist. de vniuersalibus, quæ non sunt ita abstracta, sicut sunt Metaphysicalia, hic autem de vniuersalibus Metaphysicalibus & ab omni materia abstractis. Et hæc solutio fundamentum habet in re: certum est enim quod in Physica loquebatur Arist. de vniuersalibus Physicis, & hic in Metaph. de Metaph. licet ergo detur, quod vniuersalia Physicalia quæ à sensibili quidditate & materiali non abstrahunt, sint notiora quoad nos, quia maiorem habent cum quidditate materiali, quæ est obiectum motiuum nostri intellectus, conformitatem; tamen vniuersalia quæ abstrahunt ab omni prorsus materia, sicut sunt Metaphysicalia, sunt difficiliora cognitu quã minus vniuersalia, quæ non gaudent tali abstractione Metaph. si sermo sit de cognitione perfecta, accurata, & distincta.

Obiicies tertiò: Metaphysica non est certior Mathematicis, cum Mathematicæ procedant ex principiis euidentissimis, & ad sensum notissimis.

86. Respond. quod hoc argumentum probat solum Mathematicas esse scientias certiores quoad nos, & sensibili veluti cognitione, non autem quoad se: cum constans sit Mathem. principia, per Metaphysicalia, vt pote vniuersalissima, & transcendentalia posse probari.

Obiicies quartò, aliæ scientiæ non minus videntur aptæ ad docendum quam Metaph. Ergo Metaph. non magis meretur nomen sapientiæ quam cæteræ scientiæ: conseq. patet. probatur anteced. quia cæteræ scientiæ non minus docent per proprias causas quam Metaph. ergo cæteræ scientiæ non minus sunt ad docendum idoneæ quam Metaphysica.

Respond. quod aliæ scientiæ non docent per causas æque independẽtes ac sunt causæ, per quas Metaph. docet; imò principia quibus cæteræ scientiæ subiiciuntur, subordinantur iis ex quibus Metaph. procedit, & per ea rursus probari possunt: & conseq. Metaphysica longè aptior est ad docendum quam cæteræ naturales scientiæ.

Quod si quæras per quæ genera causarum Metaphyca demonstret?

87. Respond. per omnia genera causarum demonstrare. Nec contrarium docet Soncinas lib. 4. Metaph. quæst. 14. quicquid dicat Suar. quia licet neget Metaph. demonstrare per genus causæ materialis, tamen in responsione ad primum explicat seipsum dicendo quod intendit solum docere Metaph. non demonstrare aliquid per materiam sensibilem, & qualitatibus sensibilibus vestitam, cum ab illa materia abstrahat, sed non negat quod possit demonstrare per causam materialem, pro vt causa materialis sumitur pro subiecto & pro potentia passiua atque receptiua. Certũ est enim quod

omnes proprietates possunt per definitionem essentiæ de ipsamet essentia, tanquam subiecto in quo sunt demonstrari, non solum tanquam per causam vel formaliter vel virtualiter efficientem, aut tanquam per causam formalem atque finalem, sed etiam tanquam per causam materialem atq; receptiuam: essentia enim rei exercet omnia genera causarum circa suas proprietates: Proprietates enim sunt propter essentiam rei cuius sunt proprietates, & consequenter dependent ab ea in genere causæ finalis. Deinde vel formaliter vel virtualiter ab ea dimanant; formaliter quidem, quando distinguuntur realiter ab ea, sicut sunt proprietates hominis, vel Angeli, ab essentia hominis, vel Angeli; virtualiter autem quando solum distinguuntur ab essentia ratione ratiocinata, sicut sunt proprietates entis ab ente, & proprietates Dei à Deo. ergo cum causa dimanatiua ad efficientem reducatur, vt docent Complut. nostri in sua Physica disput. 10. quæst. 7. §. 1. proprietates pendebunt ab essentia, cuius sunt proprietates tanquam à causa vel formaliter vel virtualiter effectiua. Tertiò dependent etiam ab ea in genere causæ formalis, quia proprietates sunt participationes formales illius essentiæ, cuius sunt proprietates, & propterea per ordinem ad illam definiuntur tanquam per ordinem ad suam formam; illud enim per ordinem ad quod aliquid definitur habet rationem formæ respectu eius quod definitur. Quartò & vltimò dependent ab ea tanquam à subiecto in quo recipiuntur, & consequenter essentia habet rationem causæ materialis respectu earum. Et sic proprietates dependent in quocumque genere causæ ab essentia cuius sunt proprietates, & consequenter per definitionem essentiæ possunt proprietates de ea demonstrari in quocumque genere causæ. Videatur Soncinas loco cit. Suarez disp. 1. Metaph. sect. 5. nu 38. & seq. Flandria 3. Metaph. quæst. 2. art. 1.

Obiicies quintò. Logicæ potius conuenit docere quam Metaph. & propterea Logica vendicat sibi secundum aliquam sui partem, nomen docentis: ergo cum illa scientia quæ est sapientia, debeat esse aptior ad docendum, quam cæteræ scientiæ, Metaph. non erit sapientia.

88. Respond. quod Logica dicitur solum docens, inquantū generalem methodum tribuit definiendi, diuidendi, & argumētandi in forma, quæ quidem omnia sunt solū entia quædam rationis; at Metaphysica docet, prebendo media ad educendas conclusiones in cæteris scientiis, & ad probanda ipsa principia aliarum scientiarum, quando de facto ab aliquibus negantur.

Obiicies: sapientia debet esse gratia sui, vt patet ex quinta proprietate sapientiæ; atqui Metaph. non est gratia sui: & probatur, quia ordinatur ad alias scientias; ergo.

Respond. quod Metaph. non ordinatur ad alias scientias tanquam ad suum finem, sed per modum imperatricis & moderatricis earum: & conseq. manet semper Metaphysicam esse propter se & gratia sui.

Ex iis soluta manet quæstio in qua quærūt hic aliqui, vtrum Metaph. sit speculatiua, cū enim sciētia speculatiua dicatur talis ex eo quod sit propter se, seu propter suum cognoscere; eo ipso quod Metaph. sit gratia

sui, debet de necessitate asseri quod Metaph.sit speculatiua: nec videtur in hac re magis immorandum esse, suppositis iis, quæ de praxi & speculatione à PP. N. Complutensibus in Logica disp.1. proem. quæst. *6*. per totam & maxime §. 1. doctissimè elucidantur. Si vis videre plura consule Flandriam libro primo. Metaph. quæst. 8. art. 5. & lib. *6*. quæst. 5. art. 1. vbi ex professo hanc agitat quæst.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Metaphysica superet in dignitate & perfectione non solum cæteras scientias naturales, sed etiam ipsum habitum primorum principiorum?

Resolutio quæstionis.

§. I.

89. PRima pars huius quæst.inter auctores nō controuertitur; omnes enim vno ore concinunt Metaphysicam cæteris scientiis naturalibus esse anteponendam. Et ratio est: primò quia virtus cognoscitiua quæ vniuersalius habet obiectum est perfectior, & propterea sensus communis præeminet sensibus externis, phantasia sensui communi, & intellectus cuicumque sensui tam interno, quam externo: ergo cum Metaph. versetur circa obiectum vniuersalius & abstractius quam sit obiectum aliarum scientiarum, Metaphysica erit aliis quibuscunque sciētiis naturalibus perfectior.

Secundò potest illud idem roborari ex eo quod Metaph. demonstret per causas altiores & sublimiores, magisque consequenter certas quam aliȩ scientiæ: ergo nullum potest esse dubium, quin Metaph. cæteras scientias naturales dignitate superet; Quam veritatem longius probatam inuenire poteris apud Flandriam 1. Metaph. quæst.8. art.8. apud Soncinatem 4. Metaph. quæst. 14. & apud Aranium lib. 1. Metaph. quæst.5.art. 5. cui cum omnibus aliis Metaph. suffragatur, hic D. Thomas lect. 2. & 3. necnon opusc. 70. super Boët. quæst.5. art.1. in cap. difficultas ergo tota est vtrum Metaph. non solum scientias naturales, sed etiam ipsum habitum primorum principiorum excedat.

90. Pro cuius intelligentia notandum est ex D. Thoma 1. p. quæst. 1. art.5.1.de anima lect. 1. 1. 2. qu. *66*. art.5. ad 3. quod perfectio & nobilitas alicuius habitus intellectualis speculatiui sumitur ex duobus, ex nobilitate scilicèt obiecti, seu materiæ, circa quam versatur, & ex certitudine ipsius.

Hoc posito prima sententia asserit Metaphysicam superare in dignitate habitum primorum principiorum. Ita asserit Aranius lib. 1. Metaph. quæst.5.art.5. cuius sententiȩ fautores debent esse illi qui tenent sapiētiam habitu primorum principiorum perfectiorem esse, cum Metaph. sit sapientia, pro qua sentent. citātur ab Aranio l.1. Metaph. q.5.art.1.Soto li. 1.poster. q.2. Herueus quod li.*9*.q.5. Caiet.in art.2. quæst.57. cap.2.Flandria 1.Metaph.quæst.8.ar.1.ad quintum.

Secunda sententia est Metaphysicam non excedere simpliciter in nobilitate & perfectione habitum primorum principiorū, sed potiusè con-

uerso. Ita debent tenere quicunque docent sapientiam esse sub genere scientiæ tanquam speciem eius perfectissimam. In quâ sententia conspirant Gonzalez disp. 6. 1. p. Bannez 1. p. dub. 1. in art. 6. quæst. 1. Caiet. 1. poster. cap. 10. §. vltimo. Suarez in sua Metaph. disp. 1., sect. 5. §. vltimo. Fonseca 1. Metaph. cap. 2. & Complu. nostri in Logica disp. 20. quæst. 3. Flandria quæst. 1. 1. Metaph. art. 1. ad 1. vbi D. Thomam citat qui opusc. 70. quæst. 5. art. 1. ad 1. hanc sententiam apertis terminis sequitur & manifestius quæst. 2. articulo 2. ad 1. & 2. 2. quæstio 9. art. 2.

Conclusio ergo nostra sit. Licet Metaph. secundum quid sit intellectu, seu habitu primorum principiorum perfectior, simpliciter tamen in perfectione ab eo exceditur.

Probatur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 51. art. 2. in cap. & ad 3. vbi dicit habitum primorum principiorum esse perfectiorem habitu, qui est circa conclusiones: Ergo cum Metaph. versetur circa conclusiones, excedetur simpliciter in perfectione ab habitu primorum principiorum.

91. Probatur ratione. Metaph. est producta ab habitu primorum principiorum: ergo Metaph. non potest esse simpliciter, & absolutè perfectior habitu primorum principiorum, sed potius è conuerso. Consequentia est euidens, quia impossibile est quod effectus excedat perfectionem suæ causæ, cum quicquid habet effectus, illud emendicet à sua causa. Anteced. autem probatur, omnis habitus per demonstrationem acquisitus producitur ex vi habitus primorum principiorum; Metaphysica est talis. Ergo Maior patet ex D. Thom. loco statim citato, & potest adhuc probari quia eodem modo debent comparari habitus inter se quo comparantur inter se eorum actus; atqui actus habitus primorum principiorum comparantur ad assensus scientificos, qui per demonstrationem generantur, tanquam causa ad effectum: ergo habitus primorum principiorum comparatur ad habitum scientificum & per demonstrationem acquisitum; sicut causa ad effectum. Deinde potest illa eadem maior sic illustrari, quia quod est causa causæ, vt causæ, formaliter est causa causati; sed habitus primorum principiorum causat formaliter per assensum suorum principiorum assensum conclusionis, quatenus talis assensus est causa habitus scientifici, & per demonstrationem acquisiti: ergo habitus primorum principiorum est causa habitus scientifici, & per demonstrationem acquisiti.

Quod autem Metaph. sit habitus per demõstrationem acquisitus probatur, quia Metaph. non est innata, alioquin omnes homines essent naturaliter Metaphysici & sapientes: ergo cum Metaph. sit habitus discursiuus, euidens, & certus debet de necessitate esse acquisitus per demonstrationem: quia omnis habitus acquisitus, acquiritur immediatè ex vi actuum similium iis, in quos inclinatur; & cõsequenter si Metaphysica sit demonstratiua, ex demõstratione debet immediatè generari, & mediatè ex habitu primorum principiorum, tanquam ex causa quadam æquiuoca & quodammodo vniuersali.

92. Probatur secundò, habitus primiorum

morum principiorum perficit supremam partem intellectus, secundum quam intellectus est Deo Angelisque magis similis, cum perficiat eum secundum quod est iudicatiuus sine discursu. Ergo cum habitus tanto sit perfectior, quanto magis modum cognitionis diuinæ & Angelicæ nostram assimilat, habitus primorum principiorum erit absolutè & simpliciter Metaph. perfectior.

Probatur tertiò, habitus intellectiuus qui respicit obiecta sua sub abstractione, magis illimitata est perfectior eo, qui respicit sua obiecta sub aliqua abstractione magis contracta & limitata; atqui Metaph. respicit sua obiecta sub aliqua determinata abstractione; intellectus verò seu habitus primorum principiorum respicit sua obiecta sub quacunque abstractione: & propterea versatur circa principia, quorum alia abstrahunt à materia solum particulari, vt sunt principia Physices: alia quæ abstrahunt à materia sensibili, vt sunt principia Mathematicæ: alia quæ abstrahunt ab omni materia, vt sunt principia Metaphysicæ: ergo.

93. Probantur quartò, ille habitus intellectualis qui est euidentior & certior, est simpliciter & absolutè perfectior eo, quem in certitudine & euidentia superat; sed habitus primorum principiorum excedit in certitudine & euidentia habitum Metaphysicæ: ergo cum vterque habitus sit habitus intellectualis, habitus primorum principiorum erit superior & nobilior habitu Metaphysicæ. Maior est certa: quia finis habitus intellectualis & optimum quod est in eo, est dare intellectui certitudinem & euidentiam obiecti in quod inclinatur: ergo cum intellectualis habitus quo euidentior est & certior, eo maiorem euidentiam & certitudinem intellectui tribuat eo etiam erit perfectior & nobilior.

Minor autem probatur: quia illud quod est per se certum & euidens, est magis certum euidens, quam illud quod est solum certum & euidens per aliud; sed habitus primorum principiorum est per se certus & euidens, habitus autem Metaphysicæ est solum certus & euidens per aliud, per ipsum scilicet habitum primorum principiorum, cum scientia sit habitus per demonstrationem acquisitus: ergo habitus primorum principiorum est certior & euidentior habitu Metaph. & conseq. eo perfectior.

Confirmatur, quia ex communi Logicorum axiomate, propter quod vnum quodque tale & illud magis; ergo cum habitus Metaphysicæ sit solum certus & euidens per habitum primorum principiorum; cum Metaph. sit sub genere scientiæ, habitus primorum principiorum erit magis certus & euidens, & magis consequenter perfectus quam habitus Metaphysicæ.

Dices, non solum Metaphysicam versari circa conclusiones, sed etiam circa prima principia, cum supra ea reflectat, & contra negantes ea probet.

94. Respond. licet hoc admittatur, hoc tamen non arguere, quod Metaph. sit perfectior simpliciter habitu primorum principiorum, sed solum secundum quid: quod euidenter ostenditur. Vel enim reflectendo supra sua principia probat ea à priori, vel à posteriori: si à posteriori, hoc non arguit quod sit simpliciter & absolutè, sed solum secundum quid; ha-

bitu principiorum perfectior, quia habitus principiorum manebit semper secundum se & ex natura sua euidentior & certior: Si autem probet ea à priori; ergo probabit ea per aliqua principia quæ erunt immediatiora, euidentiora, & certiora iis quæ probat per ea,& consequenter dependebit in certitudine probationis suæ ab aliquibus primis principiis notioribus, & per consequẽs etiã ab habitu eorum:& sic manebit semper habitus principiorum euidentior & certior Metaph. eaque perfectior.

Et si dicas quod Metaph. non solum reflectit supra sua principia probando ea, sed etiam iudicando simpliciter de iis.

95. Respondeo, licet Metaph. sit perfectissima species scientiarum naturalium, eam tamen semper esse scientiam: ergo quotiescunque Metaph. iudicat de aliquo, non iudicat de eo immediate, sed mediante altero, cum scientia distinguatur ab habitu primorum principiorũ, quod hic versatur circa propositiones immediatas quibus immediatè & sine discursu assentitur: illa verò circa propositiones mediatas & per discursum. Ex quo fit quod si Metaph. reflecteret supra sua principia simpliciter eis assentiendo propter immediatam terminorum connexionem, non esset amplius scientia, sed habitus primorum principiorum: imò sequeretur quod non esset simplex qualitas, sed aggregatum quoddam per accidens, conflatum ex habitu primorum principiorum & ex scientia: inquantum enim procederet demonstratiuè circa suas conclusiones, esset scientia; inquantum vero immediate principiis suis assentiretur, esset habitus primorum principiorum: assentiretur enim eis propter immediatam terminorum connexionem, quæ est ratio formalis sub qua habitus primorum principiorum versatur circa ea.

Et si hoc non obstante asseras quod Metaphysica sit simplex qualitas.

Contra; quia hoc admisso sequitur Metaphysicam esse qualitatem quãdam eminenter continentem in eminenti quadam ratione & rationem scientiæ, & rationem habitus primorum principiorum, quod tamen nullo modo sustineri potest: primo quia Metaphysica est habitus per demonstrationem acquisitus (cum sit scientia): ergo sicut implicat quod vllus effectus possit eminenter causam suam in se continere, ita implicabit quod habitus Metaphysicæ possit eminenter rationem habitus primorum principiorum, à quo fuit omnis habitus per demonstrationem acquisitus in se cõtinere.

Secundò, quia si Metaph. contineret sub eminenti ratione rationem scientiæ & habitus primorum principiorum, oporteret quod sicut sensus communis extendit se ad omnia obiecta sensuum externorum, quia illos sub eminenti quadam ratione continet, ita Metaphysica se extenderet quantum est ex se ad omnia quæ attingit tum habitus primorum principiorum, tum scientia ex genere suo, quod tamen non est possibile; cum inter prima principia & inter obiecta aliarum scientiarum, aliqua sint, quæ non abstrahunt ab omni prorsus materia, sed aliqua concernant materiam sensibilem,

vt sunt principia Physices & obiecta ipsius: alia verò concernant materiam intelligibilem, vt sunt principia Mathematicæ, & obiecta ipsius: ergo cum abstractio sub qua Metaphysica tendit in obiecta sua, sit solum abstractio ab omni materia, non poterit intellectum simul & scientiam sub eminenti ratione in se continere.

96. Ex dictis alia pars conclusionis nostræ, in qua diximus Metaph. esse secundum quid perfectiorem habitu primorum principiorum satis euidenter colligi potest. Cum enim Metaph. reflectat supra prima principia, explicando terminos eorum per terminos alios nobis magis familiares, propugnando ea contra contumaciter impugnantes vel etiam probando ea per reductionem ad impossibile, quæ tamen omnia ab intellectu præstari non possunt, satis euidenter infertur Metaphysicam esse secundum quid perfectiorem habitu primorum principiorum.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicies primò: Metaphysica est simpliciter sapientia & non solum in aliquo genere determinato, vt ostensum est quæst. præced. sed sapientia est perfectior & intellectu seu habitu principiorum, & scientia, quod probatur ex Aristot. 6. Ethic. cap. 7. cuius hæc sunt verba: *Sapientem ergo non solum ea scire quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet: quare sapientia & intellectus est & scientia*: ergo cum certum sit quod Aristoteles per illa verba non intelligit sapientiam esse aggregatum ex intellectu & scientia, debet per ea sentire sapientiam esse habitum quemdam eminenter continentem, & rationem scientiæ, & rationem intellectus, & consequenter eam esse vtroque illo habitu perfectiorem.

97. Confirmatur, quia Arist. eodem loco assignat quinque virtutes intellectuales, & inter eas sapientiam & scientiam, quasi duas species contradistinctas: ergo ex mente Aristot. sapientia non est formaliter scientia, sed aliquid superius scientia.

Respond. sensum verborum Aristotelis esse solum, quod sapientia participat quemdam modum intellectus, seu habitus primorum principiorum, inquantum scilicet reflectit supra ea, modo à nobis superius explicato: non autem quod sit habitus eminenter & intellectum & scientiam continens, vt intendit argumentum.

Ad confirmationem autem respond. quod in illa diuisione virtutis intellectualis, Aristoteles non sumit scientiam, prout est genus quoddam ad scientias inferiores & ad sapientiam, sed per scientiam intelligit scientias inferiores quæ non procedunt per altissimas causas, sicut facit sapientia: consuetum est enim ex defectu nominum, quod nomen generis inferiori speciei relinquatur, sicut D. Thomas opusc. 70. quest. 2. nu. 90. citata, asserit nomen scientiæ relictum esse scientiis inferioribus.

Obiicies secūdò, ex D. Th. 1. 2. q. 57.

art. 1. ad 2. vbi habet ista verba, *scientia pendet ab intellectu sicut à principaliori, & vtrumque pendet à sapientia sicut à principalissima, quæ sub se continet & intellectum & scientiam.* Ergo cum Metaphysica sit sapientia, erit perfectior intellectu.

Respondeo quod ista authoritas D. Thomæ facit contrariam sententiam, non carere sua probabilitate in schola D. Thom. tamen cum alibi mentem suam explicuerit, dicendum est eum non sentire per illa verba, quod absolutè & simpliciter, sapientia sit intellectu præstantior, sed solum secundum quid, & quoad aliquem modum, in quantum scilicet propugnat prima principia contra impugnantes ea, quod ab intellectu fieri non potest, & ratione talis modi perfectioris pronuntiatur à D. Thoma absolute & sine vlla limitatione aut restrictione intellectu seu habitu primorum principiorum perfectior, quamuis simpliciter excedatur ab eo in perfectione; sicut à pari dicuntur vt plurimum sine vllo restrictionis aut limitationis termino corpora cælestia esse ratione solius modi incorruptibilitatis his sublunaribus perfectiora, quamuis inter sublunaria dentur aliqua, vt sunt viuentia, quæ simpliciter & absolute excedunt cælestia in perfectione.

Et si dicas D. Thomam dicere, quod sapientia comparatur ad intellectum & scientiam, sicut totum quoddam potestatiuum, quod potestate continet illa duo: & consequenter D. Thomam sentire sapientiam esse simpliciter intellectu perfectiorem.

Respond. quod D. Tho. non dicit absolutè sapiẽtiam habere rationem totius potestatiui respectu scientiæ & intellectus: quamuis enim vt explicet modum illum perfectionis secundum quid, quem habet sapientia supra intellectum & scientiam, vtatur exemplo totius potestatiui, tamen non vult absolutè quod sapientia habeat rationem totius potestatiui respectu intellectus & scientiæ; alias superuacanei essent illi duo habitus in intellectu, in quo esset sapientia: sicut superfluunt in nobis anima vegetatiua & sensitiua, vbi est anima rationalis, quæ potestate duas illas animas continet. Vult ergo solum D. Tho. quod sapientia quantum ad aliquid totum potestatiuum imitetur in comparatione ad illos habitus inquantum naturam vtriusque habitus aliquo modo participat: inquantum enim versatur circa conclusionem, induit rationem sciẽtiæ: inquantum vero reflectit supra principia eaque cognoscit, habet veluti modum intellectus, & quantum ad aliquid videtur eo esse perfectior, quatenus non solum prima principia cognoscit, sed etiam tuetur & propugnat ea, nec aliquid magis D. Thomas intendit.

Obiicies tertio, ille habitus qui habet Deum intra obiecta sua, perfectior est eo qui intra sua Deum non continet; atqui Metaph. sortitur pro obiecto principali & magis præcipuè Deum: ergo. Maior patet ex Diuo Thoma quæst. 1. art. 5. Minor autem constat ex iisque dicta sunt in 2. quæst. huius disput. & sic totum argumentum videtur esse euidens.

99. Respond. distinguendo maiorem, est perfectior ex parte obiecti, concedo: est perfectior absolutè & simpliciter, nego: & maximè si talis habitus superetur in certitudi-

ne & euidentia ab alio, vnde

Potest responderi secundò distinguendo eamdem maior. sic. Si ille habitus comparetur ad alium à quo in sua certitudine & euidentia pendeat, nego quod sit simpliciter eo perfectior: si autem comparetur ad alium à quo in sua certitudine & euidentia non pendeat, concedo. Vnde cum Metaphysica in sua certitudine & euidentia, quam habet de Deo, pendeat à primis principiis & ab habitu eorum, non poterit dici perfectior eo.

Et si dicas quod sapientia iudicat, de primis principiis sicut & intellectus.

Respondeo quod non iudicat de eis, nisi per discursum & per subordinationem ad habitum primorum principiorum: non autem immediatè & propter immediatam terminorum connexionem, sicut facit intellectus.

Tertiò respond. Si ille habitus qui habet Deum pro obiecto, terminetur ad eum, vt est in se, concedo quod talis habitus sit altero perfectior. Si autem solum terminetur ad eum quoad an est, & secúdum quod relucet in creaturis, sicut facit Metaph. nego quod sit profectior intellectu, seu habitu primorum principiorum: quia eo ipso quod Deus sic solum cognoscatur, oportet necessario; quod cognitio quæ habebitur de eo pendeat, vel mediatè vel immediatè ab habitu primorum principiorum, & consequenter cum effectus non possit suam causam excedere, habitus ille qui circa Deum feretur, non poterit, quoad substantiam & intrinsecam eius rationem, esse perfectior intellectu seu habitu primorum principiorum.

Et si dicas quod habitus intellectiuus transformat intellectum in obiectum cuius cognitionem tribuit: ergo habit⁹ qui habebit Deum pro obiecto, transformabit in Deum, & consequenter magis intellectum perficiet, quam ille qui Deum non habebit pro obiecto.

Respond. disting. Anteced. si habitus ille sit cognoscitiuus obiecti secundum quod est in se, & per propriam & quidditatiuam eius speciem, concedo: si autem ille habitus sit solum cognoscitiuus obiecti per alienam speciem, & secundùm quod relucet in alio, nego anteced. Vnde cum Metaphysica non sit habitus cognoscitiuus Dei secundùm quod est in se, & per propriam & quidditatiuam eius speciem, sed per speciem creaturarum, & secundùm quod ænigmatice & vmbratice relucet in eis, non transformabit intellectum in Deum formaliter, sed in illam creaturam in qua Deus conoscitur.

DISPVTATIO II.

DE QVIBVSDAM COMPLEXIS Metaphyſicæ principiis.

PRIVS QVAM conſideratio noſtra feratur circa obiectum Metaph. parteſque illud intrinſece componentes, inueſtiganda eſt vera quorumdam complexorum principiorum, quæ vulgo ab omnibus Philoſophis recipiuntur, intelligentia; & quia inter omnia principia Metaph. primam ſedem obtinet celeberrimum illud ex 4. Metaph. deſumptum: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, de eo ſit.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM INTER PRINCIPIA METAPHYSICÆ primum ſit illud, Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

§. I. *Aliqua ſupponuntur ad quæſtionis intelligentiam.*

HVIC quæſtioni anſam nobis dedit Ariſtoteles, qui 4. Metaph.c.3.lect.6. apud D.Thom. aſſerit prędictũ principium eſſe primum, & illud in quod omnes huius ſcientiæ demonſtrationes reſoluuntur. Sed antequam ad illud examinandum veniamus;

1. Notandum eſt 1. quod præfatum axioma ſub aliis terminis, æquiualentibus tamen, poteſt explicari. Dicere enim quod quodlibet eſt vel non eſt, neceſſe eſt quodlibet eſſe vel nõ eſſe, impoſſibile eſt vnum & idem ſimul eſſe vel nõ eſſe, illa omnia ſunt æquiualenter vnũ & idem, vt videre eſt apud Iauellum 4. Metaphyſ. q.9. apud Soncinatem 4. Metaph.q.31.ad 3.& apud Flandriam eodem libro q.6.a.2.ad 2.& ratio huius rei eſt: Quia neceſſarium definitur ex Ariſtot. 5. Metaph. c.5. *quod aliter ſe habere non*

potest. Vel vt ait D.Tho. 2.Phys. lect. 8. *quod in sui natura habet quod non possit non esse*: ergo dicere quod necesse est aliquid esse vel non esse, est dicere, impossibile esse quod illud quod est, aliter sit, id est, non sit (quod est intelligendum quamdiu est:) & quod illud quod non est, aliter sit, id est, sit, quamdiu scilicet est sub non esse. similiter quādo dicitur quodlibet esse vel nō esse, sensus huius propositionis est, quod quælibet res, quando est, est ad essendū determinata, taliter, quod quamdiu est, non possit esse sub non esse, & quamdiu est sub non esse, pro eodem instanti, & simul à parte rei, esse non possit. Quod autem quando efformatur hæc propositio, omnia prædicta se offerant intellectui cognoscenda, probatur euidentissimè, quando enim intellectus asserit de aliquo quod sit, asserit de eo quod sit ens, ergo intelligendo quod illud sit ens, intelligit quod illud idem habet constitutiuum & distinctiuum entis: ergo cum constitutiuum & distinctiuum entis distinguat ens à nōn ente, & interimat atque destruat in constitutione entis non ens, intelligendo aliquid esse ens, de necessitate intelligit illud nō esse sub non esse, seu non esse non ens, quamdiu intelligitur stare sub esse: & similiter cum negatio entis siue non esse destruat & interimat esse, quamdiu intelligitur aliquid esse non ens seu non esse, tandiu intelligitur interimi ens in ipso & non esse ens seu non esse. Patet ergo quod istæ tres propositiones, quodlibet est vel non est; necesse est quodlibet esse vel non esse; impossibile est idem simul esse & non esse, in re significant vnum & idem formaliter, sub diuersis solum terminis.

2. Et ad illud quod obiicit in contrarium Suarez disp. 3. suæ Metaph. sect. 3. num. 5. quod scilicet in contrariis vel priuatiuè oppositis, aliud est, quod non possint simul vni & eidem conuenire, aliud verò, quod alterum eorum necessario debeat alicui conuenire, ita similiter, quod prædictæ propositiones in contradictoriè oppositis formaliter & in rigore diuersæ sunt, quia per illud axioma, impossibile est idem simul esse & non esse, significatur formaliter repugnantia, quam habent contradictoriè opposita conueniendi vni & eidem rei; per illud verò, quodlibet est vel non est, significatur immediata, & necessaria connexio, quam habet esse vel non esse cum qualibet re.

Respond. 1. quod conceptus contradictoriè oppositi se inuicem formaliter & totaliter interimunt & destruunt, ita vt reciprocam illam, & totalem destructionem in suis rationibus formaliter dicant (vt statim à nobis dictum est) & consequenter si vnus ex illis affirmetur formaliter de aliquo, statim affirmatur etiam formaliter destructio & interitus alterius de eodem; & ratio huius rei est, quia contradictio est summa oppositionum, quæ in suis extremis nullam prorsus admittit conuenientiam, vel in genere, vel in subiecto, vel in quacumque alia vel leuissima ratione, vt quæst. sequenti ostendemus ex Diuo Thoma Opusc. 37. c. 1. & seq. quod tamen de aliis oppositionibus non asseritur. Vnde licet daretur quod in aliis oppositionibus quando vnum ex extremis asseritur de aliquo, non astruatur statim formaliter incompatibilitas & repugnantia, quam habet cum altero, tamen id necessariò asserendum est in contradictoriè oppositis.

Respondeo secundò, quod non solum in contradictorie oppositis, sed etiam in iis quæ priuatiuè opponuntur, reciproca illa destructio formaliter exprimitur, & consequenter, si vnum ex priuatiuè oppositis affirmetur formaliter de aliquo, statim de eodem formaliter aliud negatur.

Respondeo tertiò, quod oppositio fundatur formaliter in naturis rerum: vnde cum oppositio dicat formaliter determinatam quãdam aliquorum inter se repugnantiam, debet illa repugnantia formaliter per terminos naturas illarum rerum exprimentes significari, ergo qualem extrema oppositionis habebunt inter se repugnantiam, talem debebunt etiam termini extrema oppositionis significantes exprimere repugnantiam. Vnde cùm illa quæ contradictoriè & priuatiuè opponuntur incompatibilitatem habeant omnimodam in eodem subiecto; quotiescũq; vnum ex illis extremis asseretur de aliquo, statim formaliter de eodem aliud negabitur: si ergo sit aliqua differentia inter prædictas propositiones à nobis allatas, illa solum erit, quod propositio Aristotelis, impossibile est &c. clarius & dilucidius nobis exprimit ilud quod etiam formaliter aliæ significant.

3. Secundò notandum est quod duplex est demonstratio; altera quæ vocatur ostẽsiua seu directa, alia verò ad impossibile reducens: prima dicitur talis quia directè procedit ex propriis & intrinsecis ipsius essentiæ principiis ad passiones de ea demonstrandas, vt quando per rationalitatem probatur discursibilitas de homine, vel per discursibilitatem admirabilitas aut risibilitas. Secunda verò dicitur talis, quia non probat directè per propria, & intrinseca principia conclusiones, sed cogit & reducit eum, qui vellet eis obsistere ad aliquid impossibile de necessitate admittendum. Talis autem est inter prædictas demonstrationes ordo, vt prima secundam præsupponat in eamque resoluatur, non autem è conuerso: & ratio huius rei est, quia nulla sunt prima principia in demonstratione directa, quæ non possint per reductionem ad impossibile probari, si à quoquam ex proteruia negarentur: ex quo fit, cum quæramus hic de primo principio quod in aliud non potest absolutè resolui, tale principium non posse esse aliquod ex iis, quæ in directa & ostensiua demonstratione ponuntur.

4. Tertiò notandum est ex Aristotele loco citato 4. Metaph. & ex D. Thoma lectione 6. ibidem; ad hoc vt aliquid sit absolute primum omnino principium, tres requiri conditiones, *prima est, quod circa illud non possit aliquis errare; cum enim homines non decipiantur, nisi circa ea quæ ignorant, illud circa quod non potest vllus decipi erit notissimum. Secunda conditio est, vt sit non conditionale, id est; non propter suppositionem habitum, sicut illa quæ ex quodam condicto ponuntur; & ratio est, quia illud quod necessarium est habere intelligentem quæcumque entium, hoc non est conditionale, id est, non est suppositum; sed oportet per se esse notum: & hoc ideo quia ex quo ipsum est necessarium ad intelligendum quodcumque oportet, quod quilibet, qui alia est cognoscens ipsum cognoscat. Tertia conditio est, vt non acquiratur per demonstrationem, vel alio simili modo, sed adueniat, quasi per naturam habenti ipsum, vt quasi naturaliter cognoscatur, & non per acquisitionem.*

tionem : ex ipso enim lumine naturalis intellectus agentis prima principia fiunt cognita, nec acquiruntur per ratiocinationem, sed solum per hoc quod eorum termini innotescunt, quod quidem fit per hoc quod à sensibilibus accipitur memoria, & à memoria experimentum, & ab experimento illorum terminorum cognitio, quibus cognitis cognoscuntur huiusmodi propositiones communes, quæ sunt artium & scientiarum principia. Manifestum est ergo, quod certissimum principium siue firmissimum, tale debet esse, vt circa id non possit errari, & quod non sit suppositum, & quod adueniat naturaliter; hæc sanctus Doctor.

Resoluitur Quæstio.

§. II.

HIs positis prima sententia est Anth. Andrææ 4. Metaphys. quæst. 5. asserentis, non prædictam propositionem, sed hanc; omne ens est ens, esse primum omnium principium. Sed ista sententia communiter ab omnibus exploditur. Sermo enim hic est de primo principio, quod sit doctrinale, & quod ad artem syllogisticam possit deseruire: at propositio illa nullo modo est doctrinalis, sed omnino nugatoria & identica, & consequenter extra omnem artem: ergo.

Sententia ergo communis inter omnes Philosophos est, quod ista propositio, impossibile est &c. est primum omnium principium.

5. Probatur ratione, illud cui conueniunt tres principales 1. principij cōditiones ex Aristotele, & D. Thoma â nobis relatæ est absolutè primum principium: atqui huic propositioni, impossibile est idem simul esse & non esse, conueniunt tres illæ proprietates; ergo. maior est Aristot. & D. Th. & sufficienter probata & ostensa suppositione tertia. Minor probatur. Et 1. quidem quod illi conueniat prima quod scil. circa illā non possit quis errare, probatur, quia error prouenit ex ignorantia eorum circa quæ erratur: at nullus potest circa hoc principium habere ignorantiā & nullus potest circa hoc errare: licet enim dicatur de Heraclito, quod circa ipsum errauerit dixeritq; idem posse simul esse & non esse, tamen nullo modo asseri potest, quod hoc tenuerit; *& si hæc dixit*, (inquit Aristoteles,) *aliud ore dixit, aliud mente tenuit.* Sed probatur minor illa ex eodem Aristotele ibidem, vbi sic illam, demonstrat. Implicat quod quis possit simul, & semel duas opiniones contradictorias, & omninò repugnantes habere: at si quis erraret circa hoc principium; & assereret idem posse simul esse & non esse, duas opiniones omninò contradictorias & repugnantes haberet, per vnamque destrueret illud, quod per aliam asserit, quia oppositio contradictoria hoc facit, vt ostensum est suppositione prima; ergo.

Et si dicas contra istam Aristot. probationē multoties contingere, quod contradictoria ab eodem asserantur, & consequenter probationem illam Aristot. nullam esse. Resp. ex Aristot. 2. priorum c. 2. hoc ideo esse, quia in contradictoriè oppositis ignoratur aliquando aliquid contineri sub alio, quod tamen ab ipso asseritur, vel negatur; vt si quis v.g. assereret omnem hominē esse animal rationale, & tamē negaret simul Socratē esse animal rationale; ideo faceret hoc, quia ignoraret Socratem esse hominem, vel certè ignoraret terminos primæ propositionis, quod scilicet istud signū,

omnis, diſtribuit omnes prorſus homines. Vnde poſito quod habeat, quis notitiam terminorum, & quod ſimul nouerit omnem hominem eſſe animal rationale, non poteſt vllo modo opinari, quod Socrates non ſit animal rationale ex ſuppoſitione quod nouerit, vel aduertat Socratem eſſe hominẽ: ſi ergo quis neget Socratem eſſe animal rationale, aſſerendo tamen omnẽ hominẽ eſſe talem, ideo eſt quia ignorat, quod idem aſſerit & negat de eodem ſimul: ergo quando quis probè cognoſcet, quod illud quod negat eſt illud idẽ quod aſſerit de eodẽ, implicabit, quod illud vnquā poſſit mente prẹſtare; ergo nullus eſt qui nō nouerit iſtud principiũ, impoſſibile eſt idẽ ſimul eſſe & nō eſſe, (ex ſuppoſitione quod noti ſint eius termini) aut qui poſſit circa ipsũ errare.

6. Probatur ſecundò eadem conditio ſic. Quia circa propriũ obectũ nō cõtingit intellectũ errare: ſi enim hoc conceditur ſenſui, multo magis id debebit & intellectui concedi, qui eſt potẽtia cognoſcitiua quocumque ſenſu longè perfectior; ſed prædictũ principiũ conflatur ex terminis proponentibus intellectui obiectũ eius propriũ, rationẽ ſcilicet entis vniuerſalem; ergo non cõtiget intellectum vllum errare circa illud principium.

Quod autẽ iſtud principiũ non habeatur ex ſuppoſitione, quæ eſt ſecũda conditio, probatur; quia illud in quod omnes demõſtrationes, omniaque earũ principia reſoluuntur, non habetur ex ſuppoſitione: at iſtud principiũ eſt tale: ergo. Maior eſt euidens: minor probatur; quia illud principiũ, quod cõſtat ex terminis vniuerſaliſſimis, cõmuniſſimis, & primò cognitis debet eſſe id, in quod omnia alia reſoluũtur, quia principia vniuerſaliſſima & cõmuniſſima inferunt minus cõmunia & minus vniuerſalia: ex eo enim quod omne animal ſit ſenſibile, infertur optimè quod omnis homo ſit ſenſibilis; ſed principium illud, de quo eſt quæſtio, cõſtat terminis vniuerſaliſſimis omnium notiſſimis, primoque cognitis, & qui rebus omnibus conueniunt, conſtat enim termino entis, qui eſt conceptus primus, vniuerſaliſſimus, & qui rebus omnibus conuenit: ergo.

Ex quo tertia cõditio ſatis euidenter poteſt deduci, ſi enim illud principiũ ſit id, in quod alia omnia reſoluũtur: ergo non eſt per aliud acquiſibile, ſed eſt per ſe notum & cõſequẽter eius cognitio erit à natura indita.

Sed dices, licet hoc principium, ſit id, per quod alia demõſtrantur, poſſe tamen per aliquod ex illis quæ demonſtrat demonſtrari.

Contra, quia vt optimè infert Ariſtot. loco citato contra eos qui volebant hoc principium demõnſtrare, ſi iſtud principiũ eſſet demonſtrabile per ea quæ demõſtrat, daretur circulus in demonſtrationibus, quod eſſe non poteſt, quia vt ex ſecundo poſteriorũ lectione 8. patet, ſequeretur idem eſſe certius & minus certum reſpectu eiuſdem.

7. Probat. ſecũdò noſtra cõcluſio: illud principiũ quod maiorẽ impoſſibilitatem declarat, quæ poſſit fingi aut mẽte concipi, eſt primum, principiũ in quod debẽt reſolui omnes demõſtrationes, quæ fiũt per reductionẽ ad impoſſibile: atqui iſtud principiũ impoſſibile eſt idẽ ſimul eſſe & nõ eſſe, declarat maiorẽ impoſſibilitatẽ quæ poſſit fingi aut mente concipi, quia contradictio, & quod aliquid ſimul ſit, & non ſit, eſt impoſſibilitas ex qua omnes aliæ impoſſibilitates, ſe-

quuntur; ergo principiũ prædictum est primum; in quod omnia quæ per reductionem ad impossibile demonstrantur debent resolui: ergo cũ prima principia demonstrationum directiuarũ & ostensiuarũ possint adhuc per demõstrationẽ ad impossibile reducentẽ probari, debet illud principiũ esse omnino inter principia quæcũq; primũ, & dignitas dignitatum.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. III.

OBiicies, illud principium quod potest probari non est primũ: sed hoc principiũ, impossibile est idem simul esse & nõ esse, probari potest, quia multis argumentis illud ostendit & probat Aristoteles loco citato 4. Metaph. lectione 7. apud D. Thomam, & aliis sequentibus.

8. Respondeo ex eodem Aristotele, ibidem lect. 6. apud D. Thom. sub finem, quod istud principiũ non potest simpliciter & absolutè demonstrari; sed solũ probari redargutiuè, argumẽtando scilicet ex cõcessis, & ad hominẽ cõtra negantes illud, & inducẽdo eos ad sibi cõtradicendum. Accipe verba D. Thomæ ibidem: *Differt autem demonstrare simpliciter principiũ prædictum & demõstrare argumẽtatiuè siue elenchice; quia si quis vellet demonstrare simpliciter prædictũ principium, videretur omnino petere principiũ, quia non posset sumere ad eius demonstrationẽ nisi aliquaqua ex veritate huius principij dependerent, cum per illud omnia probentur: sed quando demonstratio non erit talis (demonstratio scilicet simpliciter) tũc erit argumẽtatio siue Elenchus & nõ demõstratio: alia littera sic habet & melius (alterius autẽ cũ huius causa sit, argumentatio erit & non demõstratio,) id est cũ huiusmodi processus à minus certis ad hoc magis certum principium, fiat causa alterius hominis qui hoc negat, tũc poterit esse argumentatio seu Elenchus, & non demonstratio; scilicet syllogismus contradicens ei poterit esse, cum id quod est minus notum simpliciter est concessum ab aduersario, ex quo poterit procedi ad prædictum principium ostendendum quantum ad ipsum, licet non simpliciter.* Hæc Diuus Thomas.

Obiicies. Illa propositio quæ est negatiua non potest esse simpliciter prima: sed hæc propositio, impossibile est, &c. est propositio negatiua: ergo. Maior est certa, quia omnis propositio negatiua affirmatiuã supponit, & in ea fundatur. Minor autem probatur, quia debemus iudicare de propositione modali (qualis est præsens propositio) vtrum sit affirmatiua vel negatiua ex modo: ergo cum in hac propositione modus sit negatiuus, propositio erit negatiua.

9. Respond. disting. maiorem. Non potest esse prima quantũ ad vim demõstrandi, & probandi in demõstratione per reductionẽ ad impossibile, nego; quantũ ad vim demõstrandi in demonstratione directa & ostensiua, transeat: at in præsenti difficultate quæstio nõ est de principio, quod sit primum in demonstratione directa & ostensiua, sed de eo quod sit primum in demonstratione per reductionem ad impossibile: ergo cum per hoc principium declaretur maior & prima impossibilitas, vnde cæteræ & repugnantiæ, & oppositiones, & impossibilitates oriuntur, debet illud esse omnium omnino primum.

Secundò respondeo, quod licet istud principium in terminis sit negatiuum, re tamen est affirmatiuum, & affirmatiuo æquiualet: vnde potest sic in forma responderi ad argumentum distin-

guendo antecedẽs, si propositio quæ est negatiua, sit ita in terminis negatiuis, vt æquiualenter sit affirmatiua seu exprimat nobis aliquid affirmatiuum, nego: si autem per terminos negatiuos propositionis non exprimatur formaliter aliquid positiuum & affirmatiuũ, concedo; at vt dictum est prædicta propositio æquiualet istis, quodlibet est vel non est, seu necesse est aliquid esse vel non esse, quæ sunt propositiones affirmatiuæ: vnde si declarauit sub terminis negatiuis hoc axioma Aristoteles, hoc est, quia sub terminis negatiuis magis dilucide nobis exprimit rem significatam, quam sub affirmatiuis seu positiuis, quod sæpius in aliis etiam materiis contingit.

Obiicies. Omnis propositio modalis supponit suã de inesse: sed hæc propositio est propositio modalis: ergo.

Respondeo, quod licet hæc propositio supponat aliam, in ratione propositionis, vel quantum ad simplicitatem terminorum, & via veluti generationis, tamen non presupponit aliam in ratione principij formaliter, seu quantum ad vim demonstrandi & probandi: quia omnes aliæ propositiones quantum ad hanc rationem, dependent ab ista, & in eam tandam resoluuntur.

QVÆSTIO II.

Vtrum oppositio contradictoria inter species oppositionis sit prima & maxima.

§. I. *Resolutio quæstionis.*

NOtandum est primò quod oppositio alia est propositionum, de qua Aristoteles 1. perihermenias lect. ij. apud D. Thom. & Complut. nostri in Logica lib. 2. Summularum c. 5. & Huertos q. 29. Summarum art. vnico, alia est rerum, de qua Aristot. in postp rædicamentis c. 10. & 5. Metaph. lect. 12. apud D. Thomam. Non agimus hic de oppositione primò modo considerata, quia consideratio illius ad Logicam spectat, sed de oppositione secundo modo considerata, quam poteris cum Complutensibus nostris in cap. 10. post prædicamentorum Aristot. sic definire, quod sit determinata quædam aliquorum repugnantia: neque enim ad oppositionem sufficit quæcũque distinctio, aut repugnantia alicuius respectu quorumcumque indifferenter, à quibus per essentiam distinguitur, sed oportet ad hoc, vt aliquid dicatur oppositum, quod determinate & specialiter sibi vẽdicet ex natura sua aliquod extremum, cui repugnet, & cui è regione veluti determinate contraopponatur.

Secundò notandum est ex Aristot. locis citatis & ex D. Th. Opusc. 37. quod oppositio illa rerũ in quatuor diuiditur, in contradictoriã scilicet, priuatiuã, cõtrariã, & relatiuã. Cuius diuisionis sufficientia potest sic probari; vel enim repugnãtia, quam importat oppositio, est inter ens & non ens, vel inter ens & ens: si primũ, vel illa repugnantia erit inter ens & non ens simpliciter & absolute, & hæc est oppositio contradictoria: vel inter ens & nõ ens, quod requirit esse in determinato subiecto, & hæc est oppositio priuatiua, quia priuatio est carẽtia formæ in subiecto apto ad eius receptionẽ. Si verò secũdũ, vel ens & ens mutuo se expellũt ab eodẽ susceptibili seu subiecto, in quo possunt ambo recipi, taliter quod ex vi positionis vnius extremi in vno subiecto, non ponatur aliud extremũ in altero subiecto & hęc est oppositio cõtraria; quia cõtraria nata sũt in eodẽ subie-

cto esse, & ab eodẽ se expellere, non autem mutuo se in diuersis subiectis ponere: vel se inuicem expellunt ab eodẽ subiecto in quo non sunt ambo nata recipi, taliter tamen, quod formaliter ex vi positionis vnius extremi in vno subiecto ponatur, & aliud extremum in altero, & hæc oppositio est relatiua: nam licet relatio expellat ab eodem subiecto, in quo est, eam quæ sibi est opposita, attamen eo ipso quod ponitur formaliter in aliquo subiecto, eo ipso statim in altero subiecto ponetur formaliter & altera cui opponitur: relatiua enim mutuò se ponunt & interimunt. Paulo aliter hanc oppositionis diuisionem explicat D. Thomas 5. Metaph. lect. 12. versus medium. *Illud enim*, inquit, *quod opponitur alteri, vel opponitur ei ratione dependentiæ qua dependet ab ipso, & sic sunt opposita relatiue: vel ratione remotionis, quia scilicet vnum remouet aliud, quod quidem contingit tripliciter: aut enim totaliter remouet, nihil relinquens, & sic est contradictio: aut relinquit subiectum solum, & sic est priuatio: aut relinquit subiectum & genus, & sic est contrarium; nam contraria non sunt solum in eodem subiecto, sed etiam in eodem genere* Hæc D. Thomas.

His positis Soncinnas decimo, Metaph. q. 18. refert sententiam quãdam quæ asserit oppositionem contrariam primam esse & maximam omnium oppositionum; sed conclusio communiter recepta inter omnes est quod contradictio supremum . primum inter eas locum obtinet. Ita Aristoteles 10. Metaph. cap. 7. & D. Thomas ad longum opusc. 37. cap. 1. 2. & 3. Soncinnas loco citato, Flandria 5. Metaphysicæ quæst. 11. art. 2.

Probatur ratione petita ex D. Thoma loco citato. Oppositio quæ inter extrema sua nullum prorsus admittit medium est maxima & prima inter oppositiones: atqui contradictio nullum prorsus admittit medium inter extrema contradictorie opposita: ergo.

Maior probatur, quia illa oppositio quæ nullam prorsus inter extrema sua admittit conuenientiam, est maxima & prima inter omnes oppositiones: atqui illa quæ nullum prorsus inter extrema admittit medium, nullã prorsus inter extrema admittit conuenientiam, quia medium ostendit distantium conuenientiam, cũ medium de vtroq; extremo participet ex Aristotele 10. Metaph. textu 22. & 23. lect. 9. apud D. Thomam: ergo quando extrema ita comparabuntur adinuicem, vt nullum inter se medium admittant, indicium erit manifestum, quod illa extrema nullam inter se admittunt conuenientiam.

Maior autem primi argumenti probatur, & primo quidem ex Aristotele 1. posteriorum lect. 5. apud D. Thomam, & 4. Metaph. lectione 16. vbi Philosophus probat eam septem rationibus: sed probatur ratione Sanctissimi Doctoris, quæ ad secundam Aristotelis potest reduci: nam si esset aliquod medium inter extrema contradictionis, vel illud esset medium eiusdem generis, vel diuersi, vel saltem esset medium subiecti: subiectum enim quod potest extrema oppositionis recipere, medium est inter extrema & de illis veluti participat, quia illud quod est in potentia ad aliquid, est quodammodo illud ad quod est in potentia, cum potentialiter illud sit, inquit D. Thomas opusculo illo 37. c. 5. post

medium: sed extrema contradictionis in nullo ex illis medi s conueniũt primo enim non conueniunt in aliquo medio eiusdem generis, sicut faciunt contraria, quia ens & non ens, quæ sunt extrema oppositionis contradictoriæ, non sunt sub aliquo genere; deinde non conueniunt etiam in aliquo medio diuersi generis, nihil enim prorsus fingi potest, in quo ens & non ens conueniant, cum ex primo conceptu diuidantur: tandem non conueniunt etiam in aliquo subiecto, sicut contraria & priuatiuè opposita, quæ nata sunt recipi in subiecto, quia non ens non determinat sibi subiectum, cum possit indifferenter dici & de ente & de non ente: indifferenter enim prædicatur nõ homo, verbi gratia de equo ac de non equo, quia indifferenter verum est quod equus, vel non equus, est non homo.

Confirmatur ex eodem Sancto Doctore opusculo citato ca. 2. sub finem vbi habet ista verba. *Sicut omnes res quæ sunt in genere, est reducere ad ens quod non est in genere; ita omnes oppositiones rerum in genere existentium est resoluere in oppositionem illam, cuius termini non sunt in genere; & sicut res tanto perfectiores sunt, quanto magis participant de ente, sicut substantia est perfectior accidẽte, quia in ea reperitur perfecta ratio entis: ita oppositiones rerum tanto perfectiores sunt in genere oppositionum, quanto magis accedunt ad participandam oppositionem eius cuius extremum est ens.* Hæc D. Thomas.

Confirmatur adhuc, quia illa oppositio cuius extrema in nullo prorsus vel conueniunt, vel conuenire possunt maior est illis oppositionibus quarum extrema in aliquo conueniunt: atqui extrema contradictionis in nullo prorsus conueniunt, vel conuenire possunt, bene autem extrema aliarum oppositionum: ergo. Maior est certa, & potest sic probari, quia oppositio est determinata aliquorum ad inuicem repugnantia: ergo illa quæ maiorem habebunt inter se repugnantiam, maiorem habebunt adinuicem oppositionem: at illa quæ minorem possunt habere inter se conuenientiam, magis inter se repugnant: ergo illa quæ minus poterunt conuenire, maiorem habebunt oppositionem inter se.

Minor autem probatur, quia contrariè & priuatiuè opposita & in eodẽ subiecto nata sunt recipi, & ad idem etiam genus pertinent, nam licet priuatio, quantum est ex se, ad genus aliquod propriè non pertineat, quia potius est non ens aliquod quam ens tamen ratione formæ cuius est carentia, ad genus illud reducitur ad quod pertinet forma, cuius est priuatio; & quamuis relatiuè opposita mutuo se ab eodem subiecto excludant & separent, tamen sese mutuo in diuersis subiectis ponũt & sub eodem conceptu & entis & relationis existunt: at contradictorie opposita nec in subiecto, nec in vllo prorsus conceptu conueniunt, sed secundum omnem omnino rationem vnum destruit & interimit aliud: ergo oppositio contradictoria est prima & suprema inter omnes oppositiones.

12. Probatur secundo, quia oppositio contradictoria declarat summam & primam impossibilitatem quæ potest esse & excogitari inter aliqua extrema; declarat enim quomodo impossibile sit quod aliquid simul sit, & non sit: ergo debet cõtradictio esse suprema omnium oppositionum

ad quam cæteræ reducantur.

Probatur tertiò, quia oppositio dicit repugnantiam & distantiam veluti vnius extremi ab altero extremo: atqui in oppositione contradictoria vnum extremum habet veluti distantiam infinitam ab altero extremo, cum inter ens & non ens sit distantia infinita, vt docet D. Th. q. 3. potentiam c. 4. ad 2. & aliis locis infra à nobis art. 14. citandis.

Et si dicas hoc argumento probari quidem, quòd contradictio est oppositio maior, quam sit oppositio contraria aut relatiua, quia extrema illarum oppositionum sunt positiua & consequenter determinatè veluti distantia, non tamen quod sit maior quam oppositio priuatiua, quia vnum ex extremis illius oppositionis est etiam non ens.

Respondeo quod licet priuatio dicat carentiam & priuationẽ alicuius entis in genere determinato, non tamẽ entis vniuersaliter sũpti per se & ex propria ratione, sed hoc per se conuenit non enti quod est extremũ oppositionis contradictoriæ; deinde licet oppositio priuatiua habeat pro vno ex suis extremis aliquod nõ ens, hoc est quia includit oppositionem contradictoriam de qua magis participat quam quæcumque altera oppositio (inquit D. Thomas ca. 1. 2. & op. 35) Ex iis potest facile elici qualẽ ordinem habeant inter se cæteræ oppositiones: cum enim contradictio sit prima oppositionum, quo magis oppositiones de contradictione participabunt, eo magis participabunt de ratione oppositionis: & propterea post oppositionem contradictionis sequitur oppositio priuatiua, quia per extremum quod est vilius in ea, extremum etiam vilius oppositionis contradictoriæ non ens scilicet quodammodo attingit; & ideo priuatio, quæ est extremum oppositionis priuatiuæ, nullum habet quantum est ex se medium eiusdem generis, sed solum ratione habitus seu formæ cuius est priuatio ad genus aliquod determinatur: post oppositionem autem priuatiuam sequitur contraria, quia contraria magis de priuatiua & contradictoria participat, quam relatiua, quia relatiua se mutuo includunt & ponunt, non autem contraria, quorum vnum ex positione sui, potius interimit & destruit aliud, quam à parte rei ponat, sicut accidit etiam in priuatiue & contradictorie oppositis: Vnde cum illa quæ sibi minus nocent minus opponantur, minor inter omnes oppositiones erit relatiua. Vide D. Thomam opusc. illo 37. maximè c. 1. 2. & 3.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicies, illa oppositio quæ magis elongat vnũ extremũ à participatione alteri⁹ extremi est maior: atqui oppositio priuatiua videtur magis elongare vnum extremum à participatione alterius extremi quã contradictoria, quia priuatio tollit omnino potẽtiã ad recepti onẽ formę qua priuat, cum à priuatione ad habitum non detur regressus: ergo.

15. Respond. ex D. Thoma op. illo 37. ca. 1. paulo ante finem, quod priuatio non tollit potentiam ad actum quo priuat destruendo ipsam entitatem potentiæ, sed opponendo, inquit, impedimentum indelebile in potẽtia vt in actũ nõ reducatur: vbi cõtradictio per negationẽ entis quã includit de-

distat à virtute, quam per peccatum omissionis: quod est probare intra genus moris peccatum transgressionis magis à virtute distare, quam peccatum omissionis, quamuis simpliciter & in ordine entis peccatum omissionis longius & magis distet à bono & virtute, quam peccatum transgressionis. Si semel verum est quod peccatum omissionis fiat per simplicem negationem actus qui cadit sub præcepto; quia negatio entis minus conuenit cum ente positiuo, quam aliud ens positiuum cum alio ente positiuo, quo cum saltem in ratione entis conuenit.

Possumus secundò respondere quod aliud est loqui de oppositionibus simpliciter & absolutè inter se comparatis, aliud autem de eisdem per comparationem ad aliquod subiectum. Sicut enim intelligere per conuersionem ad phantasmata, est quid perfectius respectu hominis, quam intelligere sine conuersione ad phantasmata, vt expresse D. Th. asserit 1. p. quæst. 89. art. 1. in corp. & Complut. n. disp. 9. Physs. num. 12. & propterea etiam melius homo intelligit per conuersionem ad ea, quã sine tali conuersione: & tamen melius est & perfectius simpliciter sine tali conuersione quam cum ea cognoscere: ita similiter licet absolutè & simpliciter oppositio contradictoria sit maior, magisque distent inter se extrema contradictionis, quam contrarietatis; tamen in comparatione ad hominem consideratum in genere moris, magis opponuntur & distant inter se contraria, quam contradictoria; quia potest fieri aliquando quód etiam contradictorie opposita non exerceant oppositionem vllam per respectum ad ipsum considera- tum in genere moris, cum possit fieri quod contradictoria non opponãtur inter se in illo genere: vt si accideret quod quis non exerceret actum qui cadit sub præcepto propter aliquod impedimentum legitimum, negatio talis actus non esset peccatum, & consequenter non exerceret vllam oppositionem in genere moris cum tali actu præcepto, quamuis simpliciter & absolute in ordine entis oppositionem contradictionis cum illo actu exerceret, quæ simpliciter & absolute esset semper maior, quam oppositio contraria, quam diceret peccatum transgressionis cum virtute in genere moris: quia hæc in aliquo genere determinato esset, illa vero ab omni prorsus genere absolueret essetque in ordine entis.

15. Obiicies, illud extremum quod plus destruit de suo opposito, debet maiori gaudere oppositione: sed propositio negatiua vniuersalis plus destruit de propositione vniuersali affirmatiua, cui contrariè opponitur, quam propositio particularis negatiua quæ ei contradictoriè opponitur: ergo oppositio contraria maior est quam contradictoria. Maior videtur euidens, quia oppositum destruit sibi oppositum, & consequenter quo maior est oppositio inter aliqua extrema, eo magis se mutuo destruunt & perimunt. Minor autem patet, quia propositio negatiua vniuersalis destruit distributiue omnia, quæ in propositione vniuersali affirmatiua ponuntur & asseruntur, vt patet in hac propositione, nullus homo est animal, per quam tollitur ab omnibus prorsus hominibus ratio animalis, quæ per propositionem affirmatiuam asserebatur de eis, vt i per propositionem contradictoriè ei

appositam, verbi gratia per hanc, aliquis homo non est animal, non tollitur nisi. ab aliquo homine ratio animalis.

Respondeo primo, quod hic non agimus de oppositione quæ exercetur inter propositionem aut inter terminos, sed de opositione, quę reperitur inter res: sed quia certũ est in sententia Arist. & D. Tho. contradictionis oppositionem etiam in oppositione quæ reperitur inter propositiones, essę maiorem, vt patet ex locis præallegatis & ex ratione eorum, quia scilicet sicut inter ea quæ contradictoriè opponuntur secundũ rem non datur medium, ita nec inter propositiones contradictorie oppositas vt septẽ rationibus ostendit Arist. 4. Metaph. lect. 16. apud S. Tho. ideo

Secundò resp. quod destructio quam importat oppositio in propositionibus oppositis, est destructio veritatis aut falsitatis: ergo propositio quæ magis per se destruet veritatem vel falsitatem propositionis sibi oppositæ, magis erit opposita. Vnde cum contradictoria propositio per se magis destruat veritatem vel falsitatem propositionis sibi oppositæ, quam contraria illius, quæ sibi contrarie opponitur; quia ex contradictorie oppositis, semper & in quacũque materia vna est determinate vera & altera falsa; itaut hóc aliter esse non possit, vbi in contrarie oppositis, vtraque potest esse falsa, vt patet in istis duabus propositionibus, omnis homo est albus, nullus homo est albus, consequenter oppositio contradictoria erit per se & simpliciter maior contraria.

Et si dicas, quod ideo ambæ illæ propositiones sunt falsæ, quia illæ sunt in materia contingenti, & propterea si in materia necessaria ponerentur, vna esset vera, altera falsa, vt patet in his propositionibus, omnis homo est animal, nullus homo est animal, vbi negatiua est falsa, & affirmatiua vera.

16. Respondeo, illud quod per se alicui conuenit, semper & in quacunque materia illi conuenire, quia sicut res non separatur à se ipsa: ita nec ab iis quæ sibi per se conueniunt: & propterea vbicunque sit res aliqua, ibi debet poni etiam id quod per se & ab intrinseco ei conuenit: ex quo fit quod si conueniret per se & ab intrinseco propositioni contrariæ destruere veritatem vel falsitatem illius quæ sibi opponitur, semper & in quacunque materia hoc illi conueniret: sicut enim forma syllogistica in quacũque materia ponatur, semper infert legitimam consequentiam supposita dispositione præmissarum in forma & ordine syllogistico, quia hoc illi per se conuenit: ita si per se conueniret propositioni contrariæ veritatem vel falsitatem quæ est in altera contraria destruere, semper & in quacumque materia hoc illi conueniret, sicut etiam videmus conuenire contradictoriæ, quia hoc per se illi conuenit: ex quo sequitur quod sicut illud quod est tale per se, est id quod est primum in illo genere, & id ex cuius participatione cætera sunt talia; ita oppositio contradictoria debet essę prima inter omnes oppositiones, & id ex cuius participatione cæteræ sint tales.

Respondeamus ergo in forma ad argumentum. Extremum quod plus destruit de suo opposito maiori gaudet oppositione, distinguo: si plus destruat per se & ab intrinseco, concedo, si plus destruat per accidens

solum & ratione veluti materiæ nego: at quod propositio contraria plus destruat de sibi opposita quam contradictoria, hoc non est per se, quia in quacunque materia hoc non pręstat, vt vidimus, sed solum ratione materiæ necessariæ in qua ponitur, vbi contradictoriæ per se, & in quacunque materia conuenit suam oppositam destruere: vel 2. respondeamus distinguendo eamdem maiorem sic, si plus destruat de suo opposito considerato secundum rationem eius formalem, concedo: si plus destruat de suo opposito considerato secundum rationem eius materialem, nego: at licet ista propositio, nullus homo est animal, plus destruat de materiali huius propositionis, omnis homo est animal, quam ista, aliquis homo non est animal, quia destruit rationem animalis in omnibus hominibus distributiuè vbi propositio particularis destruit illam solum in aliquo, tamen quantum ad veritatem formalem propositionis, tantum destruit illa propositio particularis, quantum vniuersalis; quia veritas propositionis consistit in indiuisibili, & consequenter non potest destrui, quin tota destruatur formaliter: imo sicut propositio vniuersalis contraria destruit suam contrariam totaliter, & secundum omnes eius partes eam integrantes ratione materiæ necessariæ; ita pariter ego dico quod propositio particularis cõtradictoria ex consequenti destruit totaliter seu syncathegorematice, & secundum omnes partes propositionem vniuersalem contradictorie oppositam, ratione materiæ necessariç in qua ponitur: eo enim ipso quod quis dicat aliquem hominẽ non esse animal, quia propositio hæc est in materia necessaria, eo ipso destruitur ratio animalis in omnibus hominibus, cum in necessariis omnes homines conueniant.

QVÆSTIO III.

Vtrum istud axioma primum in quolibet genere est causa cæterorum, sit verum, & in quo sensu.

Circa hanc difficultatem duæ sunt sententię: prima sentit istud axioma nõ esse verum secundũ quod communiter à Philosophis vsurpatur ita sentiunt Aureolus in 1. d. 3. qu. 1. & Vasques dubio 1. suorum commentariorum in 1.2.

Secunda sententia & vera est, quod istud axioma, vt communiter circũfertur à Philosophis, est omnino veritati consentaneum: ita Capreolus in 1.d.3.qu.1.a. vnico §. ad hanc responsionem, & in 2.d.14.q.1.a.3. ad 1. Durandi, Caiet. 1.p.qu.2.a.3. §. circa illam propositionem, Medina 1.2.q.1. art.1.dub.3. Conradus ibid. Martines ibid. dubio vltimo & ad lõgum Aranius lib.2.Metaph.q.1.a.1. Durandus in 2.d.15.qu.3. in explicat one tamen illius diuisi sunt authores. Nam Durandus vult prædictum axioma esse solum verum de eo quod est primum in genere causalitatis ad hunc scilicet sensum, quod primum in genere causæ efficientis est causa omnium efficientium, primum & nobilissimum in genere causæ finalis, est finis omnium aliorum finium, & sic de aliis causarum generibus, non autẽ quod primum in genere prædicamentali sit causa aliorum albedo enim, inquit quæ alios colores in perfectione excedit, aliorum colorum non est causa: medina vero, cui fauẽt tã Capreolus quã Conradus, ait quod primũ in

in tali genere conueniunt.

Respondeo, quod licet omnes species eiusdem generis prędicamentalis æqualiter & vniuocè participent substantiam ipsius gradus generici, tamen modus participandi est omnino in eis diuersus & inæqualis, secundum quod differentiæ, secundum quas diuerso modo species contrahunt ad se genus, sunt diuersæ & inæquales: vnde cum illæ differentiæ comparentur adinuicem sicut excedens, & excessum sub eodem genere, teste D. Thoma, p. q. 76. a. 3. in corp. & in quodlib. 1. q. 4. a. 1. & ratio est quia species, quas differentiæ constituunt, sunt sicut figuræ, quarum vna alteram continet, & sicut numeri ex Philosopho 2. de anima lectione 3. apud D. Thomam; sicut oportet, quod numerus perfectissimus alios imperfectos, & sicut figura perfectissima alias imperfectiores contineat quamuis numerum perfectissimum, cum aliis numeris in ratione numeri, & figura perfectissima cum aliis figuris in ratione figuræ vniuocè conueniāt. Ita oportet quod species perfectissima alicuius generis cæteras eiusdem generis, subeminenti quadam ratione cōtineat, cuiuis cum illis vniuocè in ratione generica præcisè secundum suam substantiam considerata conueniat: quia differentia qua gaudet species suprema, est quidam modus participandi genus, eminenter in se continens omnes alios modos secundum quos per differentias inferiores ab aliis speciebus participatur, sicut cæteris partibus modus caloris, vt octo est modus quidam participandi calorem, eminenter in se continens omnes alios inferiores gradus, vel (vt vtamur Philosophi exemplo loco citato de anima) sicut pentagonum continet tetragonum & trigonum, & excedit, vt sic verificetur illud quod communiter dicitur, quæ sunt dispersa in inferioribus, in superioribus esse vnita,

19. Confirmatur, quia quæ sunt talia per participationem, sunt talia per ea, quæ sunt talia secundum plenitudinem: ergo cum species inferiores alicuius generis non habeant modum participandi genus ita perfectum, sicut habet species suprema, debent esse tales, id est, habere modum participandi genus per reductionem ad speciem supremam, in qua modus participandi genus est secundum plenitudinem perfectionis, & consequenter species inferiores erunt quædam velut participationes speciei supremæ (cum partem perfectionis eius capiant) & ab ea tanquam à causa exemplari propriaque perfectionis suæ entitatiuæ mensura cognoscibilitatem mutuabuntur.

Secunda Conclusio. Primum in quolibet genere non solum est causa exemplaris cæterorum eiusdem generis, sed etiam quandoque est efficiens, & quandoque finalis eorum. In ista conclusione conueniunt omnes Thomistæ. Consule de hac conclusione Aranium loco citato secundo Metaphysicæ conclusione tertia.

Probatur conclusio ex D. Thoma, qui plerisque in locis vtitur prædicto axiomate ad probandum, quod primum in aliquo genere est causa, vel efficiens, vel finalis aliorum eiusdem generis. Nam 3. p. q. 56. a. 1. probat per istud axioma resurrectionem Christi esse causam non solum exemplarem, sed etiam efficientem, instrumentalem tamen resurre-

ctionis nostræ: & 1. p. quæst. 2. art. 3. reducit omnia entia per participationem in aliquod ens per essentiam, tamquam in primum in genere entis à quo cætera entia participent esse in genere causæ efficientis: & 1. 2. q. 1. art. 1. in argumento sed contra, probat omnes actiones humanas fieri propter finem, quia finis est primum in ordine agibilium: Vnde cum actiones humanæ suscipiant impressionem finis non in genere causæ efficientis, sed in genere causæ finalis, istud axioma verificabitur adhuc de primo in genere causæ finalis.

Deinde probatur, quia homo qui primum locum inter omnia animalia obtinet; non solum est causa exemplaris sed etiam finalis cæterorum animalium cum propter ipsum & in vsum ipsius cætera animalia creata fuerint: ergo prædictum axioma potest verificari non solum de primo in genere causæ exemplaris, sed etiam in generæ causæ finalis.

Confirmatur, quia inferiores creaturæ superioribus subordinantur & in eas tamquam in causam veluti finalem reducuntur: ergo omnes species inferiores alicuius generis reducentur in supremam, tamquam in causam finalem.

Quod etiam istud axioma verificetur in aliquibus de primo in genere causæ efficientis, probatur: quia ignis qui est primus in genere calidorum, est causa efficiens omnium elementatorum quæ calorem participant, vt ex Arist. refert D. Thomas lectione 2. 2. Metaphysicæ: & sol qui primus est in genere lucidorum causa efficiens lucis, quę recipitur in cæteris astris: & Deus qui est primum ens & prima veritas, causa efficiēs totius entitatis & veritatis creatæ atque participatæ. Licet ergo satis sit difficile dare regulam generalem ad dignoscendum quandonam prædictum axioma debeat vel possit verificari de genere causæ efficientis vel finalis, tamen certum est, quod aliquando potest verificari in illis causarum generibus; quod si illis non in verificetur debet semper ad minus verificari in genere causæ exemplaris: & per hoc soluitur obiectio Vasquesij de albedine in comparatione ad alios colores, & de homine in comparatione ad cætera animalia. Dicimus enim quod albedo est causa exemplaris cæterorum colorum, quia de luce magis participat, teste D. Thoma q. 2. de veritate a. 9. ad 4. quamuis possemus cum eodem sanctissimo Doctore q. 7. de potentia a. 4. dicere quod istud axioma debet verificari de substantiis, non de accidentibus, quia sicut non sunt nisi entis entia, non autem simpliciter & per se entia; ita non possunt habere simpliciter rationem primi, & consequenter non debet illis prædictum axioma applicari. Quoad illud autem quod obiicit de homine respectu aliorum animalium, iam ostensum est hominem esse primum in genere causæ exemplaris, & finalis respectu cæterorum animalium.

GENERALIS TOTIVS METAPHYSICÆ huius diuisio.

QVIA in hoc opere Commentatorem Aristotelis agere non prætendimus, sed aliquas solum Methaphysicales discutere quæstiones, quæ solent in Scholis pertractari, vt via ad grauiores sacræ Theologiæ disputationes Scholasticis aperiatur; ideo omissa illa Aristotelica in duodecim libros Metaphysicæ diuisione, nostram in tres tantum diuidimus. In primo de intrinsecis entis creati principiis, essentia scilicet & existentia, nec non & de toto composito ex essentia substantiæ indiuidualis existentiaque ipsius resultante, supposito scilicet tractabitur. In secundo de ente increato & attributis eius, tam secundum quod est in se, quam secundum quod ad extra operatiuus. In tertio tandem de proprietatibus entis in communi.

LIBER I. METAPHYSICÆ.

DE ENTE CREATO PRINCIPIISQVE ipsius intrinsecis

Libri præsentis diuisio.

VIDEBATVR rectus ordo postulare, vt ante considerationem entis creati, quod est pars solum subiectiua entis vniuersaliter sumpti adæquati obiecti Metaphysicæ, prius de ente, vt sic tractaremus; sed quoniam huc tendit intentio nostra, vt per præsens opus Complutensi Cursui, quæ desiderabatur integritas atque complementum detur, & prædicti P. N. Complutenses difficiliores, & quæ erant scitu digniores de ente quæstiones, in

DISPVTATIO III.

DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS in substantiis materialibus.

DISPVTATIO hæc disputationem de principio indiuiduationis in accidentibus & substantiis separatis præcedere debet, quia ex iis quæ dicenda sunt de principio indiuiduationis in compositis ex materia & forma, plena atque perfecta intelligentia principij indiuiduationis, tum in accidentibus, tum in substantiis separatis dependet; & ideo sit.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM FORMA SVBSTANTIALIS SIT PRIMVM & radicale principium indiuiduationis in compositis, ex materia & forma.

§. I. *Aliqua supponuntur ad intelligentiam quæstionis præsentis, & cæterarum quæ fiunt de principio indiuiduationis.*

1. SVpponēdum est primo, quod differētia indiuidualis addit in rebus materialibus aliquid reale supra naturam specificam; & ratio id euidenter conuincit, quia Petrus & Paulus habent aliquid reale in quo conueniunt, & aliquid in quo differunt: sed illud in quo conueniunt est natura specifica, illud verò in quo differunt & dis-conueniunt ad inuicem, est differentia indiuidualis: ergo differentia indiuidualis debet aliquid reale addere supra naturam specificam, per quod Petrus & Paulus realiter differant ad inuicem.

Confirmatur, quia si natura indiuidualis non adderet ex gradu indiuiduali aliquid reale supra naturam specificam, ab ea saltem ratione distinctum, sequeretur quod sicut natura vt indiuiduata dicit formaliter incommunicabilitatem; naturæ enim indiuiduæ formaliter, &

ab intrinseco repugnat fieri communicabilem; ita similiter natura, vt specifica ab intriseco incommunicabilitatem diceret, & consequenter ab intrinseco repugnaret naturam, vt specificam, fieri communicabilem & vniuersalem per intellectum; quia vt possit fieri talis, debet ex suo intrinseco, & essentiali conceptu præscindere ab incommunicabilitate: aliàs intellectus tribuendo ei rationem vniuersalis & communicabilis, tribueret ei aliquod prædicatum, cum quo ab intrinseco repugnantiam haberet: ergo cum constet apud omnes naturam specificam posse fieri communicabilem & vniuersalem, gradus indiuidualis (cui per se, & ab intrinseco communicabilitas repugnat,) addet aliquid reale supra eam.

Deinde si natura specifica & indiuidua saltem ratione in Petro & Paulo non distinguantur: sicut Petrus & Paulus disconueniunt formaliter in natura indiuiduali, ita etiam & in natura specifica formaliter disconuenient; ergo natura specifica hominis non conueniet formaliter vni ex illis; ergo non conueniet alteri ex illis esse formaliter hominem; debet igitur esse omnino certum & indubitatum gradum indiuidualem aliquid reale addere super naturam specificam, per quod, quæ in specie atoma conueniunt adinuicem, numero differant.

2. Secundò notandum est, quod illud reale, quod addit differentia indiuidualis supra naturam specificam non est aliquid realirer, sed solum ratione distinctum ab ea, teste Diuo Thoma, capite primo & secundo de ente & essentia, vbi dicit differentiam indiuidualem comparari ad speciem, sicut differentia specifica comparatur ad genus. Vnde sicut gradus genericus à specifico realiter non distinguitur, sed solum ratione, vt ibidem dicit, ita & specificus ab indiuiduali solum ratione secernetur. Et ratio huius rei est euidens: quia si isti gradus realiter distinguerentur, oporteret, quod diuersæ essent formæ in composito & realiter inter se distinctæ, (neque enim illi gradus Metaphysici sunt quid aliud præter ipsam formam compositi Metaphysicè considerati (vt paulò ante in diuisione libri præsentis dictum est:) sicut ergo implicat dari plures formas realiter dististinctas in vno & eodem composito (quia plures formæ non possunt facere vnum per se, sed vnum solum per accidens, vt ostendit Diuus Thomas septimo Metaphysicæ lectione duodecima circa finem] primæ partis, quæstione septuagesima sexta, art. 3. in corp. & 2. Metaph. lectione 5. quæst. vnica de spirit. creat. art. 3. in corp. in quodlib. 1. q. 4. art. 1. 2. contra Gentes, art. 58.) ita implicat quod gradus Metaph. sint inter se realiter distincti.

3. Tertiò notandum est, quod quando natura specifica contrahitur per gradum indiuidualem, non contrahitur per eum, tamquam potentia per actum, sicut accidit in ratione generica, quando per differentiam specificam contrahitur, sed potius contrahitur sicut actus per suam potentiam: & propterea quando natura specifica ad gradum indiuidualem descendit, tantum abest

quod perficiatur, quin potius imperficitur & limitatur ab eo. Ratio huius rei est, quia si natura specifica descenderet ad gradum indiuidualem per modum potentiæ ab eo perfectibilis, natura specifica non diceret essentiam omnino completam atque perfectam: neque enim ob aliam rationem genus dicit essentiam incompletam, nisi quia descendit ad species per modum potentiæ perfectibilis ab eis: ergo si natura specifica descenderet ad gradum indiuidualem per modum potentię, ab eo perfectibilis, natura specifica non esset essentialiter perfecta atque completa.

Confirmatur, quia species atoma dicitur talis quia in vltimo actu formaliter est constituta: ergo si natura spcifica descenderet ad gradum indiuidualem per modum potentiæ ab eo intrinsece perfectibilis, natura specifica non esset atoma præcisa à gradu indiuiduali; sed per eum formaliter in esse speciei vltimæ & atomæ constitueretur: debet ergo natura specifica descendere ad indiuiduum per modum actus, & non per modum potentiæ ipsius.

Quod si dicas æmultorum Thomistarum sententia, quos citat & sequitur Bannesius prima parte quæstione 85. dubio vnico in articulo septimo illius quæstionis, vnam animam esse substantialiter altera perfectiorem & consequenter gradum indiuidualem addere perfectionem aliquam supa naturam specificam, vt per talem perfectionem indiuidualem vna anima alteram dicatur excedere, cum in perfectione specifica conueniant inter se.

Respondeo primò controuersiam esse non paruam, vtrum vna anima substantialiter sit altera perfectior: aliqui enim etiam ex Thomistis, quos poteris apud Bannesium loco citato videre, dicunt vnam animam esse altera perfectiorem, non substantialiter, sed accidentaliter solum, & ratione dispositionum perfectiorum quæ sunt in corpore: sed quia sententia concontraria est longè in Schola Diui Thomæ probabilior, vt egregiè ostendit Bannesius, ideo.

Respondeo secundò, quod licet vna anima sit secundum gradum indiuidualem altera perfectior, tamen gradus ille indiuidualis non est gradu specifico perfectior, sed potius simpliciter est eo imperfectior. Si enim vna anima dicitur esse secundum gradum indiuidualem altera perfectior, non est, quia gradus indiuidualis specificum simpliciter perficiat, & supra eum maiorem actualitatem absolutè adiiciat, sed quia gradus indiuidualis per quem determinat gradum specificum, non est ita potentialis, nec ita imperficit & limitat eum, sicut gradus indiuidualis alterius animæ imperfectioris, in qua gradus indiuidualis magis imperfectus est magisque potentialis. Vnde vna anima dicitur solum indiuidualiter altera perfectior, quia scilicet substantiam actus specifici modo minus potentiali & limitato participat quam altera anima imperfectior, à qua quia gradus eius indiuidualis non est ita perfectus, modo magis imperfecto & magis potentiali substantia eiusdẽ actus

specifici participatur: actus enim recipit aliquem modum ex subiecto in qua recipitur, & consequenter ex subiecto perfectiori perfectiorem modum recipiet minusque potentialem, cum quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur.

Quartò notandum est cum Nazario 1. p. q. 3. a 2. controu. vnica, cum Gonzale, q. ij. disp. 13. num. 12. cum Patribus nostris Salmanticensibus tractatu de principio indiuiduationis disp. 1. dub. 1. quod aliud est loqui de proximo & immediato principio, seu fundamento, ex quo desumitur indiuiduatio, aliud verò loqui de primo & radicali eius fundamento: etenim si loquamur in sensu priori, certum est tam formam quam materiam quatenus simul vniũtur, ad proximum indiuiduationis principium concurrere, cum ex ambabus partibus simul vnitis indiuiduum formaliter confletur: sed in hoc sensu difficultas non procedit, sed in sensu posteriori, vtrum scilicet sicut differentia sumitur à forma & genus à materia tamquam à principio primo & radicali, (vt communiter à Philosophis dicitur, & à Complutensibus nostris in Logica disputatio. 5. quæst. 6. erudite declaratur; ita similiter gradus indiuidualis sumatur à forma: & de huiusmodi principio radicali, & primo non solum procedit præsens quæstio, sed omnes sequentes, quæ de principio indiuiduationis agitabuntur.

Resolutio quæstionis.

§. II.

5. PRima sententia asserit à forma tamquam à principio primo, & radicali gradum indiuidualem desumi; ita Suarez in Metaph. disput. 5. sect. 4. Nymphus 5. Met. disp. 5. & alij citati à Salmanticensibus nostris tractatu de principio indiuiduationis dub. 1. §. 1.

Secunda tamen sententia communiter in Schola D. Thomę recepta est negatiua, quam sequuntur omnes Thomistæ cum Salmãticensibus nostris statim relatis.

Probatur ista sententia ex Aristotele 5. Metaph. c. 6. vbi dicit distinctionem indiuiduorum intra eamdem speciem prouenire ex materiæ diuisibilitate, & lib. 12. c. 8. asserit quod illa quæ sũt multa numero habent materiam, & ex hoc concludit primum motorem esse vnum numero, quia materiam non habet, & lib. vndecimo textu vigesimo quinto dicit formam principium esse vnitatis specificæ; materiam verò numericæ & indiuidualis. Videatur etiam Diuus Thomas ibidem, lectione vndecima 2. contra Gentes capite nonagesimo tertio, item prima parte quęstione quinquagesima articulo quarto, de ente & essentia capite sexto in 2. d. 3. quæst. 1. art. 4. & Opusc. 32. capite tertio. Vbi duobus postremis locis asserit, ideo Angelos multiplicari non posse numero intra eamdem speciem, sed omnem eorum multiplicationem esse specificam, quia eorum multiplicatio à forma procedit, non autem à materia, qua carent.

Probatur ratione, illud est principium primum & radicale indiuiduationis in substantiis materialibus, quod est prima radix limitationis & contractionis qua differentia indiuidualis limitat & contrahit rationem specificam in eis: atqui forma non est huiusmodi radix: ergo. Maior est certa, quia sicut differentia specifica consistit formaliter in hoc, quod contrahat genus, & faciat intra illud differre speciem quam cōstituit, ab altera specie eiusdem generis; ita differentia indiuidualis consistit formaliter in hoc, quod contrahat & limitet rationem specificam, & faciat intra eam differre numero illud indiuiduum, quod constituit, ab altero indiuiduo eiusdem speciei: ergo illud quod erit radix contractionis & limitationis, qua differentia indiuidualis contrahit & limitat rationem specificam, erit radix indiuiduationis. Deinde potest eadem maior sic euidenter probari: quia essentia cuiuslibet potentiæ petitur formaliter per comparationem ad actum suum: ergo cum differentia indiuidualis ex tertia suppositione cōparetur ad rationē specificam tanquā potentia ad actum quem limitat & contrahit, debet essentia eius formaliter consistere in tali ratione limitatiua & restrictiua rationis specificæ; & sic illud quod erit radix talis limitationis & contractionis, erit radix differentiæ indiuid. atque numericæ.

Minor autem probatur, quod scilicet talis limitatio non possit radicaliter & primo à forma prouenire; quia omnis limitatio potentialis quę est in composito, debet prouenire tamquam à prima radice ab eo, quod habet rationem primæ potentiæ in eo: atqui forma non est illud quod sortitur in composito rationem primæ potentiæ cum potius in eo rationem actus primi habeat: ergo limitatio quæ est per modum potentiæ in composito, non potest à forma tamquam à primâ radice pullulare: ergo cum limitatio, qua differentia indiuidualis limitat differentiam specificam sit limitatio ad modum quo potentia limitat actum suum, (vt dictum est suppositione tertia,) non poterit talis limitatio, nec consequenter differentia indiuidualis seu indiuiduatio, radicaliter à forma tamquam à prima radice prouenire.

6. Confirmatur, quia implicat quod negatio communicabilitatis per modum actus & per modum formæ petatur tamquam à prima radice ab eo, quod per se primo est communicabile per modum actus & per modum formæ: atqui compositum habet ex ratione sua indiuiduali negationem & repugnantiam communicabilitatis per modum formæ, & per modum actus: ergo implicat quod mutuetur hanc incommunicabilitatem tamquam à prima radice ab eo, quod per se primo & radicaliter est tali modo communicabile: ergo cum forma sit hoc modo communicabilis implicat eam per modum primæ radicis tribuere cōposito negationem communicabilitatis per modum actus & per modum formæ: quomodo enim posset fieri quod ipsa radix esset vnde succresceret aliqua ratio, quæ est omnino contraria naturali suæ inclinationi. Vnde cum forma naturaliter ad se communicandum per modum formæ, & per modum actus propendeat; tantum abest quod ab illa communicatione compositum auertat atque remoueat,

tribuendo ei repugnantiam & negationem communicationis per modum actus; quinpotius quantum est ex se oppositum omnino in eo effectum causat.

Confirmatur, quia causæ intrinsecæ causãt per sui ipsius propriæq; inclinationis communicationem: ergo sicut forma naturaliter inclinatur ad hoc, vt seipsam per modum actus cõmunicet, ita communicando seipsam composito, eandem & ipsi inclinationem impertitur: ergo implicat quod repugnantia quam habet compositum ad se communicandum per modum actus, proueniat radicaliter à forma.

Confirmatur, quia si forma consideretur secundum quod comparatur ad illud, quod secum concurrit ad constitutionem indiuidui in ordine Physico, non habet vllo modo rationem potentiæ Physicæ, sed potius rationem actus Physici, illud enim cum quo concurrit est materia prima, respectu cuius rationem habet actus informantis, & nullo modo rationem potentiæ: ergo implicat quod illud quod est potentialitatis in indiuiduo, (sicut est ratio indiuidualis formaliter sumpta) refundatur tamquam in principium radicale & Physicum, in formam: vnde sicut illud, quod sapit rationem formæ & actualitatis in composito, non potest refundi tamquam in primam radicem in materiam, quia materia puræ potentiæ rationem habet; ita illud quod est potentialitatis in eo, non potest refundi in formam, quia mouendo intra lineam & rationem indiuidui, forma non exercet aliud munus, quam munus formæ & actus, si consideretur formaliter in ordine Physicо.

Probatur secundo conclusio nostra; illud cuius negatio est causa, cur intra eamdem speciem atomã nõ detur multiplicatio indiuiduorum, est causa multiplicationis eorum intra illã speciem, intra quam multiplicantur: atqui negatio materiæ in Angelis, est causa, cur intra eamdem speciem atomam Angelicam non possint dari plura indiuidua: ergo materia est causa, cur indiuidua plurificentur intra illam speciem atomam intra quam de facto plurificantur: ergo in substantiis materialibus in quibus indiuidua multiplicantur, radix multiplicationis eorum erit materia. Maior est certa, quia sicut negatio est causa negationis ita affirmatio est causa affirmationis; minor autem infra disput. quinta probabitur, vbi de Angelorũ indiuiduatione agetur.

7. Probatur tertio, ratione petita ex D. Thoma opusc. 29. quod est de principio indiuiduationis & opusc. 32. citato cap. 3. implicat illud quod est principium vnionis & conuenientiæ inter ea quæ sunt inter se diuersa, esse etiam principium diuersitatis inter ea: atqui forma est principium vnionis & conuenientiæ inter ea, quę indiuidualiter diuersificantur: ergo: Maior videtur certa, quia oppositi adeo effectus, sicut sunt prædicti in opposita principia debent refundi, & maxime quando principia à quibus procedunt, causant non per modum causæ æquiuocæ, sed potius per modum causæ vniuocæ, sicut faciunt principia intrinseca, quæ per formalem sui ipsius communicationem causant, adeo vt à suis etiam effectibus formaliter non distinguantur, secuudum id quod dicunt in recto, sed solum, secundum id quod inuoluunt & connotant in obliquo.

Minor autem est certa & euidentissima; quia illud in quo plura eiusdem speciei indiuidua conueniunt, est specifica ratio, quæ à forma petitur, vt supra ex Aristotele 11. Metaphysicæ textu 25. relatum est.

Deinde posset eadem minor sic probari, quia ratio vnitatis est ratio perfectissima, & propterea videmus, quod perfectiora congregant & vniunt in se illa, quæ sunt in inferioribus dispersa: ergo cum forma sit perfectissima pars, quæ sit in compositis ex materia & forma, munus ipsius erit vnire & facere conuenientiam inter ea quæ indiuidualiter distinguuntur intra eamdem speciem.

Confirmatur, quia (vt inquit D. Thomas opus. illo 32. c. 3.) quo formæ sunt perfectiores, eo plura quæ sunt in aliis dispersa, in se copulant, & vniunt: tria enim sunt genera formarum, quædam est quæ est suum esse subsistens & irreceptum; & hæc quæ Deus est, vna manens & simplicissima omnium entium perfectiones in se continet. Alia est quę licet esse receptum habeat, in materia tamen non recipitur; tales sunt Angeli, qui licet secundum diuersas species multiplicentur, indiuidualiter tamen intra eamdem speciem multiplicari non possunt: & inter illas formas quo vna in perfectione alteram excedit, eo plures in se perfectiones vnitas in se complectitur, & per species pauciores simpliciores, magisque vniuersales cognoscit. Tertium tandem formarum genus est earum, quæ pendent à materia, inter quas quanto minus materiæ immerguntur, tanto minus finiuntur; tantóque plures perfectiones participant, & propterea anima humana dicitur esse quodammodo omnia, vt dicitur tertio de anima; quia ex eo quod materiæ non immergitur, quædam infinitas in ea consurgit. Concludamus ergo cum verbis sanctissimi præceptoris. *Ex his ergo constat, & manifestum est quod forma in se accepta vnita sunt & non dispersa, & consequenter quod ratio multiplicationis intra eamdem speciem non prouenit tamquam à principio radicali ab eis, sed potius ratio vnitatis & conuenientia.*

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. III.

Obiicies ex D. Thoma quæst. vnica de anima art. 1. ad 2. vbi dicit, quod *vnumquodque secundum idem habet esse, & indiuiduum* sed qualibet res habet esse per formam tamquam per principium essendi ex eodem D. Thoma 2. contra Gentes cap. 54. ergo per formam habet etiam esse indiuiduum, tamquam per principium indiuiduationis.

Respondeo quod D. Thomas vult solum ostendere ibi, quod vniuersalia non existunt sed singularia, & propterea dicit vnumquodque habere esse secundum quod est indiuiduum, seu vnumquodque secundum idem habere esse, & indiuiduũ: quasi diceret, vnumquodque per id completiuè constitui in esse subiecti immediate receptiui existētię, per quod

constituitur formaliter & complete in ratione indiuidui: Vnde non loquitur ibi D. Thomas de principio radicali indiuiduationis, de quo procedit præsens difficultas, sed potius de ratione formali & completiua illius.

Obiicies ex eodem D. Thoma 2. contra Gentes c. 73. ad 1. & cap. 81. quod sicut esse animæ intellectiuæ non causatur per se à materia; ita neque eius vnitas aut indiuiduatio: ergo materia non est radix indiuiduationis in ea.

9. Respondeo quod D. Thomas vult solum, quod materia non causat indiuiduationem animæ intellectualis per modum causæ materialis, ex qua adinstar formarum materialiũ educatur, licet de facto indiuiduationem eius causet per modum potentiæ, in qua debet recipi & compleri secundum suam speciem, & per modum termini indispẽsabiliter semper inspecti ab indiuiduatione animæ intellectualis. Explicatur solutio, licet verum sit, quod anima nostra, vt pote spiritualis & subsistens, habeat esse independenter à materia, ex qua educatur, & propterea antecedenter ad hoc, quod recipiatur in ea, acquirat esse per creationem, & sit indiuidua (quia cum quælibet res habeat esse secundum quod est indiuidua & singularis, sicut anima prius habet esse quam recipiatur in materia; ita prius debet etiam esse indiuidua quam recipiatur in ea:) tamen in illo priori in quo nõ concipitur de facto recepta, dicit habitudinem dependentiæ ad materiam, tamquam ad potentiam; non quidem ex qua debeat educi, sed in qua debeat recipi & compleri secundum suam essentiam, sicut pars in vnione cum sua cõparte: & propterea ideo creatur anima secundum quod est hæc, seu ideo in eius creatione tribuitur ei talis indiuiduatio, quia debet in tali materia recipi, ex qua creatio eius occasionatur vt dicit D. Thomas qu. vnica de spiritual. creat. art. 9. & de ente & essentia c. 6. & 8. sic licet anima non pendeat quoad indiuiduationem à materia tamquam à potentia ex qua, seu tamquam à causa eductiua materiali, tamen dependet ab ea, tanquam à potentia in qua debet recipi, & tamquam à termino, ad quam dicit habitudinem & à quo occasionata fuit eius indiuiduatio.

Obiicies. Principium radicale indiuiduationis debet maxime duas habere conditiones: prima est quod sit indiuiduo intrinsecum, secunda quod sit ei maxime proprium: at istæ duæ conditiones formæ, non autem materiæ, conueniunt cum eadem materia quæ hoc compositum constituit, possit aliud componere, non autem forma. ergo.

10. Respondeo, quod licet eadem entitas materiæ negatiuè considerata possit ad diuersorum compositorum constitutionem concurrere, non tamen eadem entitas materiæ positiue considerata, & vt est hæc, seu vt dicit sigillationem ad talem quantitatem, & vt has dispositiones connotat.

Obiicies vt aliquid sit principium in actu indiuiduationis debet esse in actu: sed forma est ens in actu, non autem materia prima, cum sit pura potentia: ergo forma erit principium indiuiduationis, & non materia prima. Maior patet, quia sicut ad hoc quod aliquid sit principium alicuius rei quocũque modo, requirit saltem aliquam

aliquam entitatem, ita vt aliquid sit principium in actu, debet esse ens in actu ergo: minor autem est euidens, & consequenter totum argumentum est apertum.

Respondeo distinguendo maiorem, si per eam intelligatur, quod principium indiuiduationis debet ex se habere aliquam entitatem realem, concedo: si autem intelligatur per eam quod principium indiuiduationis debet esse aliquis actus formaliter, nego: sufficit enim quod connotet actum vel formam, per quam habeat esse actu secundum gradus communes vsque ad specificum inclusiuè: & ad probationem illius maioris, respondeo, si illud quod est principium alicuius rei, exerceat causalitatem aliquam formalem vel actiuam, concedo illud debere esse vel formam vel actum: sed si illud, quod est principium, exerceat causalitatem aliquam materialem, sicut accidit in præsenti casu, nego quod illud debeat esse aliquis actus.

Obiicies, ideo forma substantialis est principium radicale gradus specifici & differentialis, quia forma tribuit vltimum complementum specificum, & supponit materiam primam indifferentem, & mere quantum est ex se ad hanc vel illam speciem negatiue se habentem: sed forma dat etiam vltimum complementum indiuiduationis composito, & materiam solum supponit indifferenter & negatiuè se habentem ad hanc, vel illam rationem indiuiduationis: ergo.

11. Respondeo concedendo maiorem & negando minorem quoad secundam eius partem; quia licet forma det per modum termini complementum formale & actuale indiuiduationis, tamen supponit materiam iam determinatam ad hanc indiuiduationem, inquantum supponit materiam connotantem tales dispositiones antecedentes, vt infra magis explicabitur: & sic materia præsupponitur necessario à forma, vt principium radicale indiuiduationis, licet forma det ei formale & radicale complementum, & consequenter ab ea tamquam à termino formali indiuiduationis pendeat.

Obii. ideo materia dicitur principiũ indiuiduationis quia materia limitat formam: at forma limitat etiam materiam: ergo forma erit etiam indiuiduationis principium.

Respondeo quod ideo materia dicitur principiũ indiuiduationis, quia formam & causalitatem eius formalem limitat vt potentia ipsius, & conformiter omnino ad gradum indiuidualem; quia sicut gradus indiuidualis reddit specificum alteri indiuiduo per modum actus incommunicabilem; ita materia reddit formam quam recipit alteri materiæ incommunicabilem: & consequenter à materia debet peti radix indiuiduationis, non à forma, quia licet materiam limitet; limitat tamen eam perficiendo & actuando ipsam, non autem impediendo materiam, ne se per modum actus communicet, sicut à materia impeditur: ergo cum materia limitet conformiter ad naturam gradus indiuidualis, non autem forma: à materia, non autem à forma debet peti radix indiuiduationis.

L

QVÆSTIO II.

Vtrum materia vt signata quantitate sit principium indiuiduationis.

Resolutio quæstionis.

§. I.

12. DEterminatum est iam quæstione præcedenti radicē indiuiduationis à forma petendā non esse, ex quo euidenter sequitur eam à materia esse sumendam: cum enim difficultas procedat de principio intrinseco indiuiduationis, & in rebus materialibus materia solum & forma concurrant tāquam principia intrinseca indiuiduationis, si à forma radix indiuiduationis non petitur, erit infallibiliter à materia talis radix desumenda, cum principium aliud radicale non supersit, in quod indiuiduatio possit refundi; sed an à materia prima præcisè & nude cōsiderata, an verò à materia quatenus quantitate signata, illud est, quod quæritur, & de quo præsens difficultas procedit: pro cuius intelligentia notabis primo; Materiam esse sigillatam seu signatā quantitate, posse tribus modis intelligi: primo itaut per hanc sigillationē significetur materia quatenus est formaliter affecta quātitate formali: 2. itaut per eam intelligatur modus quidā substantialis materiam primam immediatè afficiens, per quē materia vendicet sibi & exigat hanc potius quantitatē, quam aliā: tertio itaut per eā intelligatur materia prima quatenus præhabet & præcōtinet in se hanc potius quantitatē quā aliā: præsens autem quæstio procedit abstrahendo ab omnibus istis modis, & nō determinādo, quinā sit ex illis, in quo formaliter cōsistat illa sigillatio.

Deinde notandū est in sententia illa, in qua sunt nostri Cōplutenses in Physica disp. 27. q. 2. quæ tenet quālibet rem corporeā tā viuentē, quam non viuentē, habere terminos intrinsecos suæ magnitudinis vel paruitatis, quod termini illi petuntur tamquam à prima radice à forma & nō à materia, quia certū est, quod termini illi naturam specificam cuiuslibet rei consequuntur, & consequenter, sicut ratio specifica refunditur tamquā in primā radicem in formam; ita determinatio ad determinatos huiusmodi terminos, debet in eamdē formā primario & radicaliter refundi, sicut etiā & determinata figura in viuentibus: quod enim homo sit talis figuræ, v. g. quod sursum caput erigat & attollat, quod sit bipes &c. hoc conuenit ei ex ratione eius specifica: & sic de aliis viuentibus comparatis ad proprias eorū figuras, quando ergo quæritur hic, vtrū materia sigillata quantitate sit radix indiuiduationis quæstio non procedit de sigillatione, per quā materia determinatur ad aliquē ex prædictis terminis, quia hanc sigillationē & determinationē materiæ à forma accipit ex vi rationis specificæ, ipsi ab ea cōmunicatæ: sed quæstio procedit de sigillatione ad certā & determinatā quantitatem, contentā inter maximū & minimū quod sic cuiuslibet rei vtrū v. g. indiuiduum hoc naturæ humanæ habeat secundū rationem suā indiuiduale refundi tamquā in primā radicem in materiam primam, vt signatā atque sigillatā hac quantitate particulari & determinata contenta intra terminos paruitatis & magnitudinis, intra quos debet natura humana contineri.

His positis prima sent. quā Flandria 7. Metaph. q. 22. a. 1. Alberto tribuit, est, quod materia prima secundum se præcisè considerata, non autem vt sigillata quantitate, est radix indiuiduationis.

13. Secunda sent. & vera quæ cõmuniter inter omnes Thomistas recipitur est, quod materia vt sigillata quantitate, est radix indiuiduationis. ita Salmanticenses nostri tract. de principio indiuiduationis dub. 2. §. 3, apud quos longam authorum seriem qui hanc amplectuntur sententiam videre poteris: ita etiã sub expressis terminis Arist. 5. Metaph. textu 12. vbi hæc habet: *Amplius autem alia secundum numerum sunt vnum, alia secundũ speciem, alia secundũ genus, alia secundum analogiam: numero quidem, quorũ materia vna, &c. quæ verba sic explicat* D. Thomas lect. 8. *ponit aliam diuisionem vnius, quod quædam sunt vnũ numero, quædam specie, quædam genere, quædam analogia: numero quidem sunt vnum, quorum materia est vna: materia enim secundum quod stat sub dimensionibus signatis est principiũ indiuiduationis formæ; & propter hoc, habet singulare quod sit vnum numero ab aliis diuisum*: idem dicit opusc. 70. quod est super Boëtium de Trinit. q. 4. a. 2. ad 1. his verbis, *Cum dicit Philosophus, numero sunt vnum quorum materia est vna: intelligendum est de materia signata quæ subest dimensionibus; aliàs oporteret dicere quod omnia generabilia, & corruptibilia sunt vnum numero, cum eorum sit materia vna.* Vidẽdus est etiam de ente & essentia, c. 2. a. 5. op. citato super Boët. ibid. ad 2. & 4. in 4. d. 12. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 3. 1. p. q. 3. a. 2. ad 3. & pluribus aliis locis quos poteris apud Salmanticenses nostros videre tract. de principio indiuid. disp. 1. dub. 2.

Et si dicas cũ Suare Arist. & D. Th. esse intelligendos nõ de principio indiuiduationis Physico, & in esse rei, sed de principio indiuiduationis in cognoscẽdo: per diuersã enim quantitatẽ, inquit Suares, diuersaque cuiuslibet indiuidui accidẽtia distinctionẽ eius ab alio dignoscimus: & ideo vterq; dicit materiã vt signatã quantitate esse indiuiduationis principiũ, quoad nos scil. & in cognoscendo.

Sed hãc solutionẽ egregiè reiiciũt & refutãt Salmant. nostri: nã qui fieri potest vt Arist. ibi eodem in loco assignet aliis vnitatibus propriũ principiũ in esse rei, & quòd vnitati numericæ propriũ principiũ in esse rei non assignet, sed solũ principiũ in cognoscẽdo & quoad nos? deinde Arist. inuestigat ibi causas diuersarũ illarũ vnitatũ, & cõseq. ad principia propria in esse rei illas reducit, & nõ in principia quæ sint solum talia quoad nos, & in cognoscendo. Sed quod ista Suaresii solutio sit omnino cõtra mẽtem SS. Præceptoris patet ex op. 70. q. 4. a. 2. & ex 3. p. q. 77. a. 2. vbi colligit S. Doctor materiã vt signatã quãtitate esse principiũ indiuiduationis quia quantitas est per se veluti indiuidua, inquãtũ diuisibilis est in partes eiusdẽ rationis & speciei; & propterea cõcludit ab ea tãquã à prima radice indiuiduationẽ esse sumẽdã, iuxta illud cõmune proloquiũ, quod illud, quod est tale per se, est ratio quare cætera sunt talia, quæ certè ratio conuincit quantitatẽ esse nõ solũ quoad nos & in cognoscẽdo sed etiã in esse rei principiũ indiuiduationis. Deinde op. 70. loco citato D. Th. expressè cõtradistinguit quãtitatẽ à cęteris accidẽtibus, dicẽs accidentia cætera esse solũ principiũ cognoscẽdi distinctionẽ indiuiduorũ quantitatẽ vero aliter esse indiuiduationis principium: ergo D. Tho. vult quod quantitas est magis quam in cognosci principiũ indiuiduationis.

Dices D. Thomam dicere op. 32. c. 3. sub finem, dimensiones non causare

indiuiduū, sed illud demonstrare per modum signi proprij & inseparabilis.

Respondeo, quod D. Thomas loquitur ibi de dimensionibus formalibus & accidentalibus, non autem de dimensionibus vt præhabitis & præcontentis tamquam in radice in materia prima, secundum quam rationem, vt quæst. 4. dicetur, concurrunt ad constitutionem principij indiuiduationis.

Sed probatur conclusio ratione petita ex D. Thoma op. 29. op. 32. c. 3. 1. p. quæst. 3. ar. 2. ad 3. & alibi sæpius, illud per quod radicaliter constituitur substantia prima in ratione substātiæ primæ, est radix indiuiduationis: sed substantia prima constituitur radicaliter in ratione substantiæ primæ per materiam primam, vt signatam quantitate: & probatur, quia materiæ primæ vt sic primo & per se cōuenit, quod cōuenit formaliter substantiæ primæ vt sic, cū materia prima vt signata quantitate, neque sit, neque possit esse in subiecto, aut de eo prædicari: licet enim materia considerata secundum se præcisè ob vniuersalitatem quamdam negatiuam, & indifferētiam quam habet essendi in diuersis compositis, possit de hac vel illa materia prędicari, tamen hæc materia quę est hac quātitate signata de nulla alia potest prędicari: ergo cum substantia prima sit ea, quæ neque est in subiecto, neque de aliquo alio potest prędicari debet ista definitio, (quæ certe datur de re cū fundamēto) in materia prima signata quātitate fundari tamquam in ratione Physica, cui Physicè & primò hoc cōuenit: & propterea op. citato D. Th. dicit Angelos à seipsis indiuiduari, seu ex ratione specifica, quia ex ea habent Angeli repugnantiā essendi in subiecto, tam prædicationis, quam inhæsionis: licet enim ex ratione cōmuni substantiæ separatæ habeant repugnantiam essendi in aliquo, tamquam in subiecto inhæsionis, seu informationis, quia tamen de ratione indiuidui est quod non solum nō sit in subiecto, sed quod etiā de subiecto prædicari non possit, cū indiuiduatio omnē prorsus cōmunicabilitatē excludat; ideo fit quod ratio indiuidualis in Angelis à differentia specifica & atoma, non autem à generica peti debeat. Et si dicas hoc esse contra ea quæ quæst. præcedenti §. 1. suppos. 3. dicta sunt, diximus enim differētiam indiuidualē esse materialem & potētialē: Resp. quod ibi loquebamur de differētia indiuiduali, quæ à specifica distinguitur, qualis non est Angelica, quæ nullum gradum supra specificum addit.

15. Prob. 2. conclusio nostra, forma, ex q. præcedēti non est principiū indiuiduationis: ergo materia prima: atqui materia prima simpliciter & præcisè considerata non potest esse cōpletum principiū indiuiduationis: ergo materia prima vt signata quantitate. primū enthymema est euidēs, quia indiuiduatio debet refundi tāquam in radicē, in aliquā ex partibus indiuiduū constituentibus: ergo si in formā non refunditur, debet in materiā refundi. Quod autem non possit in solā materiam simpliciter & præcisè cōsideratā refundi, probatur; quia datur aliquid in gradu indiuiduali, quod soli materiæ simpliciter & præcisè cōsideratæ attribui nō potest: ergo debet aliquid materiæ iūgi, quod simul cū ea faciat completū & adæquatū principiū radicale indiuiduationis: consequentia patet, probatur antecedens, quia licet gradus indiuidualis limitet in

genere causæ materialis rationem specificam, reddatque illam alteri per modum formæ vel actus incommunicabilem, & secundum hoc debeat refundi in materiam tamquam in id, cui primò & per se conuenit non esse alteri communicabilile per modum actus, vt pote pura potentia, & primum subiectum in alio subiecto non receptibile; tamen gradus indiuidualis non solum habet hoc quod scilicet, sit per modum actus alteri subiecto incommunicabilis, & quod eamdem incommunicabilitatem rationi specificæ tribuat, sed vlterius adhuc habet, quod non sit per modum potentiæ alteri formæ eiusdem rationis specifiæ communicabilis; ergo cum materia secundum se simpliciter, & præcisè considerata sit communicabilis per modum potentiæ pluribus formis eiusdem speciei, (eadem enim entitas materiæ quantum est ex se est indifferens v. g. vt sit subiectum receptiuum huius vel illius animæ) debet iungi alicui alteri, per quod reddatur ita propria huius formæ, vt alteri formæ eiusdem speciei atque rationis sit per modum potentiæ incommunicabilis; atqui materia habet talem incommunicabilitatem per hoc, quod sit quantitate signata; & probatur, quia sicut quantitas est illa forma, quæ per se primò est diuisibilis in partes diuersas eiusdem speciei atque rationis, quarum vna non est in potentia receptiua respectu alterius (neque enim vna pars quantitatis est alterius per modum potentiæ receptiua) ita materia quæ est ordinata ad recipiēdam aliquam formam, debet reddi positiuè incapax receptionis alterius formæ eiusdem speciei atque rationis, per participationem talis quantitatis, seu per sigillationem ad talem quantita- iuxta illud, *primum in quolibet genere est causa cæterorum.*

Dices ad formam substantialem pertinere, non autem ad quantitatem reddere materiam incapacem receptionis alterius formæ eiusdem rationis: sicut enim cōuenit materiæ tribuere formæ quam recipit, incapacitatem communicandi se alteri materiæ per modum actus, quia materiæ primo & per se talis incommunicabilitas conuenit: Ita quia primo & per se competit formæ substantiali incapacitas recipiendi alteram formam substantialem eiusdem rationis; propterea eius erit tribuere materiæ, in qua recipitur, incapacitatem communicandi se alteri formæ substantiali per modum potentiæ eius receptiuæ. Vnde cum ratio indiuidualis confletur ex duplici illa incōmunicabilitate per modum actus & per modum potentiæ; consequenter ratio indiuidualis erit, in materiam & formam, tanquam in fontem & originem duplicis illius incommunicabilitatis refundenda.

Respondemus, quod forma, cui primò & radicaliter conuenit diuidi in partes eiusdem rationis, quarum vna non est alterius subiectum, est quantitas, non autem forma substantialis, neque enim hoc formæ substantiali conuenit ex ratione eius specifica, & essentiali, sicut quantitati conuenit: nam sicut formæ substantiali potest solum conuenire diuidi in diuersas partes subiectiuas, seu in diuersa indiuidua, propter diuersas rationes indiuiduales; ita potest ei solum conuenire habere incapacitatem recipiendi alteram formam eiusdem speciei atque rationis

ex ratione sua indiuiduali, per quam diuiditur ab altera forma eiusdem speciei, eique incommunicabilis secundum hanc rationem redditur; at quantitas ex ratione sua essentiali & specifica, est diuisibilis in partes eiusdem rationis & speciei, quia quælibet pars lineæ v. g. est linea, & vna pars vnius lineæ non est in potentia receptiua respectu alterius, & consequenter quantitati per se primò, & essentialiter conueniet, esse sic diuisibilem in partes eiusdem speciei atque rationis, quarum vna non est alterius receptiua: ergo ex sigillatione ad eam, tamquam ex prima radice, materia habebit incapacitatem recipiendi alterã formam eiusdem speciei atque rationis; & si hoc etiam à forma mutuatur, mutuabitur illud non tamquam à radice & à formali origine, sed tamquam à complemento & termino.

7. Secundo potest responderi, quod forma substantialis non potest tribuere materiæ in qua recipitur, incapacitatem recipiendi alteram formam eiusdem speciei atque rationis nisi ex ratione sua indiuiduali, vt solutione precedenti innuimus, nam sicut duæ formæ substantiales conueniunt in eadem ratione specifica, ita potius habent ex illa ratione, & ex illo gradu vim & appetitum communicandi in eadem materia, quam non communicandi in ea, & consequenter ex gradu specifico vna non separat materiam, quam habet, ab altera, nec eam ipsi incõmunicabilẽ reddit: ergo si forma substantialis reddit materiam in qua recipitur incommunicabilem alteri formæ eiusdem secum rationis atque speciei, hoc erit ex differentia indiuiduali, & consequenter ex hac materia radicaliter & originaliter, cum formæ suam habeat differentiã indiuidualem à materia hac tamquam à radice: forma enim non est indiuiduata, nisi inquantum redditur per modum formæ incommunicabilis, per differentiam enim indiuidualem restringitur illa via quam habebat ex ratione sua specifica ad se communicandum per modum formæ pluribus subiectis, & determinatur solum ad vnam informandam: ergo hæc retrictio & limitatio fiet per materiam tamquam per oppositum formæ limitatiuũ & restrictiuum: cum enim ista limitatio sit oposita illi inclinationi, quam habebat ex ratione sua specifica, debet consequenter talis limitatio prouenire ei radicaliter ex suo opposito, ex potentia nimirum materiæ, cuius illa limitatio est quædam veluti participatio: nam sicut materia est per modum formæ incommunicabilis, ita limitatio formæ reddit formam, quam indiuiduat cuicumque alteri materiæ incommunicabilem, cum ergo materia pro illo priori quo formã indiuiduat, sit positiue hæc, & sigillata quantitate, erit consequenter prius per prædictam sigillationem incommunicabilis alteri formæ reddita, quam per formam substantialem, quam recipit: & sic licet daretur quod forma formaliter & actu redderet materiam alteri formæ eiusdem speciei incommunicabilem, deberet tamen hoc radicaliter ab hac materiæ sigillatione mutuari, cum præstare illud non valeat, nisi ex ratione sua indiuiduali, quam radicaliter habet ab hac materia, vt ostensum est.

Deinde possumus addere quod sicut Complutenses nostri in Logi-

ea, disp. 5. q. 6. num. 77. dicunt differentiam specificam hominis magis principaliter, & veluti in recto peti à forma, & minus principaliter, & veluti in obliquo, extrinsecè, & illatiuè à materia, (quia illud quod magis relucet in differentia specifica est actualitas:) ita similiter quod differentia indiuidualis magis principaliter, & in recto à materia petitur, & minus principaliter, extrinsece, in obliquo, & veluti illatiuè à forma: quia illud quod magis relucet in differētia indiuiduali, est potentialitas & incommunicabilitas per modū actus, cū per modum potentiæ comparetur adrationē specificam sicut differentia specifica per modum actus comparatur ad rationem genericam.

Confirmatur; ideo genus sumitur à materia, quia id quod magis elucet in eo, est potentialitas: ergo cum maior adhuc potentialitas resplendeat in differentia indiuiduali, quia differentia indiuidualis materialisat adhuc aliqualem rationem actualitatis, quæ est in genere, sicut & alios quoscumque gradus, debet necessario indiuidualitas in materiam refundi: ergo cum in materiam præcise consideratam non possit refundi, vt ostensum est, debet ex consequenti in materiam vt signatam quantitate reiici, quia nihil aliud restat, cui possit illa radix attribui, & maxime, quia vt innuunt Salmanticenses nostri, per quantitatem, qua dicitur signari materia prima, intelligitur quantitas non Mathematicè, sed Physicè considerata, & vt habet annexa cætera accidentia Physica.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicies. D. Thomas Opusc. de principio indiuid. & pluribus aliis in locis asserit materiam esse principium indiuiduationis absque eo quod vllam faciat mentionem de sigillatione ad quantitatem: imò Opusc. citato dicit solum materiam esse huiusmodi principium.

Respondeo primò, quod D. Thomas non loquitur absolute, sed comparando præcise inter se vtramque partem compositi, & in illa comparatione, dicit solam materiam esse principium radicale indiuiduationis, excludendo solum per hoc à radice indiuiduationis formam, non sigillationem ad quantitatem, cum ab ea sæpius talem radicem petierit, vt videre est in locis pro nostra sententia citatis.

Vel secundò respondeo, quod per illam particulam exclusiuam D. Thomas solum excludit quodcumq; aliud realiter à materia distinctum; vnde cum sigillatio ad quantitatem non sit quid realiter ab ipsa materia distinctum, (cum sit ipsa quantitas, vt præhabita & præcontenta in materia prima, quatenus connotat hanc actionem per quam forma materiæ communicatur,) non excluditur per eam quantitas, quatenus concurrit ad principiū indiuiduationis: quia cum hoc, quod quantitas vt præcontenta in materia, radicaliter ad indiuiduationem concurrat, stat optimè, & potest verè dici quod sola materia, est principiū indiuiduationis, licet hoc habeat, vt est sigillata ad quantitatem; quia hæc sigillatio non est à materia realiter distincta: & hæc solutio sicut &

præcedens poteſt applicari pleriſque auctoritatibus D. Thomæ, quæ poſſent afferri contra nos, à quibus propterea abſtinemus, quia per vtramque hanc ſolutionem eis ſufficientiſſimè ſatisfit.

Obiicies. eo modo dicitur compoſitum eſſe indiuiduum, quo dicitur ens: ſed dicitur ens, primò & radicaliter per materiam primam, quia materia prima eſt prima pars compoſiti: ergo per materiam primam dicitur indiuiduum, tamquam per primam radicem indiuiduationis.

Reſpondeo, quod ordine perfectionis & intenſionis forma eſt prima pars compoſiti, cum ſit materia perfectior; ſed ordine generationis; in quo ordine debet eſſe principium radicale indiuiduationis, (cum indiuiduatio ſit quid materiale & imperfectum,) materia eſt prima pars compoſiti indiuidui, non quidem præciſè conſiderata, ſed vt ſigillata quantitate.

Obiicies. Sicut ſe habet forma ad rationem ſpecificam, ita materia prima ad rationem indiuidualem: ſed forma ſecundum ſe præciſè conſiderata, eſt principium radicale rationis ſpecificæ: ergo materia prima præciſè conſiderata, ſine vlla ſigillatione ad quantitatem, erit principium radicale indiuiduationis.

10. Reſpondeo concedendo maiorem cæteris paribus, cætera autem non ſunt paria, quia forma ſecundum ſe eſt determinata ad hoc, vt ſit ſolum radix vnius rationis ſpecificæ atomæ, & non alterius, vbi materia prima quantum eſt ex ſe eſt indifferens ad hoc, vt ſit radix huius, vel alterius indiuiduationis, & conſequenter licet forma præciſè conſiderata poſſit eſſe radix ſpecificationis; tamen materia non erit radix huius indiuiduationis determinatè, niſi inquantum eſt ſigillata ad hanc quantitatem, per quam ſigillationem determinatur ad hoc, vt ſit radix huius, & non alterius indiuidui.

Obiicies. Gradus genericus non petitur à materia, vt determinata & ſigillata per quantitatem: ergo nec indiuidualis: quia videtur vtrobique eſſe par ratio, cum vterque gradus ſit potentialis, & propterea à materia tamquam à radice deſumatur.

Reſpondeo negando conſequentiam; diſparitas autem in hoc conſiſtit, quod gradus genericus non eſt vltimus gradus vltimo determinatus, ſed vlterius determinabilis eſt per differentias ſpecificas, & conſequenter, non mirum, quod non petatur à materia determinata, & vt eſt propria huius ſolum, & non alterius, vel ſpeciei, vel indiuidui, cum de pluribus, tam indiuiduis quam ſpeciebus gradus genericus prædicetur: at ratio indiuidualis eſt rei vltimo determinatæ, & non vlterius ab alia differentia determinabilis: vnde cum iſta ratio ſit differentia vltima & poſtrema diuiſione à quibuſcumque aliis rem diuidens atque diſtinguens, debet conſequenter peti à materia, vt vltimò determinata, & vt penitus incommunicabili reddita per ſigillationem ad quantitatem.

Obiicies. Materia prima ſecundum ſe præciſè conſiderata eſt incommunicabilis, eo modo, quo ſubſtantia prima, cum non poſſit communicari alicui ſubiecto, vt pote primum ſubiectum: ergo ab ea preciſè conſiderata petetur radix indiuiduationis.

Reſpon-

Respondeo, quod substantia prima non solum habet quod non sit in subiecto; sed etiam quod de subiecto non possit prædicari: sic et ergo in materiam primam possit indiuiduatio refundi, secundum quod dicit rationem non essendi in subiecto; tamen cum materia prima secundum se, sit indifferens ad hoc, vt possit esse, vel in hoc, vel in altero composito, & consequenter possit de hoc & illo composito secundum se prædicari, ideo fit quod à materia præcisè considerata non possit peti indiuiduatio, secundum quod dicit negationem prædicationis de alio, sed debet necessario peti à materia vt sigillata & signata quantitate, per quam sigillationem materia amittit suam communicabilitatem pluribus compositis, & fit ita propria huius, vt alij sit omnino incommunicabilis.

Vel secundò respondeo, quod materia prima habet quidem ex se negatiuè, non esse in subiecto, sed habet positiuè hoc per sigillationem ad quantitatem: & consequenter à materia, vt signata quantitate debet peti radix positiua indiuiduationis.

QVÆSTIO III.

Vtrum materia vt signata, & affecta formali quantitates sit radix indiuiduationis.

Resolutio quæstionis.

§. I.

PRima sententia, quæ est Ferrariensis j. contra Gentes, cap. 11. Soncinatis 7. Metaph. q. 34. Nazarij j. p. q. 3. a. 2. controu. vnica, est affirmatiua. Vt autem authores prædicti sententiam suam explicent, supponunt duo esse in indiuiduo: primum. quod sit indiuisum in se vltima diuisione, seu quod sit incommunicabile eo modo communicationis quo superius inferiori communicatur: quod sit eodem modo diuisum à quolibet alio: primum dicitur à materia prouenire; secundum verò à quantitate formali: addit tamen Ferrariensis in primo consistere rationem essentialem indiuidui, & secundum esse solum eius proprietatem.

Secunda sententia, & vera, & quæ communis est inter Thomistas, est, quod quantitas formalis non concurrir ad principium radicale indiuiduationis: ita Salmanticenses nostri tract. de princ. indiuid. dub. 3. vbi §. 2. plures alios Thomistas huic sententiæ suffragantes referunt.

Probatur ex D. Thoma Opusc. 78. q. 4. a. ad 2. vbi dicit, *dimensiones cum sint accidentia non posse esse principia indiuiduationis, sed materiam primam*: & Opusc. 29. dicit materiam solam esse indiuiduationis principium: & Opusc. 32. c. 3. sub finem, dicit dimensiones formales esse solum signum demonstratiuum indiuidui, non autem principium eius. Si vis videre plures alias auctoritates D. Thomæ lege Salmanticenses nostros loco præallegato.

Probatur conclusio ratione: substantia prima seu ndiuiduum est ens per se, ponibile directè in prædicamento substantiæ: ergo non debet reduci tamquam in principium in aliquod aggregatum per accidens, cum principium intrinsecum indiuiduationis, de quo est quæstio, con-

currat intrinsecè ad constitutionem indiuidui: sed materia vt signata quantitate formali, est ens per accidens, conflatum ex duobus entibus, quæ in diuersis prædicamentis ponuntur: ergo non potest reduci indiuiduatio tamquam in principium radicale in materiam, vt signatam quantitate formali.

Dices per materiam quantitate formali signatam, in quam reducitur indiuiduatio, non intelligi compositum resultans ex materia & quantitate formali; sed materia vt subest formali quantitati.

22. Contra: quia quando dicitur, quod materia & radix indiuiduationis vt subest quantitati, vel sumitur ly, vt, reduplicatiue, & vt reduplicat rationem formalem quantitatis, vel specificatiue: si reduplicatur quantitas formaliter, & in recto, ad rationem principij indiuiduationis concurret, & consequenter indiuiduum conflabitur intrinsecè ex aliquo accidenti, substantiæ prædicamentali extrinseco: & per consequens non poterit facere vnum per se cum materia prima: si autem sumatur specificatiuè, iam materia sola erit radix indiuiduationis, & non quantitas formalis: vel si quantitas formalis concurrat, concurret solum in obliquo connotatiue, & extrinsece, quod non facit ad rem, cum inquiratur hic principium intrinsecum, & non principium extrinsecum indiuiduationis.

Probatur secundò implicat, quod effectus substantialis proueniat ab accidenti radicaliter: atqui quod vnum indiuiduum substantiale diuidatur, & distinguatur ab altero indiuiduo substantiali, est effectus substantialis: ergo non potest talis effectus prouenire ab accidenti radicaliter: ergo non potest à quantitate formali prouenire, sicut dicunt aduersarij. Maior est certa, quia effectus sapit naturam suæ radicis, & maximè effectus intrinsecus, qualis est ille de quo agimus, cum talis effectus fiat per causam intrinsecã; quæ non causat aliter, quam per sui ipsius communicationem. Minor autem est etiam aperta, quia certum est quod duo indiuidua non solum accidentaliter, sed etiam substantialiter diuiduntur & distinguntur: & consequenter debent non solum diuidi, & distingui per quantitatem, alioquin certè duo homines quantitatiuè solum, & non substantialiter distinguerentur, quod absurdum est: ergo.

23. Probatur tertiò, illud per quod aliquid constituitur in se indiuisum, est illud idem, per quod aliquid constituitur diuisum ab alio, eique incommunicabile redditur; sed quantitas formalis, secundum aduersarios, non est id per quod indiuiduum constituitur in se indiuisum: ergo non potest esse etiam id, per quod constituitur diuisum ab alio, & id, per quod ei incommunicabile redditur: idem enim est id per quod cõstituitur aliquid in se indistinctum & id per quod distinguitur ab alio; vnde sicut per eãdem animam rationalẽ homo cõstituitur in se indistinctus & indiuisus secundum rationem specificã, & per eamdem specificã distinguitur à quacumque altera specie; ita per illud idem principium indiuiduationis, per quod indiuiduum constituitur in se indiuidualiter indistinctum & indiuisum, per illud

idem debet ab alio quocumque indiuidualiter distingui & diuidi: ergo si indiuidium non constituitur in se indiuisum per quantitatem formalem, non distinguetur etiam per eam ab alio.

Confirmatur: implicat quod illud principium, per quod indiuiduum constituitur in se indiuisum, sit alteri indiuiduo communicabile, quia debet esse tali indiuiduo omnino proprium: sicut enim principium specificum debet ita esse proprium speciei, & illam reddere ita in se indiuisam secundum rationem specificam, vt non possit alteri speciei conuenire, vel communicari, (loquor enim de principio specificatiuo atomo & non subalterno: ita similiter principium indiuiduationis, per quod indiuiduum redditur in se indiuisum, debet illud ita in se indiuisum constituere, vt omninò sit ei proprium, & alteri indiuiduo communicari prorsus non possit: ergo per illud idem principium, indiuiduum habet repugnantiam conueniendi, & communicandi cum alio indiuiduo in tali principio indiuiduationis, & consequenter per illud ab altero diuiditur indiuidualiter, & ei prorsus incõmunicabile redditur: ergo sicut per materiam primam sine formali quantitate, indiuiduum constituitur in se indiuisum; ita & per eamdem antecedenter ad receptionem formalem quantitatis, indiuiduum diuiditur & distinguitur ab alio indiuiduo; eique incommunicabile redditur.

Confirmatur, quia forma non recipitur in subiecto vniuersali; sed in subiecto singulari & particulari: ergo quando recipitur quantitas in materia, præsupponitur iam materia esse indiuiduata.

24. Deinde substantia est minus dependens ab accidentibus quã accidentia à substantia: ergo sicut de potentia absoluta potest fieri, quod dentur à parte rei accidentia sine substantia cui inhæreant, (vt patet in speciebus Sacramentalibus:) ita poterit de potentia absoluta dari substantia sine accidentibus, & sine vlla quantitate: at illa substantia quæ daretur sic sperata quantitate esset singulare quid & indiuiduum, non solum in se; indiuisum, sed diuisum etiam à quocumque alio indiuiduo: ergo sine quantitate formali indiuiduum est diuisum ab alio, & consequenter illa non erit principium diuisionis & distinctionis indiuidualis, seu numericæ.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicies D. Thomam plerisque in locis dicere, quod per materiam signatam quantitate, quæ est principium indiuiduationis, intelligitur materia sub certis & determinatis dimensionibus: & Opusc. de princ. indiuid. necnon & in Opusc. 32. cap. 3. asserit quod ratio indiuidui non potest saluari sine quantitate.

Respondeo ad primum locum ex eodem sãctissimo præceptore Opusc. 32. cap. 3. sub finem, quod materia

affecta. formaliter dimensionibus, consideratis secundum id, quod est formale in eis, est principium indiuiduationis in esse cognoscibili, & quoad nos, quia per dimensiones formales deuenimus in cognitionem indiuidui, licet eædem dimensiones formales, non sint in esse rei principium indiuiduationis, sed solum vt sunt radicaliter & virtualiter præhabitæ & præcontentæ in materia.

Ad secundum autem locum respondeo, quod D. Thomas vult solùm non posse intelligi indiuiduum sine quantitate virtualiter, & radicaliter præhabita in materia. vel secundò respondeo non posse indiuiduum intelligi, sine quantitate, distinguo: sine quantitate formali actu materiam informante, nego: sine quantitate formali connotata, & quam connaturaliter materia ex vi sigillationis exigat, concedo.

Et si quæras vnde materia determinetur ad tales dimensiones illasque exigat: respondeo hanc determinationem ei conuenire ex vi præcedentium dispositionum, & ex vi talis actionis per quam forma generanda debet in materiam introduci.

Obiicies ex D. Thoma 3. p. q. 77. a. 2. & in 4. d. 12. q. 1. a. 1. quæst. 3. ad 3. vbi dicit, cum sint duo in indiuiduo, quod scilicet sit incommunicabile seu indiuisum in se, deinde quod sit diuisum ab alio, primum tribui materiæ tamquam principio radicali, secundum verò quantitati.

Respondeo quod quando D. Thomas attribuit secundum quantitati, quod scilicet diuidat indiuiduum ab alio, hoc debet intelligi, de quantitate virtuali, & præcontenta radicaliter in materia, non autem de quantitate formali.

Et si dicas D. Thom. non posse sic intelligi, quia contradistinguit quantitatem à materia; at quantitas considerata, vt virtualiter & radicaliter præhabetur in materia non distinguitur ab ea; ergo debet intelligi de quantitate formali, & non de quantitate virtuali.

Respondeo concedendo maiorem: & distinguendo minorem: non distinguitur ab ea realiter, concedo: non distinguitur virtualiter ab ea, nego.

Et si dicas quod secundùm istam solutionem deberet ratio incommunicabilitatis tribui materiæ nudè consideratæ, prout à quantitate virtuali præscindit; quia Diuus Thomas tribuit materiæ rationem illam incommunicabilitatis, prout materia contradistinguitur à quantitate: ergo cum materia considerata, vt à virtuali quantitate contradistinguitur; sit materia nude & præcisè considerata secundum sua essentialia, deberet ratio incommunicabilitatis tribui ei secũdum istam præcisionem consideratæ, quod tamen fieri non potest, cum materia considerata secundum se, & prout præscindit à sigillatione ad quantitatem, seu à quantitate virtuali, sit pluribus compositis communicabilis.

26. Respondeo primò, quod licet materia sit secundum se communicabilis negatiuè pluribus compositis per modum potentiæ, tamen incommunicabilis est per modum formæ vel actus, cum sit pura potentia, & primum subiectum, & consequenter negatio, quam dicit indiuiduum

ad se communicandum per modum formę, vel actus, potest attribui materiæ secundum se tamquam primæ radici talis incommunicabilitatis.

Secundo respondeo, quod licet materia prima sit secundum se negatiuè cõmunicabilis pluribus compositis per modum potentiæ, inquantum considerata præcisè secundum suam entitatem, non est magis huius compositi, quam alterius propria; tamen quantum est ex se, habet non repugnantiam ad hoc vt fiat positiuè propria huius compositi, & incommunicabilis cuicumque alteri connotando dispositiones antecedentes & quantitatem virtualem, quam radicaliter continet: & hoc sufficit vt per accommodationem tribuatur ei, tamquam primæ radici, ratio incommunicabilitatis, quæ est in indiuiduo, & ratio distinctionis quantitati virtuali, propter conformitatem scilicet, quam habet distinctio cum effectu quantitatis, cuius est distinguere, & incommunicabilitas cũ effectu materiæ, cuius est reddere indiuiduum incommunicabile alteri, non solum per modum actus, sed etiam per modum potentiæ, licet hoc secundum præstare non possit se sola præcise considerata, sed vt connotat dispositiones antecedentes, & quantitatem virtualem, quam continet: vnde sicut in intellectione alicuius obiecti verbi gratia animalis, ratio intellectionis per accommodationẽ tribuitur intellectui, & talitas intellectionis speciei, talis obiecti repræsentatiuæ, licet nec intellectus sit sufficiens & adæquatum principium intellectionis vt sic, sine specie, nec species talitatis quæ est in intellectione, siue intellectu: ita ratio incommunicabilitatis alteri per modum potentiæ, quæ est in indiuiduo, per accommodationem tribuitur materiæ, & ratio distinctionis, quantitati virtuali, quamuis nec materia sit sufficiens principium talis incommunicabilitatis sine identificatione cum quantitate virtuali quam connotat, nec quantitas virtualis, distinctionis quam habet indiuiduum ab altero indiuiduo sine identificatione cum materia prima; quia cum distinctio illa sit substantialis & materialis, debet necessario quantitas identificari cum aliquo substantiali materiali, vt illam possit causare: & cum illa incommunibilitas per modum potentiæ, quam materia tribuit indiuiduo sit positiua, & inuoluat repugnantiam ad hoc vt alteri indiuiduo possit communicari & per cõsequens separationem & distinctionem dicat à quocumque alio, debet de necessitate connotare identificationem realem cum quantitate, non quidem cum formali, (quia hoc fieri non potest,) sed cum virtuali, quia proprium est quantitatis distinguere partes eiusdem rationis.

Obiicies. Substantia corporea diuidi non potest, nisi per quantitatem formalem, quia effectus formalis quantitatis est diuidere: ergo cum effectus formalis non possit esse sine forma formaliter, & non solum virtualiter considerata, substantia corporea non poterit ab altera diuidi sine quantitate formali sed per eam fiet formaliter talis diuisio: atqui indiuiduum dicit essentialiter diuisionem ab altero indiuiduo: ergo debet talis diuisio fieri formaliter per quantitatem formalem, & non per virtualem aut radicalem.

27. Respondeo quod diuisio forma-

lis quantitatiua, non potest quidem fieri sine quantitate formali, sed diuisio substantialis sicut est illa, quæ debet esse inter indiuidua eiusdem speciei, debet necessario fieri ab aliqua ratione substantiali, & non ab aliqua ratione accidentali, & consequenter debet fieri, non à quantitate formali, sed à quantitate modo substantiali considerata, & vt virtualiter & radicaliter continetur in materia prima. Vnde quando Arist. 10. Metaph. c.3. textu 4. dicit distinctionem numericam fieri per quantitatem, sicut distinctio formalis & specifica fit per formam; Arist. est intelligendus de quantitate virtualiter & radicaliter contenta in materia, vt hanc vel illam actionem, has vel illas dispositiones antecedentes connotat, non autem de quantitate formali: vel si intelligatur de quantitate formali, debet etiam intelligi de distinctione numerica accidentali & sensibili, non autem de distinctione numerica substantiali.

Obiicies, quantitas est formaliter & essentialiter diuisibilis in partes eiusdem rationis: ergo cum indiuidua eiusdem speciei sint diuisa inter se, tamquam partes eiusdem speciei & rationis, debent hoc formaliter habere à quantitate formali.

Respond. quod quantitas formalis est quidem diuisibilis formaliter in partes eiusdem rationis, sed in partes, quæ sunt quantitatiuæ, & totum aliquod continuum integrantes: at quantitas virtualis, & substantiali modo considerata, vt in materia radicaliter præcontinetur, est illa, quæ facit diuersas partes subiectiuas eiusdem speciei, seu diuersa tota Physica indiuidualia eiusdem rationis: Etenim, sicut optime inquit Caiet. 1. p. q. 29. a. 1. & cum eo Bannez 1. de generatione c. 5. q. 3. ar. 8. vt saluetur quod effectus cõuenit alicui, satis est quod reducatur in illud secundum esse formale, vel in formaliter participantia ipsum, vel tandem in aliquid in quo radicaliter & virtualiter præcontineatur. Vnde cum materia virtualiter præcontineat quantitatem, virtualem, aliquem effectum habebit, similem quidem, non in specie atoma, sed in ratione saltem analoga proprio effectui quantitatis: & propterea, sicut quantitas diuidit se in partes eiusdem rationis, ita materia cõstituendo, vt radix eiusdem quantitatis indiuiduum, diuidit vnã partem subiectiuam ab alia eiusdem speciei atque rationis quod est imitari quantitatem.

Obiicies, illud quod est indifferens secundũ se ad plura indiuidua, debet determinari ad aliquod ex illis per aliquid aliud à se distinctum: atqui materia est secundũ se indifferens ad hoc vt pluribus indiuiduis communicetur: ergo debet determinari ad aliquod vnum ex illis per aliquod aliud à materia distinctum: ergo per quantitatem.

28. Respondeo distinguendo maiorem: debet determinari per aliquid aliud vel formaliter vel virtualiter distinctum, concedo; per aliquid formaliter distinctum, nego: vnde cum quantitas virtualis seu radicalis, quãuis nõ distinguatur formaliter à materia, distinguatur tamen virtualiter ab ea, per eã & conseq. sufficiẽter determinari poterit ad hoc, vt sit propria huius indiuidui, & alteri cuicumque incommunicabilis.

Secundò respondeo, vt aliquid determinetur ad aliquid, ad quod erat secundũ se indifferẽs, sufficere quod

ad illud denominetur per connotationem alicuius extrinseci, nec necesse est quod formaliter determinetur per aliquid intrinsecum, quod veluti in recto ad illam determinationem concurrat: & sic, vt materia determinetur ad hoc, vt sit propria huius indiuidui, & alteri cuicumque reddatur incommunicabilis, sufficit, quod connotet dispositiones antecedentes, & hanc quantitatem formaliter, per quam extrinsecè & in obliquo ad hoc determinetur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum materia sit radix indiuiduationis per aliquem modum substantialem materiæ superadditum, an per hoc quod radicaliter hanc potius quam aliam quantitatem præcontineat.

Resolutio quæstionis.

§. I.

PRima sententia est aliquorum quos refert Suarez tomo 1. suæ Metaph. disp. 5. sect. 3. nu. 22. qui dicunt materiam primam esse principium radicale indiuiduationis per aliquem modum substantialem materiæ superadditum per quem ad hanc potius quam ad aliam quantitatem determinatur.

Secunda sententia communiter inter Thomistas recepta, est, materiã primam, vt radicem huius potius quam alterius quantitatis, esse principium indiuiduationis: ita Caiet. 1. p. q. 29. ar. 1. Gonzales 1. p. q. 11. disp. 23. Iauellus 9. Metaph. q. 15. Bannez primo de generatione ca. 5. q. 3. art. 8. Salmanticenses nostri tract. de princ. indiuid. disp. 1. dub. 3. & hæc sententia videtur omninò vera: sit ergo

Conclusio prima: Materia prima non est radix indiuiduationis per aliquem modum substantialem ipsi superadditum.

29. Probatur ratione desumpta ex D. Thoma opusc. de natura materiæ primæ c. 3. materia prima non potest constitui radix indiuiduationis per aliquid rationi indiuiduali oppositum: atqui modus ille est rationi indiuiduali oppositus: ergo. Maior est certa ex terminis: minor probatur, quia de ratione indiuidui est, quod nec sit in alio, nec de alio prædicetur: ergo cum iste modus substantialis, si daretur, in materia reciperetur, modum haberet rationi indiuiduali omnino oppositum: ergo, &c.

Probatur secundò quia si materia prima determinaretur ad hoc, vt esset radix indiuiduationis per aliquẽ modum substantialem superadditũ, sequeretur quod forma substantialis non esset actus primus materiæ primæ, quia materia prima prius per illum modum actuaretur, quam per formam substantialem: etenim materia prima determinaretur per illum modum ad hoc, vt esset formæ substantialis receptiua, & per consequens deberet prius actuari per talem modum, quam per formam substantialem: & sic forma substantialis non esset amplius actus primus materiæ primæ, nec daret ei esse simpliciter, quia supponeret materiam iam per alium actum actuatam: vel si forma daret ei esse simpliciter, prius materia prima reciperet esse secundũ quid per talem modũ præsuppositũ

quam esse simpliciter à forma substanti li prouueniens.

Confirmatur, quia sigillatio illa, per quam materia prima determinatur ad hanc potius quantitatem quā ad aliam, est veluti causalitas materiæ primæ vt est radix indiuiduationis: at materia prima non potest exercere propriam causalitatem nisi per aliquid merè potentiale, & non per aliquam actualitatem, sicut esset talis modus: ergo: Maior videtur certa & euidens, minor probatur, quia in causalitate cuiuslibet causæ debet relucere modus proprius causandi talis causæ: ergo cum materia prima causet per modum puræ potentiæ, debet causalitas eius habere rationem potentialitatis, & non aliquam rationem actualitatis, sicut esset ille modus.

30. Secunda conclusio. Materia prima quatenus radicaliter hanc potius quam illam quantitatem præcontinet, est radix indiuiduationis; ita omnes authores citati pro secunda sententia in præsenti quæst. & D. Thomas multis in locis passim per totam hanc disputationem relatis, & maxime opusc. 70. quæst. 4. art. 2. ad 3. vbi postquàm dixit dimensiones secundum suum formale consideratas non posse esse principium indiuiduationis, subiungit materiam esse radicem illius ratione dimensionum in ea præintellectarum: ergo ex mente Diui Thomæ quātitas vt radicaliter in materia contenta seu materia vt radicaliter quantitatem præcontinens, est radix indiuiduationis.

Probatur ratione, materia vt sigillata & signata quātitate est radix indiuiduationis: sed non est radix illius, vt signata quantitate formali, vt ostensum est quæst. præcedenti, neque vt signata modo aliquo substantiali, per quem determinetur ad hanc potius quantitatem quam ad aliam, sicut statim probatum est concl. prima: ergo debet esse radix illius, vt signata quantitate virtuali & vt radicaliter ipsam in se præhabet, minor & consequentia sunt euidentes: maior autem probatur, quia quantitas est per se, & ratione sui indiuidua, & diuisa in partes eiusdem rationis, vt patet ex iis quæ dicta sunt quæst. 2. huius disput. & magis adhuc patebit ex dicendis infra disp. sequenti quæst. secunda: ergo quoties aliqua diuiduntur in partes eiusdem speciei atque rationis, debet quantitas ad illam diuisionem concurrere, ad quantitatiuam quidem formaliter, & secundum suum esse accidentale; ad substantialem verò qualis est illa quæ est inter indiuidua substantialia eiusdem speciei, modo substantiali, & secundum aliquod esse substantiale, & per consequens vt præcontenta in principio primo substantiali quod radicaliter concurrit ad indiuiduationem: & sic cum materia prima sit huiusmodi principium, quantitas in illa præcontenta, seu materia prima vt illam præcontinet, erit radix indiuiduationis.

Confirmatur, quia primus modus secundum quem concipitur materia sigillari quantitate debet esse prima radix indiuiduationis, quia cum materia vt sigillata quantitate sit radix indiuiduationis, primus modus, secundum quem concipietur quantitate sigillari, erit ille secundū quem constituetur in esse principij primi, primæque radicis indiuiduationis: sed ille modus secundum quem concipitur materia esse radix huius potius,

tius quam alterius quantitatis, siue secundum quem radicaliter in se, hãc potius quam alteram quantitatem præcontinet, est primus modus secundum quem concipitur materia primo sigillari quantitate: ergo. maior est certa, minor probatur, quia prius concipitur quantitas in sua radice & in suo principio, quam in seipsa formaliter: ergo prius sigillabit radicem suam, vt est in ea, quam secundum quod est in seipsa formaliter: ergo prius sigillabit materiam primam quatenus radicaliter in ea præcontenta, quam secundum suum esse formale accidentarium, & consequenter materia prima vt radicaliter hanc potius quam alteram quantitatem prehabens, erit radix indiuiduationis.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. III.

OBiicies; materia est singularis & indiuidua antequam contineat radicaliter hanc quantitatem: ergo materia non est radix indiuiduationis, vt hanc quantitatem precõtinet; consequentia est clara: probatur antecedens, materia non potest continere hanc numero formam, nisi sit singularis: sed antequam contineat hanc quantitatem continet hanc numero formam: ergo. Maior est certa; minor probatur, quia eo ordine, quo materia causat suos effectus, eodem & illos continet: sed materia prius causat formam substantialem, quam quantitatem, quia prius formã substantialem recipit quã accidentalem, cum prius esse simpliciter recipiat, quam esse secundum quid: ergo prius etiam continet formam substãtialem quã accidẽtalem. & consequẽter materia erit prius hęc inquantum h[illegible] formam substantialem, quam secundum quod hanc numero quantitatem continet.

31. Resp. negando antecedens: & ad probationẽ eius negatur minor, quod scil. prius cõtineat hanc numero formam, quam hanc quantitatem, & ad eius probationẽ in qua dicitur quod materia eodem ordine continet suos effectus, quo illos causat, resp. quod illa maior absolutè est falsa: sed maioris claritatis gratia distinguamus eã: si materia prima consideretur secundum suam rationem specificam, concedo: si autem consideretur secundũ suam rationem indiuidualem, nego: Ratio huius distinctionis est, quia materia determinatur positiuè ad hãc speciem per formã substantialẽ; per cõtinentiã autem radicalẽ huius quantitatis, determinatur ad hoc vt positiuè sit radix huius indiuiduationis, quæ est tam in forma quam in cõposito: & consequẽter licet verũ sit quod sicut prius recipit formam substantialem quam formam accidentalem, (quia prius esse simpliciter recipit quam esse secundũ quid) ita prius contineat formam substantialem secundum quod est talis speciei, quam quantitatẽ hanc; tamen considerata secundum quod est hæc radicaliter positiuè, prius continet hanc quantitatem, quam hãc numero formam substãtialem. Vnde sit tertia responsio ad eandem maiorem: si continentia effectus, qui posterius causatur, non determinet materiam ad continendũ in se illum effectum qui prius causatur, concedo, quod eodẽ ordine contineat, quo vtrũque causat: sed si effectus qui posterius procedit, determinet materiam ad continendum

illum effectum, qui prius causatur; tunc tantū abest quod continentia illius effectus, qui posterius procedit, sit posterior cōtinētia illius, qui prius causatur; quin potius debet esse prior & cōsequēter debet ille effectus qui posterius profluit à materia, prius in ea cōtineri, quā ille qui prius dimanat ab ea. sit exēplum clarissimum in causalitate actiua: certum est enim quod qualitates quæ disponūt ad introductionē formæ substātialis, prius procedūt à generante, quā introducatur forma substātialis in materiam; & tamen prius continetur forma substantialis in agēte quā dispositiones illæ, quia cōtinentia radicalis formæ substantialis determinat agens ad hoc, vt in ratione agentis contineat in se radicaliter dispositiones ad huiusmodi formā: cum enim causalitas agentis fundetur in actu, quotiescunque duo actus ordinati adinuicē continentur in causalitate alicuius agentis, sicut agens magis est in actu per actū perfectiorē; ita debet per eundē actum determinari ad hoc, vt contineat in ratione agentis, vt sic, aliū actum minus perfectum: ergo continentia radicalis qua forma substantialis radicaliter continetur in agente vt sic, debet determinare agens ad continētiā radicalē, dispositionū ad huiusmodi formā, & cōsequēter prior esse ea licet dispositiones prius formaliter emittantur ab agente, quā forma substantialis: ita similiter dicendū est de cōtinētia radicali quātitatis in materia prima, vt in radice indiuiduationis, si cōparetur talis continentia ad continentiam radicalem formæ substantialis in eadē materia: nā licet forma substantialis, vt est hæc, sit prius causata à materia prima, priusque in ea recipiatur formaliter, quā quantitas formalis; tamen quia continentia radicalis qua continetur radicaliter hęc quantitas in materia prima, determinat eam ad continentiam formæ substantialis, vt est hæc numero; ideo debet hæc numero quātitas prius secūdū suum esse virtuale cōtineri in materia, quam forma substantialis secūdū idem esse virtuale atque radicale.

32. Et si dicas quod cōtinentia huius quantitatis est in materia prima propter continentiā huius formæ substātialis; quia cōtinentia hæc posterior, perfectior est quam prior, & conseq. prior erit continentia huius formæ substantialis, quam huius quātitatis, & sic materia erit radix indiuiduationis per continentiam hnius numero formæ substantialis, & non huius quantitatis.

Respondeo quod licet continentia huius quantitatis in materia sit propter continentiam huius formæ substantialis ordine intentionis seu in genere causæ finalis, tamē in genere causæ materialis & in ordine executionis, continentia huius formæ substantialis, est propter continentiam huius quantitatis: & consequenter sicut, loquendo in genere causæ actiuæ, illud quod prius est in ratione actus, & in ratione agēdi, dicitur simpliciter prius in agente contineri; ita in genere causæ materialis, in quo materia prima causat vt est radix indiuiduationis, illud quod est prius in illo ordine, debet simpliciter prius in materia cōtineri, & per cōsequens esse vna cū ea absolutè & simpliciter principium radicale indiuiduationis: & sic quantitas vt virtualiter contenta in materia prima, erit radix indiuiduationis.

Sed instabis rursus & dices, quod materia prima prius respicit ea quæ

sunt intra idem prædicamentũ proprium, quam ea quæ sunt extra illud: ergo cum quantitas non sit intra proprium prædicamentum substantiæ, prius respiciet, priusque consequenter continebit formam substantialem, quam quantitatem.

Respõdeo, quod licet materia prius respiciat formã substantialem quam quantitatem, si vtraque consideretur secundum suum esse formale, quia quantitas non est intra prædicamentum substantiæ, sicut forma substantialis: tamen si vtraque consideretur secundum esse virtuale atque radicale, secundum quod in materia continetur, quantitas prius continetur in materia, quam hæc numero forma substantialis, quia quantitas secundum istam considerationem est substantialis, determinatque materiam ad hoc vt contineat formam substantialem, & vltra hoc habet ratione potentialitatis suę, maiorem analogiam & conformitatem cum materia prima, quam forma substantialis.

33. Obiicies. si materia est radix indiuiduationis vt est signata quantitate, vel erit talis ex hoc quod est signata quantitate interminata; vel ex hoc quod est signata quantitate terminata: non ex hoc quod est signata quantitate terminata, vt expressè asserit D. Thomas opusc. 30. q. 4. a. 2. ergo ex hoc quod est signata quantitate interminata: atqui non potest adhuc vltimo hoc modo considerata esse radix indiuiduationis; ergo nullo modo erit radix illius, vt est quantitate signata. probatur subsumptum in quo est difficultas, quia si materia est radix indiuiduationis vt est quantitate signata, debet esse radix illius, vt est signata aliqua quantitate determinata: ergo cum quantitas non possit esse determinata absque eo, quod sit terminata, quia nihil est aliud quantitatem esse determinatã, quam quantitatem habere suum terminum, materia non poterit esse radix indiuiduationis, nisi vt est signata aliqua quantitate terminata.

Resp. quod quantitas quæ præintelligitur in materia ante formam est interminata, figura enim est terminus quantitatis: vnde cum quantitas non sit in materia secundum suũ esse formale, nec consequenter secundũ aliquod esse figuratum, sed solũ secundum esse virtuale, & modo substantiali, non erit in materia vt terminata, sed vt interminata; & consequẽter materia vt signata quantitate interminata erit radix indiuiduationis: & ad illud quod obiicitur quod quãtitatem esse determinatam, & quantitatem esse terminatam sunt vnum & idem, respondeo hoc esse falsum; vt enim quantitas sit formaliter terminata, debet prius habere suũ esse formale, secundum quod habet figurari, vt statim dictum est, vbi vt sit determinata non requirit habere suum esse formale, cum res non solum in seipsa, sed etiam in suo principio possit habere esse determinatum: & sic quantitas habet esse determinatum in materia tamquam in suo principio, & in sua radice, inquantum scilicet exigit ex vi rationis dispositionumque præcedentium, hanc potius quantitatem quam aliam: nam ratione huius exigentiæ, talis quantitas determinate continetur in materia, cum qua principium radicale indiuiduationis constituit.

DISPVTATIO IV.

DE PRINCIPIO INDIVIDUATIONIS IN ACCIDENTIBUS.

POST disputationem de principio indiuiduationis in composito substantiali, agendum est de principio indiuiduationis in accidentibus: licet autem disput. præcedenti disputatum solum fuerit de principio indiuiduationis in comparatione ad cōposita materialia, in præsenti tamen non solum de accidentibus huiusmodi compositis conuenientibus, sed etiam de aliis quibuscumque sermo instituetur: & sic illa quæ de accidentibus materialibus in particulari hic dicentur, accidentibus spiritalibus poterunt etiam proportionaliter applicari.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM SVBIECTVM SIT PRIMA RADIX indiuiduationis accidentium.

§. I. *Resolutio quæstionis.*

PRima sentētia est negatiua: ita Suarez disp. 5. Metaph. sect. 7. & alij quos referunt Salmāticenses nostri tract. de princ. indiuidua. disp. 2. dub. 1.

Secunda sententia communis inter Thomistas est affirmatiua. probatur ex Arist. 5. Metaph. textu 15. vbi etiam D. Th. 1. p. q. 29. a. 1. his verbis. *Accidentia indiuiduantur per subiectum: dicitur enim hæc albedo inquantum est in hoc subiecto*: & q. 39. a. 3. *Accidentia sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem & multitudinem*. & opusc. 29. *Sed aduertendum est*, inquit, *quod accidentia non indiuiduātur per materiam primam, sed per subiectum propriū, quod est ens in actu, sicut formæ substantiales per materiam primam, quæ est eorum subiectum.*

Probatu ratione. Distinctio individualis & numerica est materialis & non formalis, vt sæpius dictum est disput. præcedenti: ergo debet in accidenti peti tamquam à prima radice ab eo, quod ipsum materialisat: ergo cum subiectum accidentis materialiset ipsum, reddatque illud incommunicabile per modum formæ, vel actus cuicumque alteri subiecto, debet ab eo peti radix indiuiduationis ipsius.

Confirmatur, quia omnis actus limitatur formaliter in ratione actus per potentiam, in qua recipitur: ergo cum potentia propria actui, vel formæ accidentali correspondens sit subiectum, in quo recipitur, illud vnde accidens limitabitur & restringetur in ratione actus, & formæ erit subiectum in quo recipitur, & consequenter erit id vnde petetur radix indiuiduationis accidentis.

Probatur secundò, vel radix indiuiduationis debet desumi in accidenti ab ipsa forma accidentali, vel à subiecto in quo sustentatur: atqui non potest radix illa desumi ab ipsa forma accidentali: ergo à subiecto in quo recipitur. Maior & conseq. entia constant. Probatur minor, quia de ratione indiuidui & singularis est, quod nec sit in subiecto, nec de subiecto aliquo prædicetur: at ista ratio non potest peti à forma accidentali, quia forma accidentalis quantum est ex se petit esse in subiecto & de eo prædicari: ergo debet talis ratio peti tamquam à prima radice ab eius subiecto, per quod accidens redditur incommunicabile cuicumque alteri subiecto, tum in essendo, tum in prędicando.

2. Dices primam radicem in quam vltimo resoluitur indiuiduatio accidentis non esse subiectum inhæsionis, in quo recipitur, sed materiam primam vt quantitate signatam: licet enim proxima ratio, quare accidens sit hoc, sit quia recipitur in tali subiecto inhæsionis, tamen quia radix, quare subiectum est hoc, est quia in eo est talis, seu hæc materia, tali quantitate signata, propterea prima & radicalis ratio indiuiduationis accidentis refunditur in materiam primam tali quantitate signatam.

Respondeo, quod prima & radicalis ratio adæquata (de ea enim loquimur,) limitandi aliquem actum, est propria & adæquata potentia talis actus receptiua: vndè cum propria & adæquata potentia formæ accidentalis receptiua non sit materia prima nuda, (quia in ea sola non recipitur, aliàs materia prima prius reciperet esse secundum quid, quam esse simpliciter,) sed materia secunda, seu materia informata forma substantiali, ad summum materia prima, vt signata quantitate, erit radix inadæquata indiuiduationis accidentalis, adæquata verò & completa totum compositum, quod est subiectum accidentis receptiuum.

Et si dicas, ex hac materia tali quantitate signata inferri, quod debent esse in tali composito talia & non alia accidentia, & consequenter adæquatam radicem indiuiduationis accidentalis esse à materia prima, vt signata tali quantitate petendam.

Respondeo, quod licet ex materia prima tali quantitate signata, inferatur talia accidentia debere in illo composito, quod componit, recipi, tamen hoc solum infertur, ex ea tam-

quam ex ratione inadæquata, non tamquam ex ratione adæquata. Consule Salmanticenses nostros tract. de princ. indiuid. disp. 2. dub. 1. §. 3. num. 10.

Secundò respondeo, sicut actio refunditur tamquam in principium quo, radicale in formam substantialem, & in suppositum tamquam in principium quod; ita similiter accidens refundi in materiam primam quantitate signatam, tamquam in principium quo radicale: in totum verò compositum, tamquam in principium quod.

3. Tertiò potest responderi, nec materiam primam tali quantitate signatam, nec compositum, quod constituit, præcisè vt sic consideratum esse radicem indiuiduationis accidentalis, sed compositum consideratum formaliter, vt est in tali tempore, & vt formaliter tali actioni huius formæ accidentalis productiuæ subiicitur atque subordinatur: compositum enim hoc posteriori modo consideratur, & subiectum formale accidentis & principium radicale indiuiduationis ipsius, non autem si priori modo spectetur: nam principium radicale alicuius formæ debet non solum reddere formam incōmunicabilem per modum formæ alteri subiecto, sed insuper debet esse proprium talis formæ, quia debet esse distinctiuum illius ab aliis formis eiusdem speciei atque rationis, & consequenter debet esse incommunicabile aliis formis eiusdem speciei; ergo cum compositum hoc tali quantitate signatum, sit receptiuum successiuè plurium formarum eiusdem speciei, vt experientia patet, non potest hoc modo præcisè consideratum esse subiectum formale accidentis, nec principium radicale indiuiduationis ipsius: ergo erit radix illius, secundum quod subiicitur formaliter talibus temporis circumstantiis, talique actioni huius accidentis productiuæ, quia secundum istam considerationem, est subiectum formale accidentis, non autem secundum aliam, secundum quam solum est subiectum materiale. Sed de his vide quæ dicenda sunt q. 3. huius disput. §. vltimo, nu. 18. & 19.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

4. Obiicies. Principium radicale indiuiduationis debet esse quid intrinsecum indiuiduo cuius est principium; atqui subiectum accidentis, non est quid intrinsecum accidenti: ergo subiectum non erit principium radicale indiuiduationis accidentis: quod recipit.

Respondeo distinguendo maiorem; debet esse quid intrinsecū indiuiduo compositi substantialis, concedo: indiuiduo accidentis, nego: sed sufficit quod petatur ab aliquo, ad quod accidens dicat intrinsecā habitudinem, tamquam ad aliquod receptiuum ipsius: & ratio huius rei est, quia accidens est entis ens, seu ens in alio, & per consequens non à se, nec ab aliquo sibi intrinseco debet radicaliter indiuiduari, sed à proprio receptiuo: quia per illud accidens habet repugnantiam essendi in alio subiecto, seu communicandi se alteri subiecto, & de eo prædicari, tamquam per id, cui Physicè, & primò repugnat recipi in alio tamquam in subiecto.

Et si dicas, ex ista solutione sequi, potius petēdam esse radicem indiui-

duationis accidētium, à diuersis temporis circumstantiis, & ab actione accidentia productiua, quam à subiecto; quia subiectum per ea redditur proprium huius accidentis, & alteri eiusdem speciei incōmunicabile.

Respondeo, quod illud quod est propriū in indiuiduatione formę, est incommunicabilitas per modum formæ vel actus cuicumque alteri subiecto, quamquidem incommunicabilitatem habet accidens à subiecto in quo recipitur, tamquam ab eo cui per se primò Physicè repugnat, vt quod, in alio recipi: quantum autem attinet ad aliam conditionem quæ in principio indiuiduationis requiritur, quod scilicet sit quid proprium formæ quam indiuiduat. Respondeo verum esse quod subiectum habet hanc conditionem, inquantum subiicitur huic actioni accidentis productiuæ, & talibus temporis circumstātiis: sed ex hoc solum sequitur quod subiectum consequitur hanc cōditionem ab eis, tamquam à connotatis extrinsecis, & per consequens semper remanet subiectum esse proprium, & per se principium radicale indiuiduationis accidentis; intrinsecum quidem radici indiuiduationis ipsius; extrinsecum verò formalitati indiuiduationis eiusdem; cum subiectum sit formaliter extra genus accidentis, & cōsequēter extra omnes gradus, tam vniuersales, quam particulares ipsius.

Sed instabis rursus & dices, accidens sumere suam specificationem per ordinem ad subiectum, & consequenter ab eo non posse peti radicem indiuiduationis ipsius; cum ab eodem peti non possit radix indiuiduationis, & rationis specificæ.

5. Respondeo, quod licet accidentia ordinis naturalis desumant suam specificationem per ordinem ad subiectum, si considerentur, vt sunt effectus ipsius, & quatenus pendent ab eo tamquam à causa dimanatiua, vel tamquam à causa formali, vel etiam finali: tamen si considerentur quatenus habent rationem formę, & quatenus respiciunt subiectum, vt subiectum, & vt receptiuum eorum, non specificātur ab eo, sed potius ab eo limitantur & indiuiduantur: & ratio huius rei est, quia quando aliquid respicit aliud per modum specificati ab eo, respicit illud per modum perfectibilis ab ipso, & non per modum perfectiui ipsius. Vnde cum accidentia respiciāt subiectum, vt subiectum, tamquam formæ ipsius subiecti, & consequenter tamquam perfectiua illius, non possunt ab eo, vt sic specificari; non secus ac forma substantialis, quæ quia ad materiam ordinatur, tamquam perfectiua ipsius materiæ, & non tamquam perfectibilis ab ipsa, ab ea non specificatur, sed potius indiuiduatur, & in ratione formæ seu actus limitatur: ita similiter quia quando subiectum comparatur ad accidens vt subiectum eius, comparatur ad illud per modum potentiæ receptiuæ limitantis & restringentis, reddentisque illud incommunicabile alteri subiecto, propterea sub ista consideratione non specificat, sed potius indiuiduat & materialisat ipsum.

Obiicies. Potest idem subiectum esse receptiuum plurium accidentium eiusdem speciei, si non simul, saltem successiuè: ergo cum principium indiuiduationis debeat esse solum proprium illius, quod indiuiduat, & non alterius, subiectum non poterit esse principium indiuiduationis in accidentibus.

Respondeo, quod sicut eadem entitas materiæ, provt connotat diuersas dispositiones præcedentes, potest esse successiuè principium radicale indiuiduationis diuersarum formarum substantialium; quia vt connotat has dispositiones, est diuersa formaliter & positiuè à seipsa, vt alias connotat: ita quia idem subiectum consideratum, vt hanc cōnotat actionem & has temporis circumstantias, est diuersum formaliter in esse subiecti à seipso, vt alias connotat circumstantias aliamque actionem; ideo fit quod possit successiuè plura eiusdem speciei accidentia indiuiduare.

Obiicies. Dantur aliqua accidentia quæ sunt ad aliud, sicut sunt relationes, tam secundum esse, quam secundum dici: ergo illa indiuiduabuntur ab eo, ad quod ordinantur, & consequenter non à subiecto.

Respondeo, licet relationes, tam secundum esse, quam secundum dici specificentur ab eo, ad quod ordinantur tamquam ad obiectum vel terminum, eas tamen indiuiduari à subiecto, ad quod non solū secundū esse in, sed etiā secundū esse ad, ordinantur; cum illud referant ad aliud.

QVÆSTIO II.

Vtrum quantitas habeat ex se, quod sit sub aliqua ratione principium radicale suæ indiuiduationis.

Aliqua prænotantur ad quæstionis intelligentiam.

§. I.

6. NOtandum est primò, quod quando quæritur, vtrum quantitas habeat ex se quod sit sub aliqua ratione radix suæ indiuiduationis, sensus non est, vtrum quantitati conueniat esse radicem suæ indiuiduationis secūdum rationem suam specificam; ita vt ratio eius specifica sit radix formaliter indiuiduationis ipsius; sed sensus quæsiti est, vtrum quantitas secundum quod ab aliis accidentibus distinguitur, habeat in ratione sua specifica aliquid, ratione cuius petat, quòd considerata secundum suam indiuiduationem & particularitatem formalem, sit radix per se, propriæ indiuiduationis & singularitatis; item eadem ratio formalis, quæ ipsam formaliter indiuiduat & singularisat, sit etiam aliquo modo radix & origo eiusdem indiuiduationis; taliter quod etiamsi non ordinaretur ad subiectum tamquam ad radicem suæ indiuiduationis, tamen conciperetur secundum aliquam rationem indiuidua & multiplicabilis, vel etiam multiplicata intra eamdem speciem.

Secundò notandum est, quod idem & indiuisibilis conceptus quantitatis potest sub duplici formalitate exprimi atque considerari: potest enim primò considerare secundum quod dicit quamdam formam, quę est substantiæ formaliter extensiua; & secundum istam considerationem non est dubium, quin quantitas à subiecto tamquam à prima radice indiuiduetur; quia sicut ostensum est quæstione præcedenti; omnis forma accidentalis habet limitari, & reddi incommunicabilis per modum actus alteri subiecto per illud subiectum in quo recipitur. Secundo modo potest considerari quantitas, non quidem, vt exprimit conceptum illum formæ extensiuæ subiecti; sed vt est

vt est in ordine ad seipsã extẽsa, per diuersas sui partes diuersimode situatas, non quidẽ illo situ qui ex loco resultans, prædicamentum situs constituit, & qui diuersas partes locati facit diuersimode correspondere diuersis partibus loci; sed sitũ quodam quantitatiuo, quo partes quantitatiuæ v. g. vnius lineæ, diuersam situationem & positionem habent, tum inter se, tum in ordine ad totum, quod componunt: & de quantitate hoc modo considerata procedit difficultas. Vtrũ scilicet hæc, v. g. linea habeat ratione diuersæ situationis & positionis partiũ suarum, ex se esse principium radicale propriæ indiuiduationis; itavt eadem ratio formalis, quæ indiuiduat hanc lineam hoc modo consideratam, sit radix talis indiuiduationis.

Tertiò notandum est. Quod licet quantitas isto posteriori modo considerata nõ exprimat formaliter quantitatem, secundum conceptum formæ subiectum extendentis, implicite tamen conceptũ illius continet, & identificationem, cum eo, quo cum, tamquam cum conceptu quantitatis inadęquato quantitatem constituit, & consequenter ex implicita continentia huiusmodi conceptus, debet quantitas alio modo considerata semper connotare subiectum, vt radicem talis conceptus implicite contenti.

Quæstio resoluitur.

§. II.

His positis prima sententia dicit quantitatem non sibi vendicare potius esse radicem indiuiduationis suæ, quam cætera accidentia: & ita si cætera accidentia sumant radicem suæ indiuiduationis à subiecto; quantitatem quoque illam sumere, secundum quamcumque eius considerationem: ita Aureolus apud Capreolum in 2. d, 3. q. 1. a. 2. Suarez, & alij citati à nostris Salmanticensibus tract. de princ. indiuid. disp. 2. dub. 2. §. 1. 7. Secunda sententia, & vera, est quod sub peculiari aliqua ratione cõpetit quantitati, esse ex se radicem indiuiduationis suæ; etiamsi cæteris accidentibus competat solum indiuiduari radicaliter à subiecto; ita Thomistæ communiter: Capreolus in 2. d. 3. q. 1. a. 3. Caietanus 1. p. q. 20. a. 1. Ferrariensis 4. contra Gentes c. 65. Bannez 1. de generatione c. 5. q. 3. a. 8. ad 3. Gonzales 1. p. disp. 23. num. 13. Salmanticenses nostri dubio supra citato.

Probatur ex D. Thoma apud 70. q. 4. a. 2. ad 3. vbi habet hæc verba, *De ratione indiuidui est quod sit in se indiuisum, & ab aliis diuisum vltima diuisione, nullum autem accidens habet in se propriam rationem diuisionis, nisi quantitas: Vnde dimensiones ex seipsis habent quamdam rationem indiuiduationis secundum determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis, & sic habet duplicem rationem indiuiduationis, vnam ex subiecto sicut & quodlibet aliud accidens; aliam ex se ipsa, inquantum habet situm, ratione cuius abstrahendo à materia sensibili, imaginamus hanc lineam, & hunc circulum*, & 3. p. q. 77. a. 2. vbi postquam dixit rationem diuisionis ab aliis, quæ conuenit indiuiduo, prouenire à quantitate, statim subiungit. *Vnde & ipsa quantitas dimensiua secundum se habet quamdam indiuiduationem; ita quod possumus imaginari plures lineas eiusdem speciei differen-*

ter positione, quæ cedit in ratione huius quantitatis: conuenit enim dimensioni, quod sit quantitas positionem habens: & quodlibeto septimo, artic. 10. *quantitas nõ indiuiduatur solũ ex subiecto, sicut alia accidentia, sed etiam ex situ qui est de ratione quantitatis dimensiuæ quæ est quantitas positionem habens: & ideo possibile est imaginari duas lineas separatas eiusdem speciei numero diuersas secũdum diuersum situm, aliàs non esset diuisibilis ex ratione sui generis: non enim diuiditur linea nisi in lineas: plures autem albedines eiusdem speciei, sine subiecto (hoc est actu vel aptitudine) imaginari non est possibile; & sic patet quod albedo non indiuiduatur nisi ex subiecto*: & 4. contra Gentes c. 65. *habet autem & hoc propriũ quantitas inter alia accidentia, quod ipsa secundũ se indiuiduatur, quod ideo est quia positio quæ est ordo partium in toto in eius ratione includitur: est enim quãtitas positionẽ habens: vbicumque autem intelligitur diuersitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi indiuiduationem: nam quæ sunt eiusdem speciei, non multiplicantur nisi secundũ indiuiduum: & inde est quod non possunt apprehendi multæ albedines: nisi secundum quod sunt in diuersis subiectis (intellige actu vel aptitudine) possunt autem apprehendi multæ lineæ etiamsi secundum se considerentur.* No potest ergo dubitari quin sit expressa mens D. Thomæ quantitatem à seipsa indiuiduari.

8. Probatur ratione desumpta ex omnibus illis auctoritatibus; illud quod ex se diuiditur in plures partes eiusdem speciei atque rationis, habet ex se esse sub aliqua ratione speciali principium suę indiuiduationis: atqui quantitas diuiditur ex se, & per se in plures partes entitatiuas, quæ sunt eiusdem speciei atque rationis: ergo. maior est certa, quia differẽtia indiuidualis fit formaliter per diuisionem intra eamdẽ speciem: ergo illud quod habebit à se, & ratione sui diuidi in diuersas partes eiusdem rationis atq; speciei, habebit à se principium indiuiduationis & multiplicationis inter eamdem speciem: minor autem probatur: quia linea v.g. diuiditur in plures partes, quarum quælibet est eiusdem speciei, cum quęlibet sit linea: & ita pariter de aliis speciebus quantitatis; ergo quãtitas habet ex se diuidi in plures, & diuersas partes eiusdem speciei atque rationis: & consequenter quantitas habet à se principium multiplicationis indiuidualis.

Et si dicas quod diuisio illa quantitatis in diuersas partes eiusdem rationis non arguit, quod sint diuersa indiuidua intra eamdem speciẽ quantitatis; quia illæ partes non diuiduntur actu inter se.

Respondeo. Quod quamuis partes illæ nõ sint actu inter se diuisæ, tamẽ diuisibiles sunt ab inuicẽ ex diuersa positione & situatione quam habent, tum inter se, tum in ordine ad totum quod componunt: & consequenter quantitas habet à se id, vnde potest intra eamdem speciem multiplicari: licet ergo diuersæ partes eiusdem totius quantitatiui v.g. eiusdem lineæ, non habeant in seipsis multiplicare speciem lineæ, tamquam indiuidua eiusdem speciei actu diuersa, atque diuisa (cum omnes illæ partes vniantur actu ad constituendum vnum totum quantitatiuum: attamen multiplicant illam speciem tamquam diuersa quędam indiuidua potentialia, & quæ possunt esse actu diuersa & diuisa abinuicem, per diuersam situationem & positionem.

9. Probatur secundò conclusio.

Illud quod potest concipi multiplicari intra propriam speciem independenter, quodammodo à subiecto, non petit indiuiduari secundum omnem sui rationem à subiecto: sed eadem quantitatis species, v. g. linea, potest concipi multiplicari, secundum rationem lineæ independenter à subiecto: ergo. Maior est certa, quia illud quod pendet secundum omnem sui rationem à subiecto tamquam à principio indiuiduationis, nō potest concipi, vt indiuiduum, aut vt multiplicatum secundū rationem indiuidualem, independenter à subiecto: ergo illud quod potest cōcipi indiuiduari, & intra propriam speciem indiuidualiter multiplicari indepēdenter à subiecto, non pendet secundum omnem sui rationem à subiecto, tamquam à principio indiuiduationis. Minor autem (quod possit cōcipi multiplicari linea independenter quodammodo à subiecto) videtur euidens, quia possunt concipi duæ lineæ non solum à subiecto, sed etiam ab ordine ad subiectum abstractæ, & sola situatione quantitatiua, seu positione partium diuersæ: ergo multiplicatio & diuersitas indiuidualis illarum linearum non prouenit secundum omnem sui rationem à subiecto, tamquam à principio indiuiduationis, sed etiam à diuersa situatione & positione partium conuenienti quantitati secundum se: quamuis ergo verum sit quod duæ illæ lineæ desumant radicem diuersitatis & multiplicitatis suæ indiuidualis à subiecto, si considerentur secundum quod sunt quædam formæ subiecti extensiuæ, si tamen considerentur secūdum quod sunt extensæ in ordine ad se secūdum quam rationem non considerantur, vt exprimunt conceptum formæ informantis, sed vt præscidentes à tali conceptu & tamquam veluti negatiue subsistentes habent à seipsis seu à diuersa positione, & situatione partium suarum quātitatiuarum multiplicari indiuidualiter, & per consequens quantitas secundū istam considerationem à seipsa indiuiduabitur.

Proponuntur & soluuntur obiectiones

§. III.

Obiicies. Illud quod conuenit quantitati secundum rationem eius specificam, non potest esse ratio cur à seipsa indiuiduetur; sed diuidi in partes eiusdē speciei atque rationis conuenit quantitati secundum rationem eius specificam atque communem: ergo male colligitur, quod quantitas sit secundum se indiuidua ex eo, quod secundum se in partes eiusdem rationis diuidatur.

10. Respondeo distinguendo maiorem: non potest esse ratio, cur à seipsa radicaliter indiuiduetur secundū rationē specificam, concedo: non potest esse ratio, cur à seipsa radicaliter indiuiduetur cōsiderata secundū quod est hæc, & secūdum formalem rationem eius indiuidualē, nego. Sicut ergo ex hoc quod materia secundū rationem eius specificam, sit prima potentia, & primum subiectum non receptibile in alio, optimè colligitur quod considerata secundum quod est hæc, debet esse principiū radicale indiuiduationis sui ipsius, imò & compositi, & formę substantialis, tribuens eis per modū primæ radicis rationem non essendi in alio, quæ competit eis, vt sunt hæc, & quid singulare, vel indiuiduatum: ita similiter optimè colligitur, quod quantitas sit

per seipsas, vt est hæc, radix propriæ indiuiduationis seu multiplicationis indiuidualis intra propriam speciem, ex eo quod competat ei secundum rationem eius specificam diuidi in plures partes eiusdem speciei atque rationis: vnde sicut extensio & diuisio quantitatis in diuersas partes eiusdem rationis in communi & indeterminatè, tribuit speciem quantitati, ita extensio & diuisio determinata in has partes eiusdem rationis diuermodè situatas & ordinatas, tribuit ei rationem indiuidualem nō solum formaliter, sed etiam per modum primæ radicis; ita vt diuersa hęc situatio, positio, & ordinatio determinata partium, tum inter se, tum in ordine ad totum quantitatiuum quod componunt, diuidat & distinguat illud indiuidualiter ab alio toto quantitatiuo eiusdem speciei, non solum formaliter, sed etiam per modum primæ radicis talis distinctionis.

Obiicies. A seipso indiuiduari arguit summam in illa re perfectionem, & proptea videmus quod Angeli qui sunt creaturæ inter omnes alias pefectissimæ à seipsis indiuiduantu: ergo cum quantitas sit quid inter cætera accidentia imperfectissimum, vt pote quod est inter ea potentialius, & ratio recipiendi cætera, non poterit à seipsa indiuiduari.

11. Respondeo, quod indiuiduari à seipso secundum rationem specificam eo modo, quo Angeli, à seipsis indiuiduantur arguit quidem summam perfectionem: sed indiuiduari à seipso secundum rationem indiuidualem distinctam à specifica, sicut quantitati conuenit, hoc non arguit multum perfectionis in illa re; imò hoc conuenit rei ex summa eius imperfectione, vt patet in materia prima, à qua ob summam eius potentialitatem radix indiuiduationis substantialis petitur: ita pariter si quantitas secundum aliquam rationem, radicem suæ indiuiduationis petat à seipsa, hoc est propter summam eius potentialitatem inter accidentia, & propter diuisibilitatem ipsius, non autem propter excessum aliquem perfectionis, qui sit in ipsa supra ea.

Secundò respondeo quod indiuiduari à seipso arguit perfectionem, quando illa res quæ sic indiuiduatur, indiuiduatur secundum conceptum indiuiduationis suæ adæquatum à seipsa: at quando illa res indiuiduatur ita à seipsa, secundum aliquem conceptum sui inadæquatum, vt tamen secundum alterum inadæquatum ab alio indiuiduetur, sicut facit quantitas, quæ secundum conceptum expressum formæ à subiecto indiuiduatur; nego, quod hoc arguat summam aliquam in illa re perfectionem.

Tertiò potest responderi, quod indiuiduari à seipso arguit perfectionem, quando illud quod sic indiuiduatur à seipso, excludit à participatione eiusdem speciei quodcumque aliud indiuiduum, sicut fit in Angelis; quia hoc arguit quod principium indiuiduationis sit adeo perfectum, vt trahat ad indiuiduum cuius est radix, omnem modum perfectionis, qui potest rationi specificæ conuenire: at quando aliquid indiuiduatur à seipso per hoc, quod est radix multiplicationis indiuiduorum intra eamdem speciem (sicut faciunt quantitas & materia, hoc non arguit perfectionem, sed potius imperfe-

ctionem; quia hoc arguit quod quælibet ratio indiuidualis sit ita imperfecta, vt non possit tribuere indiuiduo quod constituit vim participandi formam specificam secundum omnem modum perfectionis, secundum quem potest participari.

12. Obiicies. Totum quod habet quantitas ex conceptu quantitatis est quod sit forma: ergo si ex conceptu formæ habet indiuiduari à subiecto, sicut dictum est sæpius in hac quæstione, habebit secundum omnem sui rationem indiuiduari à subiecto, & nullo modo à seipsa.

Respondeo distingnendo antecedens: itaut quicunque conceptus quem exprimit quantitas, exprimat sub conceptu formæ informātis subiectum in quo est, nego: itaut quicumque conceptus quem exprimit, contineat saltem implicitè conceptum formæ, concedo: & ex tali conceptu implicito formæ, contento in conceptu quantitatis, consideratæ secundum quod est in ordine ad se, per diuersas partes eiusdem rationis extensa, quantitas habet à subiecto indiuiduari, ex alio verò à seipsa; & ex isto conceptu vltimo habet (vt iam dictum est) esse diuisam in ordine ad se, in partes eiusdem rationis, & esse veluti negatiuè subsistentem.

Obiicies. Si quantitas à seipsa indiuiduatur: erit magis vna quam cæteræ formæ materiales, quod tamen dici non potest, quia alias sequeretur quod esset eis perfectior.

Respondeo, quod sequitur solum quantitatem esse magis vnam vnitate indiuiduali quam cæteras formas, non autem magis vnam vnitate specifica, quæ est ea à qua sumitur perfectio simpliciter, non autem ab vnitate indiuiduali, quæ potius imperficit & limitat, quam perficiat: & maximè quando vnitas indiuidualis est distincta à specifica, & quando admittit secum alias vnitates indiuiduales, eandem rationem specificam participantes, sicut facit quantitas.

QVÆSTIO III.

Vtrum subiectum sit ita principium indiuiduationis accidentium, vt repugnet duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto recipi.

Resolutio quæstionis.

§. I.

PArtem negatiuam amplectuntur Aureolus in 1.d.7.q.2.a.1. Scotus relatus à Capreolo ibidem art. 2. & à Caietano 3.p.q.35. art.5. Suarez 1. tomo suæ Metaphysicæ disput. 5. sect. 8.

Secunda sententia affirmat implicare contradictionem, & hæc sententia videtur vera & omnino sequenda, quam tenent communiter Thomistæ, Flandria 5. Metaph. qu. 9. art. 7. Soncinas 7. Metaph. quæst. 4. Caietanus loco supra citato 3. p. Capreolus in 1. d. 9. quæst. 2. art. 3. & alij citati à Salmanticensibus nostris tract. de princ. indiuid. disp. 2. d.3.

Probatur ex Arist. 5. Metaph. textu 15. vbi colligit distinctionem specificam inter accidentia ex eo quod in eodem subiecto recipiātur *eo quod* (inquit D. Thomas ibidem lect.12.) *impossibile est plura accidentia vnius*

infinita loca simul occupanda, si illa essent simul ponibilia: ita similiter si, quantum est ex se, subiectum habet vim ad recipienda simul infinita accidentia, solo numero diuersa, ex hypothesi quod illa essent simul possibilia & ponibilia à parte rei, potentia eius receptiua debebit esse actu infinita: vnde cum non sit maior ratio quod habeat potius vim ad recipienda simul duo accidentia, quam centum, vel mille, vel etiam infinita (si semel verum est quod potentia eius receptiua non sit limitata ad receptionem solum vnius pro eodem temporis instanti) debebit talis potentia esse actu infinita.

14. Probatur secundò, si duo accidentia solo numero diuersa reciperentur simul in eodem subiecto, sequeretur quod essent duo, & non duo, sed vnum: ergo implicat quod possint simul in eodem subiecto recipi: consequentia est aperta: probatur antecedens: & primo quidem quod essent duo, hoc supponitur: quod autem non essent duo, probatur, quia illa quæ habent vnum & idem principium vnitatis numericæ, non sunt duo, sed vnum numero: sed illa duo accidentia haberent idem principium vnitatis numericæ, idem scilicet subiectum à quo vnitas numerica accidentium petitur: ergo illa non essent duo sed vnum numero: minor & consequentia constant: maior autem probatur, quia licet plures effectus numero possint procedere ab vna & eadem causa efficiente, quia à causa efficiente non petitur vnitas numerica, tamen ab vno & eodem indiuiduationis principio non possunt peti plures vnitates numericæ, quia principium vnitatis numericæ non causat ad modum causæ efficientis per virtualem solum scilicet sui ipsius communicationem, sed per modum causæ materialis, & per exhibitionem formalem sui ipsius in effectu: ergo sicut vnitas numerica ab alia vnitate numerica diuiditur; ita principium talis vnitatis debet ab alia diuidi, eo modo, quo vnitati, cuius est principium, se communicat: ergo cum subiectum sit principium vnitatis numericæ in accidenti, exhibendo se accidenti per modum potentiæ receptiuæ illius, debet se ab alia vnitate numerica alterius accidentis diuidere per modum potentiæ receptiuę illius, hoc est, excludere à se, quandiu est potentia receptiua vnius accidentis, rationem potentiæ receptiuæ respectu alterius solo numero diuersi.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicies. species repræsentantes duo albæ solo numero diuersa, sunt solum numero distinctæ, & tamen possunt simul in eodem oculo & in eadem phantasia esse, cum possint simul cognosci: ergo &c.

Respondeo cum Caietano 3. p. q. 35. a. 5. & cum Salmanticensibus nostris dubio supra citato §. 5. ad 2. quod illæ species distinguuntur non solum numero, sed etiam specie; quia quælibet ex illis habet ex ratione sua specifica repræsentare

non solum obiectum secundum rationem eius specificam, sed etiam secundum rationem eius indiuidualem, quæquidem ratio indiuidualis, licet indiuidu & solum obiectum in ratione entis, specificat tamen ipsum in esse repræsentatiuo, facitque illud diuersum specie secundum esse repræsentatiuum.

Obiicies; possunt duo ignes applicari circa idem lignum: ergo poterunt duo calores solo numero distincti, recipi in eodem subiecto.

Respondeo quod illi duo ignes agent circa diuersas partes ligni cui applicantur: ex quo fit, quod si illi duo ignes essent æqualiter distantes ab eadem parte ligni, neuter ageret in eam, si ambo essent æqualis intensionis atque feruoris, sed se inuicem impedirent: si verò vnus alterum in feruore excederet, ille solus ageret, & non ille qui excederetur. Videantur Complutenses nostri in Physica disp. 15. quæstio 3. §. 4. num. 42. & 43.

Obiicies. idem subiectum potest simul indiuiduare plura accidentia specie distincta: ergo idem subiectum, poterit etiam simul indiuiduare plura accidentia, solo numero distincta.

Respondeo cum Salmanticensibus nostris dub. supra relato §. 5. ad vltimum, quod respectu accidentium specie distinctorum, dantur simul in vnico subiecto plures potentiæ virtualiter saltem distinctæ, secundum quas illa recipiuntur: vnde non mirum, quod possit idem subiectum illa simul indiuiduare, cum subiectum sit principium indiuiduationis in accidentibus, inquantum illa per potentias eorum receptiuas recipit: at in vno eodemque subiecto, non datur simul nisi vnica potentia receptiua respectu accidentium, eiusdem speciei, & propterea eo ipso quod se vni accidenti communicet, eo ipso redditur alteri eiusdem speciei incommunicabile, per modum potentiæ receptiuæ illius pro eodem instanti. nam eo ipso quod vnum accidens recipiatur in subiecto, eo ipso complet totam potentiam illius, nec relinquit in eo potentiam, seu capacitatem ad receptionem aliorum accidentium solo numero distinctorum, bene autem ad receptionem aliorum accidentium specie distinctorum; quia sicut non recipitur in subiecto, secundum potentias aliis accidentibus specie distinctis conuenientes, ita non complet subiectum secundum prædictas potentias, sed actuando illud secundum propriam potentiam sibi correspondentem, relinquit illud potens adhuc superindui altero accidente diuersæ speciei.

16. Et si dicas quod debent etiam esse in vno & eodem subiecto, diuersæ potentiæ receptiuæ respectu diuersorum accidentium solo numero distinctorum, cum subiectum indiuiduet accidentia secundum potentiam eorum receptiuam, & consequenter quod secundum pluralitatem accidentium, quæ ab vno & eodem subiecto indiuiduabuntur, multiplicandæ sunt in subiecto potentiæ eorum receptiuæ.

Respondeo, quod sicut vna & eadem entitas materiæ primæ potest successiuè, sed non simul exercere, rationem multiplicis potentiæ passiuæ & receptiuæ, respectu diuersarum formarum substantialium; ita potest eadem entitas subiecti exercere successiuè quidem, sed non simul rationem

nem multiplicis potentiæ receptiuæ diuersorum accidentium eiusdem speciei: & sicut vna & eadem entitas materiæ potest per diuersam quantitatis sigillationem, & per connotationem diuersarum dispositionum diuersas formas substantiales indiuiduare; itaut tamen ex omnibus formis quas indiuiduat, possit solum vnam simul recipere, quia forma recepta communicat materiæ in actu exercito suam limitationem, & propterea sicut non potest aliam formam recipere, ita ligat materiam in qua recipitur, & prohibet eam à receptione alterius formę: ita similiter eadem entitas subiecti, ex diuersarum actionum diuersique temporis connotatione, potest diuersa numero accidentia indiuiduare; taliter tamen, quod vnum solum ex illis possit simul recipere, quia ex actuali receptione vnius limitatur ab effectu formali talis accidentis; quod quidem quia incapax est receptionis alterius accidentis eiusdem speciei, propterea in potentia in qua recipitur aditum obtrudit alteri accidenti, eiusdem secum rationis atomæ.

Dices, quod accidens nō reddit subiectum in quo recipitur incapax receptionis alterius accidentis specie distincti, (etiamsi tale accidens non possit in se recipere aliud accidens specie distinctum) ergo quamuis vnum accidens non sit receptiuum in se alterius accidentis eiusdem speciei, tamen receptum in aliquo subiecto non reddet illud incapax receptionis alterius accidentis à se solo numero distincti.

17. Respondeo quod ideo accidens receptum in subiecto, non reddit illud incapax receptionis alterius accidentis speciē distincti, quia accidens non actuat nec limitat subiectum nisi secundum quod est receptiuum ipsius, & quia subiectum recipit accidens secundum potentiam aliquam distinctam ab ea, secundum quam recipit aliud accidens specie distinctum; ideo limitat solum subiectum ab accidenti, ad hoc vt non recipiat aliud accidens specie distinctum secundum eandem potentiam, non autem ad hoc vt aliud non recipiat secundum aliam potentiam alteri accidenti specie distincto correspondentem: at subiectum non habet simul & pro eodem instanti nisi vnicam potentiam ad receptionem omnium accidentium eiusdem speciei, & consequenter posito quod vnum receperit, redditur incapax pro eodem instanti receptionis aliorum.

Sed dices, quod subiectum habet etiam diuersas potentias, secundum quas accidentia numericè solum diuersa indiuiduat, vt paulò ante concessum est.

Respondeo, quod subiectum non habet simul & pro eodem instanti exercitium plurium illarum potentiarum, sed solum successiuè; & ideo dum exercet de facto & in actu rationem potentiæ receptiuæ respectu vnius, non potest actu exercere rationem potentiæ receptiuæ respectu alterius eiusdem speciei: vt n. 49. dictum est.

Instabis rursus & dices posse fieri de potentia absoluta, quod albedo corrupta quæ non petit ex sua ratione indiuiduali recipi in hoc subiecto pro præsenti tempore, recipiatur de facto in eo: ergo cum altera albedo quæ indiuiduatur à subiecto prout subiectum connotat præsens tempus, possit similiter

tunc in eo recipi, (quia si indiuiduatur à subiecto, quatenus subiectum connotat tempus præsens, respicit consequenter illud, quatenus habet pro tunc potentiam receptiuam illius) poterunt duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto simul recipi.

18. Respondeo, quod licet albedo, quæ indiuiduatur à subiecto, prout connotat entitatem temporis præsentis, petat & exigat connaturaliter, & secundum cursum ordinarium recipi in subiecto, quando subiectum actu & in exercitio mensuratur entitate temporis præsentis; tamen quando de potentia absoluta ponitur in eo altera albedo corrupta, & quæ in sua indiuiduatione respicit subiectum prout connotat entitatem temporis iam præteriti & elapsi, impeditur de facto ab exercitio receptionis suæ in subiecto pro eodem instanti; per existentiam alterius albedinis actu subiecto inhærentis.

Sed ex præsenti obiectione magnam video suboriri difficultatem contra id quod diximus de indiuiduatione accidentium: diximus enim quod subiectum indiuiduat diuersa numero accidentia, quæ possunt in eo recipi secundum quod connotat diuersa tempora: ergo cum subiectum quod recipit albedinem aliàs iam corruptam connotet tempus præsens, indiuiduabit illam albedinem secundum quod prædictum tempus connotat: ergo faciet illam numero diuersam ab ea quam antea iam receperat prout erat in tempore præterito: & sic ex hac differentia videtur sequi implicare contradictionem quod accidens semel corruptum reproducatur à Deo.

Respondeo cum Salmanticensibus nostris disp. illa 2. de princ. indiuid. dub. 3. §. 4. quod quando subiectum recipit aliquod accidens quod aliàs fuit corruptum, non indiuiduat illud prout connotat entitatem temporis præsentis, sed prout connotat entitatem temporis præteriti, non quidem vt præteriti, sed temporis illius, quod alias habuit esse præsens, & est iam præteritum. Quod vt intelligatur, oportet scire, quod quando subiectum indiuiduat diuersa accidentia eiusdem speciei per connotationem ad diuersum tempus, non indiuiduat illa vt connotat diuersum illud tempus, vel sub formalitate futuri, vel sub formalitate præsentis, vel sub formalitate præteriti, quia omnes istæ formalitates sunt aliquæ rationes accidentales, quæ in exercitio conueniunt successiuè eidem entitati temporis, cum eadem pars temporis possit successiuè omnes istas rationes induere; sed indiuiduat illa prout connotat entitatem præcise diuersorum temporum, absoluendo à prædictis formalitatibus præsentis, præteriti & futuri. Quando ergo subiectum recipit albedinem, quæ fuit aliquando corrupta, non indiuiduat formaliter eam secundum quod respicit & connotat formaliter entitatem temporis præsentis (quia secundum istam connotationem aliam albedinem indiuiduat) sed prout connotat entitatem temporis præteriti: & sic licet subiectum quod respicit albedinem aliàs corruptam, connotet præsens tempus, tamen illa connotatio mere se habet materialiter ad indiuiduationem illius albedinis, quamuis quia hæc albedo de præsenti possidet subiectum, eique in-

hæret, de facto excludat ab eo aliam albedinem quæ deberet pro tunc connaturaliter in illo recipi.

19. Obiicies contra eamdem doctrinam posse fieri quod duo calores numero distincti, subiectum respiciant prout connotat eamdem temporis entitatem, nam eadem manus v. g. potest quantum est ex se calefieri pro tempore præsenti vel ab isto igne, vel ab altero: ergo cum calor qui procedit ab isto igne, sit distinctus numero ab eo qui procedit ab altero igne, quia vnus ignis non potest producere eosdem numero effectus, qui ab alio igne producuntur, vt ostendunt Complutenses nostri in Physica disp. 15. quæst. 4. §. 2. poterunt duo calores numero distincti respicere idem subiectum pro eodem instanti temporis.

Respondeo quod subiectum non habet solum indiuiduare diuersa accidentia eiusdem speciei per connotationem ad diuersum tempus, sed etiam per connotationem ad diuersum agens diuersamque actionem: & vna ex prædictis connotationibus sufficit in subiecto, vt numericè & indiuidualiter accidentia distinguat. Vnde non mirum quod illi duo calores de quibus fit mentio in argumento numero distinguantur, quia licet connotarent idem tempus in quo possunt fieri, connotant tamen diuersum agens, diuersasque actiones per quas petunt fieri.

DISPVTATIO V.

DE PRINCIPIO INDIVI-duationis Angelorum.

QVia ad cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum aſcendimus per cognitionem rerum materialium, ideo prius de Indiuiduatione rerum materialium accidentiumque egimus, vt expeditior & planior fieret nobis via ad diſputationem & cognitionem Indiuiduationis Angelorum. Viſo ergo quid ſit illud vnde res materiales accidentiaque indiuiduantur, indagandum reſtat, quid ſit illud vnde Angeli indiuiduationem accipiant.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM ANGELI A SEIPSIS INDIVIDVENTVR.

§. I. *Reſolutio quæſtionis.*

1\. ANtequam ad reſolutionem præſentis difficultatis veniamus, ſtatuendum eſt primò, tanquam certum & indubitatum apud omnes Theologos, quod Angeli ſunt omnino incorporei, & materiæ cuiuſcumque expertes; & propterea poſt Concilium Lateran. ſub Innocentio 3. celebratum, ſententiam contrarium aſſerentem, damnant alij temeritatis, alij erroris, eo quod in prædicto Concilio diſtinguatur expreſſe, creatura ſpiritualis contra corpoream; pro quo videantur commentatores D. Tho. 1. p. quæſt. 51. & hæc veritas non ſolum rationi Theologicæ, ſed etiam lumini naturali innititur, quã Ariſtoteles egregie propugnat 12.

Metaph. c. 6. 8. & vlt. lib. 1. de Cælo, & mundo lect. 21. apud S. Tho. dicens dari aliquas substantias, quæ nec loco, nec tempori sunt subiectæ, & consequenter ex mente ipsius debent esse tales substantiæ à materia separatæ.

Notandum est rursus, quod non quæritur hic, vtrum Angeli indiuiduentur à seipsis, ad illum sensum, quo quæsitum est disp. præc. q. 2. vtrum quantitas indiuiduaretur à seipsa; supponebatur enim in illa quæstione, quod ratio indiuidualis quantitatis, distinguebatur formaliter à ratione specifica, & difficultas erat solum; vtrum posset aliquo modo dici, quod ratio formalis, quæ formaliter quantitatem indiuiduam constituebat, illa eadem esset radix suæ indiuiduationis secundum aliquam rationem: at in præsenti quæstione, nullomodo supponimus rationem formalem indiuiduationis Angelorum, distingui à ratione specifica eorum, sed potius præcipua difficultas, & controuersia præsentis huius quæstionis fundatur in examine illius distinctionis; vtrum scilicet ratio, quæ constituit formaliter Angelum in specie atoma, distinguatur ratione ratiocinata ab ea, quæ constituit ipsum in esse indiuidui: Nam cùm secundum omnes, Angeli sint formæ quædam completæ, non possunt consequenter ab aliquo alio realiter à se distincto indiuiduari, sicut indiuiduantur formæ incompletæ, & quæ sunt partes alicuius compositi materialis, sed debent à seipsis indiuiduari in omnium sententia. Illud ergo quod vertitur in dubium est, vtrum ita à seipsis indiuiduentur, vt ratio eorum specifica, sit ratio eorum indiuidualis formaliter, & vna ab alia, ratione ratiocinata non distinguatur.

His positis prima sententia est, Angelos à seipsis non indiuiduari. & hæc sententia debet esse, tam eorum qui tenent Angelos esse eiusdem speciei atomæ, & numero solùm inter se distingui (quæ sententia tribuitur D. Bonauenturæ in 2. dist. 9. q. 2. a. 1. & Alberto 2. p. tract. 2. q. 8.) quam eorum qui dicunt Angelos eiusdem vel ordinis, vel Hierarchiæ, ad eamdem speciem atomam pertinere; sententia tribuitur à Salmanticensibus N. tract. de Angelis disp. 1. dub. 5. §. 2 Gregorio de Valentia, disp. 4. q. 1. puncto 3. Alensi 2. p. q. 20. membro 6. a. 2. & aliis.

II. Sententia & vera (quam communiter tenent omnes Thomistæ, & maxime illi qui tenent implicare contradictionem, quod dentur plures Angeli eiusdem speciei atomæ,) est Angelos indiuiduari à seipsis, ita Caiet. c. 5. de ente & essentia q. 9. Nazarius 1. p. q. 50. a. 4. cont. 2. & alij plerique quos enumerant, & sequuntur Salmanticenses N. in tract. de Angelis, disp. 1. dub. 7. parag. 1.

2. Conclusio prima absolute asserendum est, quod Angeli à seipsis indiuiduantur. In hac conclusione debent conuenire omnes, qui tenent Angelos esse formas quasdam completas, & per se subsistentes; per eam enim solum intendimus, quod Angeli non mutuantur, radicem suæ indiuiduationis, ab aliquo, quod sit realiter ab ipsis distinctum, sicut accidentia, vel formæ incompletæ, & quæ sunt partes compositi materialis. Conclusio hoc modo declarata, est expressa S. Thomæ 1. p. q. 3. a. 2. ad. 3. vbi dicit formas, quæ recipiuntur in materia, ab illa in

diuiduari, formam vero quæ non recipitur in materia, vt est forma subsistens, indiuiduari à se, vt concipitur non recipi in alia, idem dicit c. 5. de ente & essentia, & Opusc. 32. c. 3. & alibi.

Probatur ratione desumpta ex illis locis D. Thomæ & præcipue ex cap. 3. Opusc. 32. quælibet res habet quod sit singularis & indiuidua, per illud per quod in alio non recipit tur: sed Angeli habent negationem & repugnantiam essendi in alio per seipsos: ergo. Maior est certa, quia cum singulare dicat negationem essendi in alio, debet singularitas peti ab eo, vnde petitur negatio essendi in alio. Minor probatur. Qui cùm Angeli sint formę subsistentes, & omnino immateriales, negabunt consequenter, & excludent à se per propriam entitatem omnem receptibilitatē in alio; propterea enim dicūtur subsistentes, quia non se diffundunt supra subiectum aliquod, à quo perficiantur, aut compleantur, sicut formæ informantes, sed in seipsis perfecte, & complete sistunt.

Confirmatur, quia ideo formæ informantes non indiuiduantur à seipsis, sed à subiecto, quia sunt communicabiles, quod est contra rationem indiuiduationis, reddentis naturam, quæ secundum se est communis, & communicabilis, incommunicabilem: atqui formæ perfecte & complete subsistentes, sicut sunt Angeli, sunt ex seipsis, & per propriam entitatem alteri cuicumque incommunicabiles, vt pote in se sistentes & manētes: ergo indiuiduabuntur à seipsis.

Confirmatur, quia Angeli sunt formæ simplices; ergo cùm nihil sit in eis præter ipsam formæ entitatem, à nullo alio, præterquam à seipsis, poterunt indiuiduari.

Conclusio secunda Angeli indiuiduantur à seipsis secundum gradum specificum consideratis; vnde ille gradus qui constituit eos in specie atoma, est ille idem, qui constituit eos in esse indiuidui, absque vlla prorsus distinctione rationis ratiocinatæ. In hac conclusione conueniunt nobiscum authores secundæ sententiæ, & inter alios Salmanticenses N. tract. de Angelis disp. 1. dub. 6. parag. 1. vbi asserunt nequidem distinctione virtuali distingui gradum specificum in Angelis ab indiuiduali.

Probatur primò hæc conclusio authoritatibus, tum Aristotelis, tum D. Tho. quas supra retulimus dub. 1. disp. 1. parag. 2. etenim vterque asserit locis ibi citatis, distinctionem illam, quæ ex forma prouenit tanquam ex radice, esse specificam, non vero indiuiduam, & propterea in 2. dist. 3. q. 1. a. 4. S. Doctor specialiter asserit, solam distinctionem nuricam inter Angelos esse non posse, quia nulla forma multiplicat numerum, nisi in diuersitate materiæ, qua tamen carent Angeli. Videndus est etiam Aristot. 7. Metaph. textu 41. lectione 11. apud S. Thom. vbi dicit, in primis substantiis (hoc est in Angelis, ait D. Th. ib d.) idē esse, quidditatē & indiuiduū, quod certe intelligi non potest de identitate solū reali, sed de identitate, sine vlla distinctione rationis ratiocinatę; cùm certum sit in aliis substantiis, in compositis, scilicet ex materia & forma, rationem indiuidualem à specifica, ratione solùm distingui. Et S. Thom. 3. de anima, lect. 8. expresse asserit nihil esse in forma Angelica, præter eius essentiam: & indiuiduum in ea non distingui à quidditate. Locum referemus q. seq. parag. 1.

Probatur rationi gradus indiui-

dualis non distinguitur ratione ratiocinata in Angelis à gradu eorum specifico : ergo cùm Angeli indiuiduentur à seipsis (vt ostensum est conclusione præcedenti) & non possint indiuiduari, secundum gradum genericum, quia gradus genericus est pluribus communicabilis, quod est contra rationem indiuidui & singularis, indiuiduabuntur à seipsis, secundum gradum specificum consideratis. Consequentia est euidens. Antecedens probatur : supponendo, quod intelligitur de distinctione adæquata, certum est enim quod gradus indiuidalis & spicificus distinguntur ad minus secundum omnes, tamquam duo conceptus inadæquati, seu tanquam duæ formalitates eiusdem conceptus adæquati. hoc posito probatur antecedens, quod scilicet gradus indiuidualis non distinguatur per modum conceptus adæquati à specifico, ille gradus qui desumitur à forma secundum vltimam actualitatem eius, non distinguitur ratione ratiocinata à gradu specifico : atqui Angeli sunt formæ subsistentes & gradus indiuidualis petitur ab illis ipsis secundum vltimam eorum actualitatem consideratis: ergo gradus indiuidualis non distinguetur in eis à gradu eorum specifico. Maior patet, quia gradus specificus & differentialis, sumitur ab vltima actualitate & perfectione formæ (vt dictum est disputatio. 2. parag. 2. num. 3.

Minor quoad primam partem, scilicet quod sint formæ subsistentes, est certa, quoad secundam autem probatur. Illa ratio per quam indiuiduum Angelicum, nec est in alio, nec de alio prædicatur, est illa vnde debet peti gradus indiuidualis in Angelis ; at talis ratio est vltima actualitas eorum : ergo. Maior patet ex ipsis terminis. Minor probatur, quia per vltimam eorum actualitatem habent repugnantiam essendi in quocumque subiecto, tam informationis, quam prædicationis ; quia inquantum sunt formæ subsistentes completæ & perfectæ, excudunt à se omnem capacitatem receptibilitatis in alio, tamquam in subiecto informationis; inquantum vero considerantur secundum vltimam eorum actualitatem, & differentiam, excludunt à se omnem prorsus capacitatem receptibilitatis in alio, tamquam in subiecto, tam informationis, quam prædicationis : vnde licet ex ratione sua generica negationem habeant, & repugnantiam essendi in alio, tanquam in subiecto informationis; tamen quia ratio generica est communicabilis, & prædicabilis adhuc de multis speciebus, (quod indiuiduo repugnat) ideo ex vltima actualitate differentiali, & non ex ratione illa generica habent radicem, & rationem indiuiduationis suæ, vt iam insinuatum est disp. 3. num. 14.

4. Confirmatur, Angeli dicunt negationem & repugnãtiam essendi in alio per rationem omnino oppositam materiæ, ideo enim dicunt illam negationem & repugnantiam, quia sunt immateriales : ergo sicut negatio essendi in alio quam habet materia, fundatur, in summa eius potentialitate, & in hoc quod sit pura & prima potentia, non receptibilis in alia ; Ita negatio essendi in alio, quæ est in Angelis, debet fundari in eorum actualitate, quæ est ratio per quam negant, &

excludunt à se omnem materialitatem & capacitatem receptibilitatis in alio; cum materialitas excludatur per actum, tāquam per suum oppositum; vnde cum, habere capacitatem ad receptionem in materia, sapiat quamdam rationem materialitatis, quia hoc sapit aliquam rationem dependentiæ à materia, oportet quod Angeli habeāt negare, & excludere à se capacitatem receptionis in materia per actualitatem: ergo Angeli habebunt negare, & excludere à se quamcumque rationem essendi in alio, tanquam in subiecto, per summam actualitatem suam, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter: ita magis ad magis; ergo sicut negatio essendi in alio, quæ conuenit Angelis, fundatur in eorum actualitate; ita omnimoda negatio essendi in alio, quæ conuenit eis, vt sunt indiuidua quædam, debet eis conuenire secundum perfectissimam eorum actualitatem: sicut enim negatio essendi in alio, quæ competit indiuiduo materiali, competit ei ex materia, quæ est prima potentia, quia negatio illa quæ conuenit composito materiali, conuenit ei ratione potentialitatis suæ, per quam habet incapacitatem actuandi aliud subiectum; ita quia negatio essendi in subiecto, quæ conuenit indiuiduo spirituali, conuenit ei, per hoc quod est aliquis actus ita perfectus, vt neget receptibilitatem in subiecto; debet consequenter ei conuenire negatio, cuiuscumque receptibilitatis in alio tanquam in subiecto, per perfectissimam actualitatem, quam possis dicere, & consequenter per differentiam specificam.

5. Confirmatur: quia quotiescumque gradus indiuidualis distinguitur ratione ratiocinata à specifico, debet indiuidualis determinare specificum, sicut potentia actum: atqui non potest dici, quod gradus indiuidualis in Angelo limitet, & determinet actualitatem gradus eius specifici; quia (loquendo intra ordinem essentialem, & non intra ordinem existentialem) nulla est potentia realis in essentia Angelica, cum sit pura forma subsistens, & secundū actualitatē essentiæ quam dicit, in quocumque subiecto seu potentiā irreceptibilis: ergo cum omnis limitatio actus fiat per potentiam, tamquam per oppositum, & nulla sit potentia realis in Angelo, in qua recipiatur forma Angelica, & à qua possit limitari, gradus indiuidualis non erit distinctus in eo, à gradu specifico ratione ratiocinata, sed solum per rationem ratiocinantem, & per modum cuiusdam formalitatis inadæquatæ eiusdem conceptus adæquati.

Confirmatur, quia quælibet res tendit naturaliter ad suam perfectionem: ergo quælibet forma recedit naturaliter à limitatione, & restrictione propriæ perfectionis: ergo cùm gradus indiuidualis distinctus à gradu specifico, restringat & limitet eum, debet necessario illa restrictio seu limitatio aliūde prouenire quam à forma. Ergo cùm Angeli sint formæ simplices (si considerentur præcise secundum suam essentiam) non poterunt aliunde limitari, & consequenter, gradus indiuidualis non distinguetur in eis à specifico.

Dices posse dari in Angelis potentiam genericam ratione ratiocinata distinctam, à gradu specifico illorum, & consequenter posse in eis dari potentiam indiuidualem limitantem specificam, absque eo quod detur in

cis

eis potentia realis, vnde petatur talis limitatio..

Respondeo negando consequentiam: ratio negati est, quia potentia generica non limitat rationem specificam, sed relinquit eam in tota amplitudine sua, & consequenter necesse non est, quod fundetur in aliqua potentia reali, distincta à forma, vnde petitur ratio specifica: at differia indiuidualis est fomaliter limitatiua rationis specificæ, & consequenter debet illa limitatio potentialis fundari formaliter in aliqua potentia realiter distincta ab actu, vnde petitur ratio specifica.

Dices non magis requiri distinctionem actus à potentia, ad hoc vt actus limitet potentiam, quam ad hoc vt actus limitetur à potentia: at potest actus limitare aliquam potentiam, absque distinctione reali ab illa, vt patet in Angelis, in quibus differentia specifica limitat per modum actus rationem eorum genericam, vt quid potentiale: ergo.

6. Respondeo, quod cùm actus limitet potentiam perficiendo & actuando eam, & de ratione actus perfectiui, sit vnire potius quam diuidere, & propterea (vt suprà disput. 3. q. 1. num. 7. vidimus,) quò formæ sunt perfectiores, eo plura in se vniunt, quæ in aliis sunt diuisa. Ideo non requiritur simpliciter realis distinctio actus à potentia, vt perficiat & limitet eam, licet talis distinctio absolute requiratur, vt actus substantialis limitetur in ratione actus; quia talis limitatio fit per hoc quod imperficitur actus simpliciter in suo genere, & quodammodo, de modo propriæ perfectionis ab eo tollitur, & consequenter debet talis limitatio fieri per radices diuisionis & imperfectionis, per potentiam scilicet realiter ab actu distinctam, & quæ realiter non includat perfectionem talis actus.

Respondeo secundò, quod quando actus limitat, & perficit aliquam potentiam, quæ non est pura potentia in illo genere, seu ordine in quo perficitur & actuatur; sed quæ potius includit iam aliquid actualitatis illius generis & ordinis, tunc non est necesse, quod actus actuans & limitans distinguatur realiter à potentia quam limitat, quia idem consideratum sub ratione incompleta, potest habere rationem perfectibilis à seipso considerato secundum rationem completam; vnde cùm genus includat iam aliquid actualitatis essentialis, in qua completur per differentiam specificam, non est necesse quod distinguatur realiter à differentia specifica, quamuis debeat vna cum ipsa facere potentiam aliquam adæquatam respectu existentiæ, à qua realiter distinguatur, tamquam ab actu diuersi omnino generis ab actu essentiali.

Ex quo potest esse tertia responsio, quando enim actus limitans aliquam potentiam limitat eam ad hoc, vt faciat vnà cum ea potentiam adæquatam alicuius alterius actus realiter distincti, tunc non est necesse quod formalis illa ratio inadæquata potentiæ, distinguatur ab altera ratione inadæquata potentiali quam actuat; sed potius videntur ambæ exigere, quod sicut faciunt vnam potentiam, adæquatam receptiuam alicuius actus, à quo realiter distinguuntur; ita sint etiam quid vnum, & inter se realiter identificentur. Vnde cùm diffe-

rentia specifica limitet & perficiat genus ad hoc, vt faciat vna cum eo potentiam adæquatam existentiæ receptiuã, potius petent realiter inter se identificari, quam realiter distingui.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur, si Angeli indiuiduarentur à seipsis secundum gradum specificum, taliter quod gradus indiuidualis eorum non distingueretur etiam ratione à specifico, sequeretur quod omnes Angeli distinguerentur specie atoma, quia si gradus indiuidualis est idem cum specifico, absque distinctione rationis ratiocinatæ, cum gradus specificus distinguat specie, oporteret quod gradus indiuidualis, qui esset in Angelis cum specifico omnino identificatus, distinguendo eos indiuidualiter, distingueret etiam eos specifice: at hoc videtur esse contra SS. PP. qui Angelos solũ inter se numerò distingũt, eosq; eiusdẽ speciei esse asserũt; ergo. Maior est certa. Probatur minor adducendo ipsamet eorum verba, etenim S. Athanas. q. 8. ad Antioch. hæc habet, *vna & eadem est essentia Angelorum, sicut etiam vna est essentia hominum.* Anselmus lib. 2. cur Deus homo c. 21. *omnes Angeli sunt vnius naturæ.* Similia reperies passim apud SS. PP. & maxime apud S. Basil. lib. 3. aduersus Eunomium paulopost initium & alibi.

Respondeo quod quando SS. PP. dicunt, quod Angeli sunt vnius naturæ, intelligendi sunt de natura specifica subalterna, non autem de ratione seu natura specifica infima.

Sed instabis Angelicam naturam, in qua omnes Angeli conueniunt, sub expressis terminis vocari à Damasceno lib. 1. instit. cap. 7. speciem infimam; accipe eius verba, *intelligendum est eas quæ sola indiuidua continent, species infimas vocari; cuiusmodi sunt Angelus, homo, equus.*

Respondeo sancti Damasceni intentum esse solum, quod natura Angelica sit species infima proportionaliter, & non absolute aut simpliciter; sicut enim species infima dicitur ea, quæ pro partibus subiectiuis habet immediate indiuidua; ita quia natura Angelica habet sub se immediate species infimas, quæ per seipsas sunt indiuiduæ, & quibuscumque aliis incommunicabiles, ideo Damasc. vocat eam, speciem infimam, licet sit tantum subalterna; vnde Damasc. predicta verba intendit roddere quodammodo rationem; quare plerumque natura Angelica vocetur species infima, quia (inquit) vocamus illam speciem infimam, quæ immediate habet sub se indiuidua, & quia natura Angelica diuiditur in species, quæ per se sunt indiuidua, ideo vocatur species infima.

Ista solutio potest applicari quibuscumque aliis authoritatibus, quæ possent ex SS. PP. afferri cõtra nos.

Obiicitur ex D. Augustino in Enchir. c. 29. vbi ait, ideo Deum reparasse hominem, non Angelos, quia tota species humana perierat, non autem Angelica; ergo sentit August. naturas Angelicas non esse specie distinctas, sed eiusdẽ prorsus speciei, aliàs falsum esset quod species Angelica tota non periisset, constat enim de fide plures Angelos periisse.

8. Respondeo primò, quod per

speciem Angelicam D. August. intelligit speciem subalternam, non atomam.

Respondeo secundò cum D. Th. q. vnica de spirit creat. huic authoritati. *Ad primum dicendum quod August. loquitur ibi de natura Angelica & humana, non secundum quod considerantur in esse naturali, sed secundum quod ordinantur ad beatitudinem; sic enim aliqui in natura Angelica & humana perierunt. Quantum autem ad ordinem beatitudinis, natura humana diuiditur contra totam naturam Angelicam quia tota natura Angelica, vno modo nata est peruenire ad beatitudinem, vel ab ea deficere irreparabiliter scilicet, & statim ad primam electionem: natura vero humana per decursum temporis, & ideo loquitur ibi August. de omnibus Angelis, sicut de vna natura propter vnum modum ordinis ad beatitudinem, licet differant secundum speciem naturæ.*

Obiicitur, si Angeli indiuiduentur à seipsis secundum rationem specificam, ita vt differentia indiuidualis specifica non distinguatur in eis, sequitur quod sicut datur scientia de speciebus Angelicis, ita & de singularibus, quandoquidem species Angelicæ sunt indiuiduæ. Deinde sequitur quod dabuntur propositiones æternæ veritatis, non solum de vniuersalibus, sed & de singularibus, quod tamen est contra communem sensum Philosophorum.

Respondeo primò, quando dicitur non dari scientiam de singularibus, nec de ipsis efformari propositiones æternæ veritatis, hoc esse intelligendum de singularibus in actu exercito, non autem in actu signato consideratis: quis enim dicat, quod ista propositio, Petrus est homo, (si Petrus in actu signato consideretur) non sit propositio æternæ veritatis? quis dicat quod ista propositio Petrus est risibilis, non sit scientifica, si Petrus eodem modo consideretur in actu signato? certè, si innotesceret nobis differentia indiuidualis cuiuslibet indiuidui, sicut innotescere potest ratio specifica, non dubitauerim posse æque dari scientiam de illis ac de speciebus; quid enim est aliud scire, quam rem per suam causam cognoscere? at ex suppositione quod innotesceret nobis differentia indiuidualis cuiuslibet indiuidui, possemus per illam cognoscere accidentia, quæ dimanant ab indiuiduo ratione ipsius; ergo possemus cognoscere, accidentia quæ alicui indiuiduo sunt propria per causam dimanatiuam eorum, & per consequentiam verã de eis habere scientiam. Dicitur tamen communiter, non dari scientiam de singularibus, nec efformari de eis propositiones æternæ veritatis; tùm quia non innotescit nobis differentia indiuidualis singularium; tùm etiam quia quando fit sermo de singularibus, agitur vt plurimum de eis in actu exercito, & vt nobis innotescunt per accidentia, non autem de eis in actu signato consideratis.

9. Respondeo secundò non dari scientiam de singularibus, & de eis non efformari propositiones æternæ veritatis, quando singularia sunt corruptibilia, & quando differentia indiuidualis eorum distinguitur à ratione specifica, sed quando singularia sunt incorruptibilia, & differentia indiuidualis habet annexam differentiam specificam, qua cum identificatur formaliter, tunc possunt de talibus in-

diuiduis efformari propositiones æternæ veritatis, & de eis aliqua scientificem demonstrari.

Obiicitur, quotiescumque vnum prædicatur de alio formaliter, debet vnum ab alio saltem ratione distingui: atqui quando species atoma prædicatur de quolibet indiuiduo Angelico, prædicatio illa est formalis, & non identica; ergo.

Respondeo sufficere, vt prædicatio sit formalis, quod prædicatum non exprimat formaliter, secundum quod subiacet nostro modo concipiendi, id id quod exprimit subiectum, licet, si subiectum & prædicatum considerentur vt sunt in seipsis, & secundum suos adæquatos conceptus, vnum non distinguatur ab alio; vnde cùm indiuiduum Angelicum, vt indiuiduum, diuersimode concipiatur, secundum quod subiicitur nostro modo concipiendi, ac quando concipitur secundum rationem specificam (& propterea potest species atoma Angelica fieri vniuersalis, si cōsideretur provt subiicitur, nostro modo cōcipiendi, vt dictum est à Complut. nostris in Logica disp. 6. q. 4.) ideo fit quod prędicatio, qua prædicatur species de indiuiduo Angelico, sit formalis, & non identica.

Respondeo secundò, quod quando prædicatur species de indiuiduo Angelico, indiuiduum supponit pro supposito, subiectum enim pro supposito supponit, ratione situs quem habet in propositione. Pro quo vide Complut. N. in Logica, disp. 4. q. 3. n. 21. & 22. suppositum autem distinguitur in Angelis ab eorum natura, & sic nihil concludit argumentum, cum suppositum in Angelis à natura distinguatur.

Obiicitur. Ille gradus, qui secundū se est cōmunicabilis multis, distinguitur ratione ab eo, qui est omnino incōmunicabilis: atqui gradus specificus atomus Angelorum, est cōmunicabilis multis quantū est ex se, & gradus indiuidualis est omnino incōmunicabilis; ergo. Maior est certa, minor est expressa D. Th. q. vnica de spirit. creat. ar. 8. ad 4. vbi habet ista verba. *Natura huius Angeli non prohibetur esse in multis, ex eo quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem indiuidui.*

Respondeo, quod licet quilibet Angelus, consideratus secundum quod subiicitur imperfecto nostro modo concipiendi (secundū quem conceptum adæquate cōstitutiuum speciei, in duos inadæquatos, siue in duo munera eiusdē adęquati conceptus diuidimus) habeat ex munere quod exercet, rationis specificæ, nō exercere repugnantiam essendi in multis, quam exercet ex munere rationis indiuidualis; tamen si consideretur natura Angelica, vt est in se, & secundū conceptū adæquatè speciei Angelicæ cōstitutiuum, non autē vt subiicitur imperfecto nostro modo cōcipiēdi, tūc ille idē grad⁹ qui cōstituit formaliter naturā Angelicā in ratione speciei atomæ, ille idē cōstituit eam formaliter incōmunicabilē, & hoc modo apprehēditur natura Angelica ab Angelis, qui eā cognoscūt eo modo quo est in se; licet cum hoc stet, eam posse fieri vniuersalem, si consideretur secundum imperfectum illum modum concipiendi, secundum quem à nobis cognoscitur, quia ex imperfecto illo modo concipiendi, possumus illā cognoscere, provt præcise exercet munus speciei, & ita conceptam, comparare illam ad proprium indiuiduum, eo modò, quo si de facto

plura, vel haberet, vel posset habere sub se indiuidua. De quibus videantur quæ dicta sunt à Complut. N. in Logica disp. 6. qu. 4. ex iis patet solutio ad auctoritatem D. Th. dicimus enim S. Doctorem sumpsisse naturam Angelicam secundum quod præciso conceptu concipitur à nobis exercere solum munus rationis specificæ.

Instabis ex Complut. N. ibid. n. 37. & 43. nullam creaturam esse essentialiter singularem, sed hoc soli naturæ diuinæ conuenire.

Respondeo cum Salmanticensibus N. tract. de Angelis disp. 1. dub. 6. §. 1. Complut. nostros esse intelligendos sic, quod nulla creatura est ita essentialiter singularis, vt ei repugnet fieri vniuersalem, si consideretur prout subiicitur imperfecto nostro modo concipiendi & ad hunc sensum verum est, singularitatē soli naturæ diuinæ conuenire, cui soli, sicut repugnat potentialitas quæcumque, ita & quæcumque ratio vniuersalitatis.

Instabis rursum, & dices, ideo naturam diuinam esse essentialiter singularem, quia est actus purissimus, expers cuiuscumque potentialitatis: ergo cum natura Angelica non sit expers potentiali tali, nec actus purus, non erit ex ratione specifica, & essentiali formaliter singularis.

Respondeo distinguendo antec. itaut ista ratio, sit ratio adæquata, quare natura diuina sit essentialiter singularis, Nego; itaut in Deo sit etiam alia ratio inferens singularitatem esse illi essentialem Conc. vnde cum talis ratio sit immaterialitas, quæ quidem ratio Angelis quoque conuenit, conueniet etiam conseq. eis secundum gradum specificum esse formaliter singulares.

11. Obiicitur. Si Angeli non conuenirent in specie infima, sed potius sicut indiuidualiter, ita & specifice ad inuicem distinguerentur, sequeretur quod non ita perfecte se inuicem diligerent, ac si essent eiusdem speciei, cum inter ea quæ sunt magis similia, sit maior sympathia & inclinatio: ergo cum Deus inter Angelos, vt pote perfectissimas totius vniuersi creaturas, summā dilectionem prouiderit, decuit eos ab ipso eiusdem, & non diuersæ speciei creatos fuisse atque productos.

Respondeo ex D. Tho. quæst. vnica de spirit. creat. art. 8. ad 5. quod licet ea quæ sunt eiusdem speciei, maiorem inter se inclinationem bonum particulare spectantem habeāt, tamen quæ sunt diuersæ speciei, maiori inclinatione bonum vniuersale spectanti adinuicem feruntur; vnde sicut bonum vniuersale præponderat particulari, ita & inclinatio bonum vniuersale respiciens, inclinationi bonum particulare spectanti, & consequenter ad summam Dei sapientiam pertinuit, vniuersalem illam dilectionem, & inclinationem, non autem particularem, inter Angelos prouidere.

Respondeo secundo, quod ad sapientiam Dei pertinet dare inclinationem rebus secundum exigentiam naturæ earum; vnde cum Angeli non possint exigere inclinationem illam ad inuicem, quam habent inter se ea quæ sunt eiusdem speciei, (cum in eadem specie infima conuenire non possint,) non pertinuit consequenter ad sapientiam Dei imprimere in eis dilectionem illam & inclinationem, quæ reperitur inter ea quæ sunt eiusdem speciei.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angeli ita indiuiduentur à seipsis, vt implicet dari plures Angelos eiusdem speciei infima & solo numero inter se differentes.

Resoluitur quæstio.

§. I.

12. SVpponimus tamquam certum & indubitatum in schola D. Tho. omnes Angelos esse de facto diuersæ speciei, quod euidenter concluditur ex quęstione præcedenti: si enim gradus indiuidualis non distinguitur ratione à specifico in eis, sicut ille gradus distinguet eos indiuidualiter, ita & eos specifice distinguet. Si de hac re plura videre cupis, lege commentatores D. Tho. 1. p. q. 50. & præcipue Salmanticenses N. in tract. de Angelis disput. 1. dub. 5. & 6.

Hoc posito prima sententia est, non implicare cōtradictionem, quod dentur plures Angeli intra eandem speciem atomam solo numero differentes, ita præter eos, quos præced. quæst. §. 1. pro prima sententia retulimus Bannez 1. p. quæst. 5. art. 4. dub. 2. Ferrariensis 2. contra Gent. cap. 93. quam etiam probabilem reputat Capreolus in 2. dist. 3. quæstio. prima.

Secunda sententia, magis recepta inter Thom. est, hoc implicare contradictionem, & hęc videtur omnino vera, quam amplectuntur Caietanus cap. 5. de ente & essentia, qu. 9. Capreol. in 2. dist. 3. quæst. 1. ad 2. Durand. contra secundam conclusionem. Nazarius quæst. 50. 1. p. articulo PP. N. Salmanticenses ibid. dub. 7. & alij plerique ab ipsis citati.

Probatur ex D. Th. 2. p. q. 75. art. 7. vbi hæc habet, *Manifestum est, quod necesse erit in eis, idest in Angelis, esse diuersitatem speciei, nō enim potest intelligi, quod aliqua forma separata, sit nisi vna vnius speciei, sicut si esset vna albedo separata, non posset nisi esse vna tantum.* & de spirit. creat. art. 8. *Si autem Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli vnius speciei.* & 3. de anima textu 8. lect. 8. *In iis vero quæ non habent formam in materia, sicut sunt formæ simplices, nihil potest esse præter essentiam speciei, quia ipsa forma est tota essentia, & ideo in talibus non possunt esse plura indiuidua vnius speciei, neque potest in eis differre res & quodquid est eius, hoc est quidditas, & indiuiduum.* Videndus est etiam Aristoteles 10. Metaph. textu 25. & D. Tho. ibid. lect. 11. vt contra Gent. cap. 93. ratione prima q. 50. 1. p. ar. 4. cap. 6. de ente & essentia. In 2. dist. 3. qu. 1. art. 4. vbi omnibus illis locis docet hanc veritatem.

13. Probatur ratione petita ex D. Tho. loco cit. 3. de anima, quando ratio indiuidualis non distinguitur etiam per rationes à ratione specifica, tunc implicat dari plura indiuidua intra eandem speciem; atqui in Angelis ratio indiuidualis non distinguitur etiam per rationem à specifica: ergo, &c. Minor est D. Tho. loco citato, quam præc. quæstione satis fuse probauimus: intelligimus

enim eam de distinctione rationis ratiocinatæ, quæ distinguat tanquam duos conceptus adæquatos, conceptum indiuidualem, & conceptum specificum, eo modo quo explicuimus, conclusione secunda. Maior autem patet, quia si differentia indiuidualis non distinguitur à specifica, sed sit eadem cum ea, oportet quod sicut facit speciem indiuidualiter differre ab alia specie, ita quoque ab alia specifice, eam diuidat.

Probatur secundo, vbi non est possibilis radix multiplicationis gradus specifici, ibi non est multiplicatio indiuiduorum intra eandem speciem atomam possibilis: atqui talis radix non est possibilis in Angelis: ergo. Maior patet, quia gradus specificus multiplicatur realiter in indiuiduis ad multiplicationem differentiarum indiuidualium, & per eas; ergo vbi non erit possibilis multiplicatio gradus specifici, ibi non erit possibilis multiplicatio indiuiduorum.

Minor probatur, vel illa radix est ipsamet forma, vel aliud ab ea distinctum: non aliquid ab ipsa forma distinctum, quia Angeli sunt formæ simplex omnino materiæ expertes, & consequenter, si in Angelis sit aliquid, quod sit radix talis multiplicationis, erit ipsa forma Angelica, & non aliquid ab ea realiter distinctum: atqui implicat quod forma sit radix talis multiplicationis; & probatur, quia forma est radix vnitatis specificæ: ergo cum multiplicatio gradus specifici sit effectus omnino oppositus vnitati ipsius, implicat quod in formam tanquam in radicem refundatur: ergo in illis vbi non erit nisi forma simplex, (sicut est in Angelis,) impossibilis erit multiplicatio gradus specifici, & per consequens impossibilis erit in eis multiplicatio indiuiduorum intra eandem speciem atomam.

14. Confirmatur; omnis forma complete immaterialis, atque ex sua intrinseca & adæquata ratione essentiali, negans & excludens materiam, negat & excludit etiam abintrinseco & essentialiter proprietatem materiæ: sed proprietas materiæ, est formam indiuidualiter intra eandem speciem multiplicare, & propterea dicit D. Tho. prima p. quæstio 50. articulo 4. si daretur albedo subsistens, illam fore vnam & non multiplicem: ergo omnis forma complete immaterialis, & ex cōpleta & adæquata ratione sua essentiali negans materiam, negat, & excludit à se omnem multiplicationem indiuidualem intra eandem speciem: ergo cum Angeli sint formæ simpliciter, & secundum adæquatam suam rationem immateriales, excludent à se omnem multiplicationem indiuidualem intra eandem speciem, & cum tali multiplicatione habebunt eodem prorsus modo atque cum materia intrinsecam repugnantiam.

Confirmatur, quia quando possunt dari plura indiuidua intra eandem speciem, tunc illa species debet limitari, sicut & forma talem gradum communicans, itaut in quolibet indiuiduo non recipiatur forma, nec gradus eius specificus secundum omnem modum perfectionis ipsius, sed in vno recipiatur secundum vnum modum, & in alio secundum alterum: sed nihil potest dari, vnde limitetur forma Angelica, quia forma non

limitatur, nisi per potentiam tamquam per oppositum; ergo cum nulla possit dari potentia, in qua recipiatur forma Angelica, cum sit forma subsistens, nihil erit in Angelo, vnde forma illa possit limitari, & propterea D. Tho. vocat eam infinitam 1. p. quæst. 50. art. 2. ad 4. & alibi sæpius, & sic, sicut nihil potest dari in Angelis, vnde possit succrescere limitatio, quæ reperitur in multiplicatione indiuiduali intra eandem speciē; ita nihil poterit in eis inueniri, vnde prædicta multiplicatio suboriri valeat, & consequenter multiplicatio hæc in eis repugnabit.

Probatur tertio, vbi vna tantum potest esse ratio habendi formam, ibi potest esse vnum tantum indiuiduum: sed in formis simplicibus, & complete subsistentibus vnica tantum potest esse ratio habendi formā: ergo. Maior est certa, quia ideo possunt dari plura indiuidua intra eamdem speciem, quia diuersis modis potest participari forma, à qua petitur ratio specifica: ergo vbi non erit possibilis diuersus modus, seu diuersa ratio participandi formam, ibi non poterunt esse plura indiuidua, sed vnicum.

Minor autem probatur, quia in formis simplicibus nihil est, vnde possit peti modus habendi formam, præterquam ab ipsa forma secundum se considerata, cum nihil sit in eis præter formam ipsam subsistentem: ergo non est possibilis in eis, nisi vnicus modus habēdi formam. Antecedens patet, probatur consequentia, quia ideo in illis formis, quæ non sunt simplices, datur diuersus modus participandi formam, quia datur diuersa potentia, in qua forma nata est recipi; cum enim quicquid recipitur ad modum recipientis recipiatur, vbi forma nata est recipi in diuersa potentia, ibi debet esse diuersus modus, diuersaque ratio participandi formam: ergo quando forma non erit nata recipi in diuersa potentia, sed potius erit per se subsistens, negans & excludens à se quamcumque receptibilitatem in alio tanquam in potentia talis forma, erit vnico tantum modo, & non diuerso participabilis; quia sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio causa negationis; & consequenter sicut quando forma nata est in diuersis potentiis recipi, ex hoc potest diuerso modo participari: ita è conuerso quando forma negabit & excludet quamcumque potentialitatem, in qua possit recipi, ex hoc quoque negabit omnino, & excludet quamcumque radicem diuersimodæ participabilitatis & multiplicationis consequenter.

Confirmatur, quia quotiescumque modus habendi formam petitur ab ipsa forma, tunc non potest esse nisi vnicus modus habendi eam: at in formis simplicibus, quales sunt Angeli, modus habendi formam petitur ab ipsamet forma, quia nulla est in eis potentia in qua recipiatur & vnde possit modus recipiendi eam peti: ergo. minor constat.

Maior probatur quia quotiescumque modus habendi formam, petitur ab ipsamet forma, tunc modus ille debet esse formalis & actualis, quia modus debet sequi naturam rei, vnde petitur: ergo cum modus habendi formam, modo formali & actuali, seu per modum actus, & per modū formę, sit habere formam per modum actus specifici, seu modo specifico, quotiescumque modus habendi

habendi formam petetur ab ipsamet forma, tunc forma participabitur solummodo specifice, seu secundum rationem specificam, & consequenter modus habendi formam modo indiuiduali, coincidet in illo casu cum modo habendi eam modo specifico: ergo sicut forma nata est haberi modo specifico secundum vnicum tantum modum; ita quando modus habendi eam petetur, ab ipsa, erit etiam vnicus modus habendi eam modo indiuiduali, & sic implicabit multiplicari indiuidua in illis formis simplicibus & complete subsistentibus.

16. Confirmatur, quia quando modus participandi formam petitur ab aliqua potentia, tunc forma recipitur secundum totam capacitatem & modum positiuum potentiæ: ergo quando modus habendi formam petetur ab ipsamet forma, tunc forma habebitur secundum totam capacitatem formæ: ergo forma exhauriet totam vim communicandi se, quando se semel communicabit: quia cum communicet se modo naturali, seu per modum naturæ, & natura causet secundum vltimum sui, si forma nullam supponat potentiam, ex qua modus eam recipiendi limitetur, & coarctetur, communicando se alicui, secundum omnem prorsus modum sibi possibilem se communicabit ei, & consequenter non poterit in se continere alium modum secundum quem alteri indiuiduo communicari valeat.

Et si dicas ex hac confirmatione probari quidem non posse naturaliter dari plura indiuidua intra eandem speciem, non autem quod de potentia absoluta, & supernaturaliter dari non possint.

Contra quia omnia argumenta hactenus facta euidentem ostendunt in hoc esse implicantiam. Cófir. quia, si repugnet naturaliter formæ Angelicæ multiplicari intra eandem speciẽ atomam, id etiam repugnabit ei & supernaturaliter, quia nihil potest communicari formæ illi, per quod possit modo diuerso se cõmunicare, cum proprium sit causæ intrinsecæ causare per propriam entitatem solam, & non per aliquid aliud superadditum: vnde sicut implicat quod Deus possit aliquid addere gradui generico, per quod ordinetur ad species aliquas, ad quas ex propria entitate non ordinatur, quia quidquid adderetur generi, illud esset extra essentiam generis, illique accidentale, & per consequens non posset genus per illud habere vim communicandi se tali speciei, ad quam ex vi illius superadditi ordinaretur, quia genus communicat se essentialiter, & per modum facientis vnum per se cum ratione specifica, cuicumque se cõmunicat per modum generis: ita similiter, quia quicquid potest addi formæ subsistẽti, per quod illa forma respiciat aliquod indiuiduũ, ad quod ex natura sua, & ex propria entitate non ordinatur, illud debet esse accidentale formæ, & extra essentiá eius, ideo implicat quodcumque illi superadditum, tribuere ei vim cõmunicandi se indiuiduo alicui per modũ naturæ specificæ, quia modus cõmunicãdi se indiuiduo, naturæ specificæ conueniens, est se communicare realiter & immediate, cum ratione indiuiduali seipsam identificando & per modum facientis vnum per se cum ea, non autem mediate, & maxime si tale medium sit ei accidentale, & realiter ab ipsa distinctum.

Confirmatur, quia realitas illa quæ superadderetur tali formæ, deberet esse aliqua realitas ordinis naturalis, tum quia implicat quod aliquid substantiale naturale, faciat vnum per se cum aliquo creato supernaturali, cum naturale & supernaturale sint diuersi omnino ordinis: tum etiam quia si realitas illa esset ordinis supernaturalis, cum talis realitas esset, ratio formalis per quam forma illa constitueret aliquid in esse indiuidui, oporteret quod tale indiuiduum per eam constitutũ esset substantia quædam supernaturalis: ergo cum implicet dari substantiam creatam supernaturalem, vt magis communiter asserunt Theologi, & inter alios Salmanticenses N. tom. 1. tract. de visione Dei disp. 3. dub. 2. implicabit realitatem illam esse supernaturalem ergo deberet esse naturalis, & per consequens esse per se constitutiua alicuius indiuidui ordinis naturalis: ergo, cùm quælibet forma Angelica ordinetur per se, & ex propria entitate naturali, ad omnia sua indiuidua ordinis naturalis, deberet illud indiuiduum, cuius prędicta realitas esset constitutiua, esse indiuiduum alterius formæ specie distinctæ, & cùm simplicet aliquam rationem specificam facere vnum per se cum indiuiduis alterius rationis specificæ, implicabit consequenter vllam posse realitatem superaddi formæ Angelicæ, per quam ordinatur ad aliquam rationem indiuidualem, ad quam per se, & ex propria entitate non ordinabatur: ergo cùm probatum fuerit formam Angelicam ordinari ex propria entitate ad vnicum tantum indiuiduum, implicabit etiam de potentia absoluta, eam ad plura ordinari.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

17. OBiicitur ex D. Tho. opusc. 16. §. restat autem, vbi hæc habet, *Dato quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non tamen propter hoc oporteret, quod intellectum multiplicari, includeret contradictionem, nihil enim prohibet aliquid in sua natura non habere causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa*: ergo similiter, licet Angelus in sua natura non haberet multiplicari numero intra eandem speciem, tamen non sequitur inde, quod non posset multiplicari per diuinam potentiam.

Respondeo. quando D. Tho. dicit, non implicare contradictionem, quod aliquid multiplicetur, etiam si hoc non habeat in natura sua, S. Doctoris intentum esse solum, negare huiusmodi consequentiam, hoc non conuenit tali rei ex natura sua, ergo non potest hoc ei conuenire de potentia etiam absoluta; ista enim consequentia est penitus nulla, quia alias nihil fieri posset supernaturaliter: licet ergo (ait S. Tho.) intellectus non haberet in sua natura, id est, non exigeret connaturaliter multiplicari, sicut dicebant Auerroistæ, sed intellectus omnium hominum esset vnus tantum, tamen non sequeretur eum multiplicari non posse, etiam de potentia absoluta, quia sicut sol

potest de potentia absoluta multiplicari, licet non habeat in sua natura, seu non exigat connaturaliter multiplicari, quia scilicet non deficit possibilitas, principij intrinseci ad multiplicationem ipsius requisiti, sed sola causa extrinseca, Deus scilicet, qui ex sua sapientia iudicat duos soles non esse in mundo necessarios; ita licet intellectus in sua natura, & connaturaliter non exigeret multiplicari in hominibus, sed vnicus in eis sufficeret, sicut dicebant Auerroistæ, hoc tamen admisso (inquit S. Tho.) non sequeretur implicare quod posset multiplicari, cùm non desit principium intrinsecum multiplicationis ipsius, diuersæ scilicet animæ, solo numero distinctæ, per ordinem ad quas posset intellectus multiplicari, ex suppositione quod hoc vellet Deus præstare: at quod Angelus non habeat in sua natura multiplicari intra eandem speciem atomam, hoc non est solum, ex eo quod secundum cursum naturæ id exigat, sed etiam ex eo quod inest naturæ Angelorum incapacitas & repugnantia ad principium intrinsecum, requisitum ad eorum multiplicationem numericam intra eandem speciem atomam: & sic debet negari consequentia argumenti facti; ex disparitate enim allata inter naturam Angelicam, & inter intellectum humanum, euidenter apparet implicare multiplicari naturam Angelicam intra eandem speciem atomam, non autem intellectum humanum.

Obiicitur ab Academia Parisiensi & ab Episcopo illius vrbis celeberrimæ, anno 1313. sequentes tres articulos erroris damnatos fuisse & excõmunicationis; primus est, dicere quod quia intelligentiæ non habeant materiam, Deus non potest plures eiusdem speciei facere, error. secundus, dicere quod Deus non potest multiplicare indiuidua sub vna specie sine materia, error. tertius, quod formæ non recipiunt diuisionem, nisi secundum materiam, error.

18. Respondeo, quatenus tres prædicti articuli poterant vel esse, vel intelligi contra doctrinam D. Tho. eos, à Stephano Episcopo Parisiensi anno Domini 1325. fuisse reuocatos in Bulla quæ incipit. Magistro, vbi hæc habentur; *Supradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam, quatenus tangunt vel tangere possunt doctrinam S. Tho. Doctoris eximij, ex certa scientia, tenore præsentium totaliter annullamus.* Deinde Vrbanus 6. Pontifex max. in Extrauag. Laudabilis, præcipit doctrinam D. Tho. tanquam catholicam ab omnibus recipi, & consequenter non est timendus error in sequendo doctrinam S. Tho. vltra quod (vt aduertunt Caietanus & Ferrariensis) per prędictos articulos non condemnatur doctrina D. Tho. sed doctrina Auerroistarum, qui dicebant intellectum omnium hominum esse vnum, & in eis non multiplicari, quia ita erat immaterialis, vt nec componeretur, nec in suo esse dependeret à materia. Censurant ergo prædicti articuli, eos qui dicunt formas, quæ prædictis modis sunt à materia independentes, per diuinam potentiam multiplicari non posse, non autem doctrinam D. Tho. quæ, adhoc vt formæ aliquæ multiplicari non possint, non solum requirit illam indepen-

dentiam à materia, quæ est in intellectu nostro, sed longe maiorem; quia licet intellectus noster, nec componatur ex materia, nec in suo esse à materia tanquam à causa, ex qua educatur, dependeat, dependet tamen mediate, id est mediante anima, ab ea, tanquam à termino habitudinis suæ, & tanquam à potentia, in qua debet mediante anima recipi: at vt aliquæ formæ immateriales, sint in doctrina S. Tho. immultiplicabiles intra eandem speciem, requiritur non solùm, quod sint hoc modo à materia independentes, sed etiam quod penitus excludant materiam, dicantque ab intrinsecis & essentialibus principijs repugnantiam & incapacitatem receptibilitatis in ea, tanquam in potentia quam possint informare.

Obiicitur ex D. Augustino lib. 3. de libero arbitrio c. 12. vbi ait, si Deus annihilaret omnes Angelos, quod posset sine dubio multo plures eiusdem speciei creare.

19. Respondeo D. August. esse intelligendum de creatione plurium Angelorum eiusdem speciei subalternæ, non eiusdem speciei atomæ: vnde si Deus vellet aliquos eiusdem speciei atomæ producere, oporteret quod eosdem reproduceret, & non alios.

Et si dicas non posse rem, quæ semel est annihilata, reproduci, & propterea D. Tho. in 4. dist. 44. quæstio. prima articulo primo, quæstiûc. 2. ad 3. asserere, quod idem homo numero resurgere non posset; si anima non remaneret incorrupta.

Respondeo primo, cum Nazario 1. p. quæst. 50. articulo 4. contro. 2. quod resurrectio est actio distincta à reproductione: ad resurrectionem enim requiritur, quod præcipuæ eius partes remaneant, inter quas primum locum obtinet anima, quod tamen non requiritur ad reproductionem, & sic licet in illo casu qui tangitur in argumento, non diceretur idem homo numero resurgere, diceretur tamen idem numero reproduci.

Respondeo secūdo, & melius (quia hæc solutio videtur ad mentem omnino D. Tho.) quod S. Doctor non loquitur ibi de anima rationali, sed de anima sensitiua, & ait, quod si vera esset sententia illorum, qui dicunt dari duplicem animam in homine; alteram sensitiuam, & alteram rationalem, seu intellectiuam; sensitiua deberet in morte corrumpi, & per consequens quando anima rationalis reuniretur corpori, non resurgeret idem homo numero, quia non esset amplius sensitiuus sicut antea; sed solum rationalis, quippe qui solam animam rationalem, non autem sensitiuam haberet; in resurrectione enim sola forma quæ post mortem perstitit recuperatur, non autem illa, quæ corrupta est.

Obiicitur ex Bannesio vbi supra, sicut Deus potest perficere, & augere lumen solis, quamuis de facto habeat omnem perfectionem sibi debitam in ratione luminis: ita licet Gabriel verbi gratia habeat omnem perfectionem sibi substantialiter debitam, potest tamen Deus augere eius perfectionem substantialem, & consequenter facere, quod natura Gabrielis esset in hoc & illo indiuiduo, perfectiori & perfectiori modo; ergo posset multiplicare naturam Gabrielis intra eamdem speciem atomam.

20. Respondeo quod natura specifica non est distincta ab indiuiduali in Angelis (vt ostensũ est disp. præced.) & consequenter non potest perfici substantialiter natura Gabrielis, nisi mutetur eius species.

Et si dicas posse fieri de potentia absoluta, quod natura Gabrielis ponatur in aliquo indiuiduo, in quo sint perfectiora accidentia, quam illa quæ de facto sunt in Gabriele; ergo cùm perfectiora accidentia, arguant etiam perfectiorem substantiam, cui conueniant, poterit Deus producere naturam Gabrielis in aliquo indiuiduo substantialiter magis perfecto, quam sit præsens indiuiduum Gabrielis; ergo & multiplicare indiuidua illius naturæ.

Respondeo, quod illa accidentia perfectiora, quæ Deus produceret, vel competerent indiuiduo Gabrielis ex potentia eius obedientiali, vel ex connaturali, per quam vel connaturaliter ea dimanaret, vel saltem ab aliquo extrinseco connaturaliter ea reciperet: si primum tunc accidentia illa non inferrent aliquod indiuiduum Gabrielis, distinctum substantialiter ab eo, quod nunc est; quia certum est, quod idem Gabriel, qui est iam, potest longe perfectiora accidentia secundum potentiam obedientialem recipere, quam sint ea, quæ iam ipsi conueniunt: si vero secundum dicatur fateor, quod in eo casu accidentia illa arguerent indiuiduum aliquod Gabrielis substantialiter diuersum ab eo, quod nunc est, sed nego casum illum esse possibilem; apertam enim inuoluit implicantiam, quod detur aliquod indiuiduũ Gabrielis, quod ordinetur ad perfectiora accidentia naturalia, quã sint ea ad quę ordinatur iam Gabriel, secundum potentiam eius naturalem, vel dimanatiuam, vel receptiuam, quia indiuidualitas Gabrielis exhaurit per suam irreceptibilitatem, & actualitatem subsistentem, omnem indiuiduationem illius naturæ, & consequenter non relinquit locum alteri indiuiduationi perfectiori, quæ natiuam vim habuit ad perfectiora accidentia connaturaliter recipienda.

Ad id autem, quod obiiciebatur in argumento de lumine solis, respondeo, quod sicut Deus potest producere alium solem indiuidualiter perfectiorem, quam sit ille, qui nunc est; potest lumen perfectiori illi soli naturaliter conueniens producere, quod quidem lumen sit indiuidualiter perfectius eo, ad quod iam connaturaliter sol noster ordinatur: at Angeli non possunt comparari ad aliquam materiam, aut ad aliquod aliud subiectum, à quo perfectiori, vel imperfectiori modo recipiantur, & consequenter eos indiuidualiter, intra eamdem speciem atomam multiplicari omnino repugnabit.

DISPVTATIO VI.

DE EXISTENTIA CREATA considerata per comparationem ad essentiam creatam.

QVIA existentia est altera pars componens vna cum essentia, cuius est proprius actus, ens creatum Metaphysicale, ideo post disputationem de essentia creata indiuidualiter considerata, de existentia creata est agendum; & quia potest existentia creata considerari, vel secundum quod comparatur ad compartem suam, essentiam; scilicet; vel secundum quod comparatur ad suas causas, de existentia secundum priorem considerationem in hac disputatione prima tractabimus, acturi, in sequenti de ea secundum posteriorem considerationem.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM EXISTENTIA DISTINGVATVR realiter ab essentia.

§. I. *Resolutio quæstionis.*

ANTEQVAM ad resolutionem quæstionis accedamus, videndum est prius, quid sit existentia; existentia ergo definitur ab aliquibus, quod sit id, quo res vltimo & complete ponitur extra suas causas, seu extra nihil, vel (vt magis vniuersalem tradamus de existentia definitionem, quæ non solum ad existentiam creatam, sed etiam ad increatã se extendat, quæ nullam à causis depẽdentiã agnoscit) põterit sic definiri, quod sit complemẽtum, & vltimus cuiuslibet rei terminus, quo res in seipsa ponitur. Vt hanc

definitionem applicemus existentia creatæ, sciendum est, quod quælibet res creata potest duplicem habere modum essendi, alium in seipsa, alium in sua causa. Quo posito dicimus quando dicitur, quod existentia est vltimus terminus rei, hoc intelligendum esse de re considerata, non secundum modũ essendi, quem habet in sua causa, sed secundum modum essendi, quem habet in seipsa, & prout est extra causas, & propterea existentia (vt iam diximus) definitur, ab aliquibus esse id, qua res vltimo ponitur extra nihil, seu extra causas.

Notandum est secundò: quod quando quæritur vtrum existentia creata distinguatur realiter ab essentia, non procedit quæstio de quacunque essentia, etiam incompleta, certum est enim, quod essentia ipsius met existentiæ, non est distincta ab existentia sua; aliàs si daretur existentia existentiæ, daretur processus in infinitum; etenim essentiæ illius existentiæ, qua existentia existeret, deberet dari alia existentia, & sic in infinitum: vnde sicut albedo non est alba vt quo per aliquid aliud, quia albedo est id quo aliquid est album, ita quia existentia est id, quo aliquid est existens, non debet reddi talis per aliam existentiam, sed constituendo totum existens in esse existentiali, existit etiam, vt quo per seipsam. Quæstio ergo procedit de essentia completa cuiuslibet rei, vtrum v. g. essentia hominis, vel equi, distinguatur realiter à propria existentia, per quam existit.

His positis prima sententia est, existentiam non distingui realiter ab essentia, sed eamdem essentiam per seipsam formaliter, & per propriam entitatem in actu exercito consideratam existere. Ita Suarez disput. 31. Metaph. sect. 1. Valentia prima parte in quæst. 3. D. Thomæ puncto quarto, qui Durandum, Alexandrum Alensem, Bervurum, Gabrielem, & alios pro sua sententia adducit.

II. Sententia est, quod existentia distinguitur realiter modaliter ab essentia: ita sentiunt Soto 2. Phys. quæst. 2. & in 4. distinct. 10. quæst. 2. & Molina prima parte quæst. 2. Molina prim parte quæst. 3. art. 4. disp. 2.

III. Sententia communiter recepta inter Thomistas & vera, est, quod existentia non solum modaliter, sed etiam entitatiue ab essentia distinguitur: ita sentiunt omnes Thomistæ prima parte, quæst. 3. art. 4. Bannez, Zumel. Nauarrete, Nazarius, Caietanus cap. 9. de ente & essentia, quæst. 10. Capreolus in 1. dist. 8. quæst. 1. Ferrariensis 2. contra Gentes cap. 52. Soncinnas 4. Metaph. quæst. 12. Flandria 4. Metaph. quæst. 3. art. 4. & alij.

Conclusio prima. omnis essentia creata realiter distinguitur à sua existentia. Ista conclusio est Aristotelis 2. lib. de Demonstrat. cap. 7. vbi habet hæc verba. *Esse vero nulli est substantia*, id est essentia. Vt & D. Th. plerisque in locis, & maxime 4. Metaph. lect. 2. his verbis, *esse enim rei quamuis sit aliud ab eius essentia, non tamen intelligendum est, quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis*. Et cap. 5. de ente & essentia, *quidquid enim non est, de intellectu essentiæ, vel quidditate, hoc est adueniens extra, & faciens compositionem cum essentia, cum nulla essentia sine iis qua sunt par-*

ates essentia intelligi possit, omnis autem essentia vel quidditas potest intelligi sine hoc, quod aliquid intelligatur de esse suo. Videndus est etiam quodlibet. 2. ar. 4. in 2. distinct. 7. q. 1. a. 1. in Corp. Item 2. contra Gent. c. 52. Opusc. 48. art. 2. c. 2. vbi non solum dicit existentiam distingui realiter ab essentia, sed etiam addit distingui ab eas tamquam à re, locum referemus infrà Conclus. 2.

2. Probatur ratione desumpta ex D. Th. 1. p. q. 7. Illud omne quod habet esse receptum in essentia, debet habere esse realiter distinctum ab essentia; sed quælibet creatura habet esse realiter in essentia sua receptum; ergo. Maior est certa, quia illud quod recipitur in aliquo, comparatur ad ipsum sicut actus ad potentiam, & consequenter cum actus distinguatur realiter à potentia sua, debet omne receptum ab eo, in quo recipitur, realiter distingui.

Minor autem probatur; quælibet creatura habet esse finitum & limitatum: ergo quælibet creatura habet esse realiter in essentia sua receptum, quia esse irreceptum est omninò infinitum & illimitatum in ordine entis; cùm enim quilibet actus à potentia sua tanquam ab opposito suo limitetur, si esse, quod est actus vniuersalissimus & perfectissimus totius entis, neget potentiam in qua recipiatur, negabit & excludet à se quodcumque limitatiuum; & per consequens quamcumque limitationem. Ergo vt esse cuiuslibet creaturæ sit finitum & limitatum, debet necessario esse receptum in essentia. Vide ad maiorem intelligentiam huius rationis ea quæ dicentur à nobis infrà disp. 13. num. 2. & seq.

Dices, quamlibet creaturam habere esse finitum & limitatum per hoc, quod recipit esse à Deo non vero per hoc quod habeat esse receptum in essentia sua.

Contra, quia Filius æternus habet esse à Patre suo, & tamen filius æternus non habet esse finitum & limitatum: ergo non infertur finitas aut limitatio existentiæ creaturæ, ex eo quod accipiat esse à Deo, quin imo ex eo quod aliquid accipiat esse ab aliquo infinito, potius videretur colligendum illud esse infinitum, quam finitum; ergo si non detur aliquid intrinsecum in creatura, vnde limitetur atque finiatur eius existentia, potius colligetur ex eo ipsam habere infinitatem, quam finitatem & limitationem.

Dices, quotiescumque aliquid accipit esse à Deo tanquam à causa, illud debere esse finitum atque limitatum, & ideo creaturam esse quid finitum, non autem Verbum diuinum, quia Verbum accipit esse à Patre æterno, non tamquam à causa, sed tanquã à principio; creatura vero accipit esse à Deo tãqua à causa.

3. Contra, quia licet verum sit quod accipere esse suum à Deo tamquam à causa, arguat imperfectionem & limitationem in eo, quod sic pendet à Deo, tamen illa limitatio non relucet in eo, nisi quia accipit à Deo esse receptũ in essentia sua, quod si hoc tollas ab effectu, nihil erit in eo, vnde intrinsece limitetur esse ipsius, & per quod distinguatur ab eo quod procedit à Deo tamquam à principio: ergo cùm esse cuiuslibet creaturæ, sit intrinsece finitum & limitatum, & distinguatur intrinsece ab eo quod tãtum procedit à Deo, tamquam à principio, & non

non tamquam à causa, debet esse cuiuslibet creaturæ recipi in essentia, tamquam in potentia receptiua, vt finiatur & limitetur actualitas ipsius, & vt possit modus ille influendi, quem habet Deus in creaturam, diuersus ab illo, secundum quem in suum Verbum influit, in creatura relucere.

Et si dicas genus limitari per differentiam, licet ab ea realiter non distinguatur, & consequenter posse existentiam limitari ab essentia, licet ab ea realiter non distinguatur.

Respondeo abunde satisfactum esse huic instantiæ disput. præced. quæst. 1. parag. 1. nu. 6. video ibi dicta.

Confimatur nostra conclusio, essentia creata definitur per hoc quod sit potentia ad esse: ergo debet existentia recipi in essentia, tamquam actus in potentia sua receptiua; neque enim essentia potest esse alia potentia respectu existentiæ, quam potentia eius receptiua.

Dices essentiam definiri per ordinem ad existentiam, tamquam per ordinem ad actum suum exercitum.

Contra quia nulla potentia definitur per ordinem ad actum exercitum; cùm enim exercitium actus sit solùm contingens, & definitiones rerum sint necessariæ, debent semper tradi per comparationem ad necessaria, & non per ordinem ad contingentia: ergo cùm essentia creata definiatur potentia ad esse, debet esse, poni in illa definitione, non vt actus exercitus essentiæ, considerataæ per modum potentiæ obiectiuæ, sed vt verus actus ipsius, in actu signato consideratæ, & consequenter recipietur in ea tanquam actus in propria potentia sua receptiua.

Confirmatur. Quia si essentia non haberet rationem veræ & realis potentiæ, respectu existentiæ; sequeretur, quod creaturæ non essent compositæ in ordine entis; si enim tantæ sint perfectionis, vt realiter sibi & essentialiter identificent existentiam, quæ est vltima actualitas, quæ fit in ordine entis (existentia enim est vltimum complementum, & id quo res ponitur vltimo extra suas causas) certè excludunt à se quamcumque rationem potentialitatis, & sic erunt actus purissimus, & non creaturæ.

Probatur 2. alia ratione petita ex eodem S. Doctore cap. 5. de Ente & Essentia, & super Boëtium de Hebdomadibus c. 2. contra Gentes c. 52. ratione 2. Illud cuius quidditas est suum esse, non potest esse, nisi vnicum tantùm: ergo implicat quod creaturæ sint suum esse. Consequentia est aperta. Probatur antecedens. In illa re, cuius quidditas est suum esse, non potest dari causa, seu ratio multiplicationis: ergo non potest esse nisi vnum. Consequētia patet, probatur antecedens quia quod vnum plurificetur, hoc solum potest fieri duobus modis; primò per additionem alicuius differentiæ, sicut multiplicatur natura generis in species, & hoc modo res, cuius essentia est suum esse subsistens, & in potentia non receptum, non potest multiplicari; quia cùm existentia sit vltima actualitas, non poterit cōsequenter tāquam potētia generica per vlteriores actualitates cōtrahi, & multiplicari, sicut deberet fieri, si per modū potentiæ genericæ in diuersis speciebus multiplicaretur. Secundò po-

test res aliter multiplicari, numero scilicet, per receptionem formæ in diuersis partibus materiæ, sicut multiplicatur natura specifica in diuersis indiuiduis, & hoc etiam modo esse subsistens & irreceptum non est multiplicabile; quia nihil sic multiplicatur, nisi id, quod in alio recipitur tamquam actus in potentia, (vt q. 2. disp. præced. satis fuse ostensum est;) ergo esse irreceptum in essentia tamquam in propria potentia, nullo modo est multiplicabile, sed vnicum tantum.

Probatur tertiò argumento Theologico, si essentia creata non distingueretur realiter ab existentia, sequeretur, quod hoc côueniret cuilib. essentię creatę, quę enim per se côueniunt rationi superiori, conueniût & inferiori: ergo si per se côuenit essētiæ creatę, quod identificet sibi suum esse, & ab eo realiter non distinguatur, hoc etiam conueniet cuilibet essentiæ creatæ particulari: atqui non potest hoc cuilibet essentiæ particulari conuenire, quia hoc non competit humanitati Christi, aliàs non posset à verbo diuino terminari, quod probatur. Quia illa natura, quæ est omnino completa, & vltimate terminata, non potest vlteriori aliquo termino côpleri & terminari; alioquin sequeretur quod illa natura esset vltimo completa, & non vltimo completa, vltimo terminata, & nô vltimo terminata. Atqui ex suppositione quod humanitas Christi identificaret sibi suum esse; Natura illa esset vltimo completa atque terminata, quia existentia est vltimus cuiuslibet rei terminus; cum quælibet res tendat ad esse, & in esse quiescat; ergo.

Confirmatur: ex illa sententia sequeretur Christum esse aggregatum per accidens, illud enim quod conflatur ex duobus entibus per se completis, & vltimo terminatis, est ens per accidens, atqui Christus esset talis, quia conflaretur ex humanitate, quæ esset terminata vltima sua actualitate creata, existentia scilicet, & deinde verbo diuino, quod, esse completissimum, & vltimo terminatum nullatenus dubitari potest: ergo Christus esset ens per accidens. Videantur Thomistæ 3. p. q. 17. a. 2.

5. Conclusio secunda; existentia distinguitur ab essentia entitatiue, & tanquam res à re. Ita D. Thom. expressis verbis Opusc. 48. quod est de decem prædicam. tract. 2. c. 2. post medium, vbi habet ista verba, *esse existentiæ, & esse actualis essentiæ differunt realiter, vt duæ res diuersæ.*

Probatur ratione. Existentia substantiæ distinguitur realiter entitatiue, ab essentia substantiæ; ergo existentia creata distinguitur realiter entitatiue à propria essentia.

Consequentia patet, quia eadem videtur esse ratio de omnibus existentiis; ergo si existentia substantiæ distinguitur entitatiue ab essentia eius, idem iudiciû erit ferêdû de omnibus existêtiis, si tamê essentiæ quarû sunt existentiæ, sint essentiæ perfectæ, & non imperfectæ, quales sunt essentię modales: quod autê existêtia substâtiæ distinguatur entitatiue ab eius essêtia, probatur, quia illud quod dat esse simpliciter, nô potest esse solum modus aliquis, atqui existentia substâtiæ dat esse simpliciter substâtiæ: ergo nô potest solum esse aliquis modus: ergo non debet solû modaliter, sed tâquâ res à re ab essentia substâtiæ distingui. Minor est certa, quia substantia definitur, quod sit ens cui debetur esse per se, quod quidem tri-

buitur ei per existētiá ei⁹. maior autē patet, quia modalitas est solú actualitas secúdú quid & imperfecta: ergo non potest tribuere esse simpliciter.

Probatur secundò, quia vt q. 4. videbitur, existentia est actualitas omnium perfectissima: ergo non potest esse solùm modus aliquis, sed debet esse entitas perfectissima, realiter entitatiuè, ab essentia distincta.

Probatur tertiò, si existentia distingueretur solú modaliter ab essētia, non posset existētia humanitatis Christi suppleri à verbo diuino, quod tamen est contra communem Thomistarum sententiam. Sequela probatur, quia modus includit in suo conceptu intrinseco entitatem cuius est modus: ergo cum entitas, cuius existentia est modus, sit essentia, non potest suppleri existentia alicuius essentiæ, nisi etiam suppleatur & ipsa essentia: & sic non potuisset existentia humanitatis Christi suppleri à Verbo diuino, nisi etiam suppleuisset essentiam humanitatis, quod tamen implicat.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur; illud quo ponitur res extra nihil & extra suas causas, est existentia: sed res ponitur per suam essentiam actualem extra nihil, & extra suas causas: ergo essētia actualis cuiuslibet rei, est existentia ipsius, & consequenter existentia non distinguetur ab essentia actuali.

6. Respondeo, quod existentia non est id, per quod quocumque modo ponitur res extra nihil, sed id, quo tamquam vltimo termino, vltimoq; complemento, ponitur res extra nihil complete, & perfecte in ordi ne entis: vnde licet res ponatur extra nihil secundú gradus essentiales per actualitatem essentiæ, quia tamen non ponitur res per eam extra nihil secundum illos gradus, tamquam per vltimum terminum, vltimumq; complementum, sed tamquam per aliquod terminabile ab vltimo termino vltimoq; complemento, in ordine entis; ideo fit, quod essentia actualis non petit vlla ratione realiter cum existentia identificari; sed è conuerso exigit potius ab ea realiter distingui tamquam terminabile à suo termino, & tamquam potentia à suo actu: sicut enim ex eo quod forma tribuat composito rationem specificam per modum formæ, & per modum actus, non sequitur quod aliquid aliud realiter à forma distinctum, nō debeat vna cum ea concurrere ad constitutionem speciei, sed potius cōtrarium omnino infertur, quia eo ipso quod concurrat solum per modum formæ, eo ipso de necessitate exigit aliam compartem, quæ per modum potentiæ ipsius receptiuæ ad totius compositionem vna secum concurrat; ita similiter ex eo quod existentia ponat rem extra nihil per modum vltimæ actualitatis vltimisque termini, non sequitur quod sola constituat rem extra nihil, sed potius quod ad istum effectum admittat secum, & exigat aliam compartem, in qua tamquam actus in sua potentia, & tamquā terminus intrinsecus in suo terminabili intrinseco recipiatur; & sicut implicat in rebus materialibus rem constitui in esse specifico, nisi forma concurrat ad illud per modum formæ vel actus, & materia per modum potentiæ in qua talis forma recipiatur; ita quia

in creatis rem esse existentem, dicit aliquod compositum ex esse tamquam ex actu, & ex essentia tãquam ex potentia, implicabit rem creatam posse existere, nisi habeat essentiam realem, in qua existentia recipiatur, tanquam actus in potentia, quam facit existere: & sic essentia realiter distinguetur ab existentia, tamquam potentia à suo actu.

Obiicitur. si existentia distingueretur realiter ab essentia, tamquam à potentia ipsius receptiua, sequeretur quod existentia educeretur de potentia essentiæ: atqui hoc non potest dici, quia essentia non potest ordine durationis præcedere existentiã, sicut de necessitate deberet facere, si existentia educeretur ex ea, cum eductio formæ fiat ex vi actionis transmutantis potentiam, in qua forma educta recipitur: ergo cùm ad transmutationem, quę fit per eductionem formæ, requiratur quod forma educta pręsupponat potẽtiam in qua recipitur, priorem seipsa prioritate aliqua durationis, vt ostendunt Complutenses N. in Phys. disp. 4. quæst. 2. parag. 2. & quæst. 3. parag. 5. num. 28. & sequentibus, deberet existentia præsupponere essentiam in aliquo priori durationis, si ex ea educeretur: ergo cùm essentia non præcedat ordine durationis existentiam (quia certum est essentiam non posse esse in vllo instanti durationis sine existentia,) non poterit existentia educi ex ea, nec consequenter realiter ab ea distingui.

7. Respondetur, quod inter existentias, aliæ creantur, aliæ educuntur; existentiæ enim illarũ rerũ quæ creãtur, concreãtur cum illis, vt sunt existentiæ animarum rationalium & Angelorum, existentiæ vero illarum rerum, quarum formæ educuntur de potentia materiæ, cum eis coeducuntur, ad quod non requiritur, quod subiectum adæquatum existentiæ, scilicet essentia, præcesserit secundum adæquatam sui rationem, existentiam ordine durationis, sed sufficit quod secundum inadæquatam sui rationem, scilicet secundum materiam duratione eam pręcesserit; & propterea non dicitur absolute, quod eductio debeat fieri ex vi actionis transmutantis subiectum, sed ex vi actionis transmutantis materiam. Quod autem hoc sufficiat ad eductionem patet euidenti exemplo proprietatum essentiæ, quæ petunt quãtum est ex se ex vi eiusdem actionis per quam educitur forma, ex toto composito, tanquam ex adæquato subiecto educi, & tamen compositum non præcedit duratione, secundum adæquatam sui rationem suas proprietates, cum forma non præcedat eas sic, sed sola materia; sufficit ergo ad hoc, vt existentia dicatur; etiam educi ex essentia, tanquam ex proprio subiecto, quod essentia secundum aliquam sui partem, rationemq; inadæquatam, hoc est secundum materiam, præcedat existentiam duratione.

Respondeo secundo cum Complut. N. q. 3. cit. disp. 4. n. 28. ad eductionem formæ sufficere (si non fiat ex vi actionis transmutantis subiectum,) quod saltem fiat per actionem distinctam ab ea per quam fit subiectum, & hoc patet exemplo gratiæ Angelorum, quæ in eorum creatione fuit educta ex eorum potentia, & in generatione vermium ex speciebus consecratis, in quo casu, formæ vermium educuntur ex

potentia materiæ, quæ de nouo producitur in instanti generationis eorum; licet subiectum prædictarum formarum fiat per distinctam actionem in eodem tamen instanti, quo illæ formæ ex eo educuntur; vnde cum essentia producatur per distinctam actionem ab ea per quam existentia de potentia eius educitur; quia secundum opinionem magis probabilem, productio existentiæ soli Deo tanquam causę principali tribuitur, vt ostendetur disp. seq. qu. 3. poterit consequenter existentia dici educta de essentia.

Dices nullam causam posse causare, nisi existat de facto: ergo cùm subiectum ex quo educitur forma, causet eam, debet de facto existere, vt eam possit causare: ergo si existentia educitur de potentia essentiæ, essentia existet priusquam habeat existentiam, quod implicat.

8. Respondeo quod quando causa aliqua causat solum in genere causæ materialis; & non in genere causæ efficientis, licet in eodem instanti durationis, in quo causat, de facto existat, tamen prius prioritate aliqua à quo quam existat, potest causare: & ratio huius rei est, quia quando causa materialis concipitur pro illo priori quo causat, concipitur solum secundum ea præcise quæ concurrunt ad causandum in illo genere; causa enim considerata pro illo priori à quo, quo causat, appellat proprium conceptum causæ secundum quem ab aliis causis contradistinguitur; vnde cùm causa materialis fundetur in potentia, & non in actu, hinc fit quod illud quod causat in illo genere; non debet exprimere pro illo priori existentiam, (licet in eodem instanti reali temporis ab ea pendeat in genere causæ formalis,) sed potius debet præscindere ab ea, & exprimere solum ea, quæ tribuunt ei vim & potentiam recipiendi formam quam causat in genere causæ materialis receptiuæ.

Obiicitur, esse actualis essētiæ exercitæ conuenit contingenter rei; quia prius quam essentia fieret, res non habebat esse actualis essentiæ exercitum, & potest illo semel acquisito priuari, quæ sunt conditiones existentiæ, prout ab essentia distinguitur cum essentia necessario, non vero contingenter rei conueniat: ergo essentia actualis & existentia sunt vnum & idem, nec realiter inter se distinguentur.

Respondeo cum Nauarrette. 1. p. contro. 14. §. 3. ad 1. ad confir. argumenti primi, non solum existentiam, sed etiam essentiam consideratam secundum esse suum exercitum, rei contingenter conuenire, & ratio huius rei est, quia quando consideratur essentia secundum suum esse exercitum, consideratur quatenus subest existentiæ in actu exercito, cum exercitum esse conueniat essentiæ per existentiam, tanquam per actum vt paulo superius n. 6. dictum est, & ideo non mirum quod essentiæ, secundum illum statum, conditiones existentiæ exercitæ conueniant. Et ad id quod obiicitur, essentialia conuenire semper & necessario rei. Respondeo quod conueniunt ei semper & necessario negatiue, seu per non repugnantiam, non autem positiuè & in actu exercito, quia cuilibet creaturæ conuenit mere contingenter quod sit extra causas.

Obiicitur: illa quæ eadem generatione producuntur sunt vnum &

idem, nec realiter distinguntur, sed essentia actualis, & existentia producuntur, eadem generatione: ergo.

Respondeo quod existentia producitur per distinctam actionem ab ea per quam producitur essentia, creatura enim non producit in virtute propria, sed in virtute Dei existentiam, vt disp. seq. qu. 3. §. primo, secundum probabiliorem opinionem videbimus.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem; si illa quæ eadem generatione generantur, eodem modo generentur, concedo, si diuerso modo, nego: at existentia & essentia diuerso modo attingũtur à generatione, quia existentia per modum vltimi complementi, vltimique termini, essentia vero per modum terminabilis, & per modum potentiæ receptiuæ existentiæ à generatione attingitur.

Obiicies; D. Tho. 1. p. quæst. 50. ar. 5. in corp. dicẽtem, quod eodem modo comparatur esse ad formam, quo rotunditas ad circulum; & propterea dicit sicut rotunditas non potest separari à circulo, ita esse separari non posse à forma: ergo sicut rotunditas non distinguitur realiter à circulo: ita nec esse distinguetur à forma.

Respondeo, esse comparari quidem eodem modo ad formam, quo rotunditas ad circulum, quantum ad separationem connaturalem vnius ab altero, de qua loquitur ibi Diuus Tho. quamuis tamen quantum ad rationem distinctionis, de qua S. Doctor nullatenus sermonem facit, hæc enim non erat ad propositum) nec eodem modo, sed valde diuerso ad eam comparetur. Dixi autem quantum ad separationem connaturalem, comparationem Diui Tho. valere, quia quamuis de potentia etiam absoluta, rotunditas hæc, ab hoc circulo existente separari non possit, tamen esse naturale quod conuenit huic formæ, potest ab ea separari, non quidem secundum legem ordinariam; sed de potentia absoluta, vt patet in humanitate Christi, à qua esse naturale separatum est, & esse verbi diuini ei communicatum: verum est tamen, quod comparatio D. Tho. potest adhuc esse legitima loquendo etiam de potentia absoluta, ad istum tamen sensum, quod sicut non potest rotunditas separari à circulo, ita nec esse à forma, quodcumque illud sit, siue sit esse naturale, siue supernaturale & diuinum.

QVÆSTIO II.

Vtrum existentia substantiæ sit Accidens respectu ipsius.

Resolutio quæstionis.

§. I.

9. AD intelligentiam huius quæstionis, supponendum est breuiter quod accidens est duplex, aliud prædicamentale, aliud prædicabile; prædicamentale est illud, quod contra substantiam distinguitur, & ad aliquod ex nouem prædicamentis pertinet; prædicabile ergo est illud, quod de essentia rei non est, siue illud sit

quid substantiale, siue quid accidentale.

Hoc supposito prima sententia quam Flandria 4. Metaphysicæ quæstio. 3. articulo 7. & Bannez 1. p. quæstio. 3. articulo 4. dubio 1. sine authore referunt, est affirmatiua.

Secunda sententia communiter inter Thomistas recepta est, quod existentia substantiæ est quidem accidens prædicabile, non tamen accidens prædicamentale; ita sentiunt Bannez & Flandria locis cit. Ledesma de perfect. diuin. quęstio. 12. articulo 3. Nauarette contro. 14. 1. p. §. 1. Nazarius 1. p. quæstio 3. a. 4. contro. 1. concl. 9. & alij Thomistæ ibid.

Probatur ex D. Tho. 4. Metaph. lect. 3. vbi habet ista verba, *Esse enim rei quamuis sit aliud ab eius essentia, non tamen est intelligendum quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis.* Et in 1. dist. 3. q. 4. art. 2. ad 2. *essentia ipsius animæ est principium operandi, sed mediante virtute, principium autem essendi est immediate, quia esse non est accidens.* Videndus est etiam quodlib. 2. quæstio. 2. articulo 3. ad 2. & opusc. 48. tract. 2. capite 2. quodlib. 12. quæst. 5. art. 5.

Probatur ratione, & primo quidem quod existentia sit accidens prædicabile est euidens, quia existentia est extra essentiam rei: ergo sicut differentia licet sit aliquid substantiale, imo & aliquid essentiale respectu speciei, tamen dicitur esse accidens prædicabile respectu generis; ita licet existentia substantiæ sit aliquid substantiale, tamen poterit esse accidens prædicabile respectu substantiæ, quia est extra essentiam specificam ipsius. Quod autem existentia substantiæ sit aliquid substantiale, & non accidens prædicamentale, quæ est secunda pars conclusionis, probatur, quia ex D. Tho. 1. p. quæstio. 77. articulo primo in corp. & in 1. sent. loco statim citato & ex Philosopho in 5. Physic. lect. prima apud S. Tho. ad idem genus pertinent potentia & actus: sed ex eodem S. Tho. quæstio. 7. de potentia articulo secundo, & alibi sæpe, vt quæstio. præced. vidimus, esse comparatur ad essentiam tanquam actus ad potentiam: ergo existentia substantiæ non est accidens respectu ipsius, si sermo sit de accidenti prædicamentali.

10. Probatur secundo; implicat quod substantia habeat esse simpliciter ab esse accidentali; sed si existentia substantiæ esset accidens, substantia haberet esse simpliciter ab esse accidentali: ergo implicat quod existentia substantiæ sit accidens. Maior est certa, quia esse accidentale est solum esse secundum quid; ergo implicat quod substantia habeat esse simpliciter ab esse accidentali. Minor autem est certa, quia substantia habet esse per suam existentiam & per suum esse: ergo cùm substantia habeat esse simpliciter, si existentia substantiæ sit accidens, substantia habebit esse simpliciter ab accidenti, seu ab esse secundum quid, & accidentali; quod certe euidenter implicat.

Confirmatur. si esse substantiæ esset accidens, sequeretur quod substantia non esset amplius ens simpliciter, sed ens secundum quid; quia potentia denominatur talis per comparationem ad

actum suum, si ergo existentia substantiæ sit accidens, cum substantia comparetur ad eam, sicut potentia ad actum suum, substantia denominabitur ab accidenti, & cùm accidens sit ens solum secundum quid, substantia denominabitur ens secundumquid, & non ens simpliciter: debet ergo necessario asseri, existentiam substantiæ non esse accidens prędicamentale, sed potius quid substantiale; licet enim verum sit quod existentia vt sic, abstrahendo ab existentia substantiæ, vel ab existentia accidentis, non pertineat potius ad prædicamentum substantię, quam ad aliquod prædicamentum accidentium: (nam sicut ens seu essentia in communi, cui per se correspondet existentia vt sic tāquam actus ipsius, non dicit rationem substantiæ vel accidentis, sed abstrahit ab vtroque; ita & existentia vt sic:) tamen sicut ens determinatum per modum entis à se, pertinet ad prædicamentum substantiæ, & determinatum per aliquem modum entis in alio, trahitur ad aliquod ex prædicamentis accidentium; ita existentia respiciens determinatum illum modum entis à se tanquam proprius ipsius actus, trahitur, ad prædicamentum substantiæ, & quatenus respicit modum aliquem specialem entis in alio, determinatur ad aliquod prędicamentum accidentale: & sic licet existentia accidentis sit accidentalis, tamen existentia substantiæ. est substantialis, facitque cum ea compositionem substantialem, non vero accidentalem.

Sed vtrum compositio illa sit compositio ex his, vel compositio cum his, videtur probabilior sententia illa, quæ tenet esse compositionem cum iis, quam quidem adstruunt Nazarius loco supra citat Ledesma de perfect. diuinis qu. 12. ar. 3. pag. 799. Caietanus, & alij, & ratio huius rei est, quia ad compositionem ex his, in aliquo toto asserendam, oportet quod partes ex quibus componitur, habeant in rigore rationem partiū, & nulla ex eis habeat proprie rationem totius, vnde cum essentia non habeat in rigore rationem partis, sed rationem totius essentialis completi, & perfecti in ratione essentiali, non dicetur consequenter facere compositionem ex his, cum existentia, sed potius compositionem cum iis, sed de his videantur ea quæ dicentur infra disp. 8, q. 5. n. 32. & 33.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicitur ex D. Tho. quodlib. 2. qu. 2. art. 1. & alibi sæpius, vbi vocat esse, nomine accidentis. ergo.

11. Respondeo quod S. Tho. est intelligendus de accidenti prædicabili, non de accidenti prędicamentali, vt seipsum ibidem D. Th. explicat, cum propterea vocet esse seu existentiam accidens, quia est extra essentiam rei. consule eundem SS. Doct. quodlib. 12. qu. 5. a. 5.

Obiicitur. illud quod potest abesse ab aliquo, est vere accidens; sed existentia; potest adesse & abesse ab essentia cuiuslibet rei creatæ: ergo esse

esse est accidens respectu cuiuscumque essentiæ creatæ.

Respondeo quod accidens dicitur illud quod potest adesse & abesse à subiecto sine subiecti corruptione; vnde cum existentia non possit abesse ab essentia rei sine corruptione essentiæ, non erit accidens respectu illius.

Respondeo secundo, quod illa definitio est definitio accidentis prædicabilis, non prædicamentalis.

Obiicitur proprium est accidentis inhærere: sed esse inhæret essentiæ, ex D. Tho. qu. 7. de poten. art. 2. ergo.

Respondeo quod D. Tho. accipit inhærere largo modo, pro quacumque informatione, vt patet ex eodem D. Tho. qui formæ substantiali tribuit etiam inhærere, opusc. 37. ca. 1, paulo post medium vbi habet ista verba, *Omnes formæ sequuntur ipsum esse in ordine actuum siue principiorum formalium; sed inhærendo, è contrario est, nam forma per prius inhæret, & per ipsam ipsum esse, & ideo considerando ipsam inhærentiam, esse sequitur formam, &c.* Ex quibus patet quomodo tribuitur à D. Tho. ipsi formæ substantiali inhærere, sicut & existentiæ.

Obiicitur proprium est substantiæ esse perse: sed existentia substantiæ non est per se, sed potius est in alio, cum in essentia tanquam in proprio subiecto recipiatur: ergo.

Respondeo per istud argumentum probari formam substantialem esse accidens, cum sit etiam in alio, Respondeo ergo quod existentia est id, à quo compositum & totum substantiale est per se, tanquam ab actu & consequenter debet in essentia tanquam in potentia recipi, vt possit per modum actus tribuere ei esse per se, & adhoc sufficit quod existentia substantialis sit esse per se vt quo; cum forma non sit suus effectus formalis vt quod, nec denominetur ab eo; albedo enim non est alba, sed est id quo aliquid est album: ergo similiter vt existentia sit id, quo aliquid est per se, non requiritur quod sit per se subsistens vt quod, sed sufficit quod sit talis vt quo.

QVÆSTIO III.

Vtrum existentia substantiæ sit etiam accidentis existentia, ita vt accidens aliam existentiam non habeat, præter existentiam substantiæ.

Resolutio quæstionis.

§. I.

PRima sententia affirmat accidentia non habere existentiam distinctam realiter ab existentia substantiæ. Ita Sotus 1. Phys. quæstio 6. & in hanc dicit Bannesius se aliquando inclinasse 1. p. quæstio. 3. articulo 4. dub, 5. Sed re melius inspecta agnouisse eam esse contra sanctissimum præceptorem.

Secuda sententia est, accidentia habere propriam existentiam, distinctam realiter ab existentia substantiæ. Ita sentiunt communiter Thomistæ, Bannez loco statim citato, Nazarius, Soncinnas 7. M t ph. quæstio. 5. Flandria 7. Metaph. q. 1. art. 5. Caietanus supra cap. 7. de ente & essentia & 1. p. quæst. 28. ar. 2.

Scotus in 4. dist. 12. quæstio. 1. & tandem illi omnes qui tenent existentiam ab essentia actuali non distingui.

12. Probatur ratione duæ potentiæ adæquatæ & inter se realiter distinctæ, exigunt duos actus realiter inter se distinctos: sed essentia substantiæ, & essentia accidentis, sunt duæ potentiæ adæquatæ, & realiter inter se distinctæ: ergo essentia substantiæ, & essentia accidentis exigunt duos actus inter se realiter distinctos: sed illi actus quos essentialiter exigunt & respiciunt sunt existentiæ; quia potentia quam dicit essentia est potentia ad esse: ergo essentia substantiæ & essentia accidentis exigunt essentialiter duas existentias realiter inter se distinctas. Maior est certa, quia potentia est per ordinem ad actum: ergo potentia adæquata, essentialiter & realiter, ab altera distincta, erit per ordinem ad actum realiter distinctum; actus enim est, qui specifice & essentialiter distinguit potentias, & consequenter vbi erunt potentiæ diuersæ, realiter & essentialiter distinctæ inter se, ibi erunt duo actus realiter & essentialiter ab inuicem distincti, qui per se ab huiusmodi potentiis inspicientur. Minor autem est euidens, quia certum est, quod essentia substantiæ & essentia accidentis sunt realiter inter se distinctæ: ergo cum essentia sit potentia ad esse, substantia & accidens dicent duas potentias realiter inter se distinctas, & per consequens duas existentiás realiter inter se distinctas postulabunt.

Confirmatur quia (vt quæst. superiori, ex Arist. 5. Phys. & D. Tho. 1. p. qu. 77. art. 1. dicebamus) potentia & actus ei immediate correspondens, debent esse in eodem genere: ergo existentia correspondens essentiæ accidentis, debet esse in genere accidentis, & per consequens realiter ab existentia substantiæ distingui: quia quæ distinguuntur genere, non possunt non realiter inter se distingui.

Probatur secundo, si accidens existeret per existentiam substantiæ tanquam per existentiam propriam, sequeretur quod accidens non esset amplius accidens, sed substantia: quia substantia non dicitur talis nec ens per se, nisi quia respicit existentiam aliquam, à qua habet existere per se & simpliciter: ergo si accidens respicit eandem existentiam tanquam proprium actum, habebit per eam existere per se: ergo accidens erit substantia, & non accidens.

13. Probatur tertiò sicut se habet materia prima ad formam substantialem quam recipit; ita cæteris paribus se habet essentia ad propriam suam existentiam: sed materia prima recipiendo formam substantialem, limitat eam, redditque eam incommunicabilem cuicumque alteri portioni materiæ, & propterea forma recepta in materia, redditur incapax informandi alteram materiam, de potentia etiã absoluta, vt dicetur infra disp. 8. nu. 47. ergo essentia recipiens propriam existentiam limitat eam, redditque eam incapacem actuandi per modum actus intrinseci alteram essentiam. Maior est certa, quia sicut materia prima comparatur ad formam substantialem tanquam potentia receptiua ad suum actum proprium; ita essentia ad existentiam

ergo videtur esse omnimoda paritas inter essentiam comparatam ad propriam existentiam, & materiam primã comparatam ad formam substantialem. Minor autem est euidens, nam omnis potentia receptiua limitat suum actum, tribuendo ei suam limitationem & incommunicabilitatem; ergo cum materia sit omnino per modum actus cuicumque alteri incommunicabilis, recipiendo formam substantialem tribuet ei illam incommunicabilitatem, reddetque eam incapacem actuandi, seu informandi quamcumque alteram portionem materiæ: ergo similiter essentia recipiendo propriam existentiam limitabit eam, & reddet eam incapacem actuandi quamcumque alteram essentiam per modum actus ipsius intrinseci, & sic existentia quæ dat existere substantiæ, non poterit dare existere accidenti, tanquam actus proprius ipsius.

Quod si dicas ex communi Thomistarum sententia (vt patet ex Bannesio 1. p. art. illo 4. dub. 3. paulo ante responsionem ad argumenta, & dub. 5. ad 3. existentiam substantiæ non solum actuare substãtiam, sed etiam accidens, & propterea accidens non posse existere sine existentia subiecti, & consequenter essentiam non reddere existentiam incapacem actuandi quodcumque aliud.

Respondeo quod licet essentia substantiæ non reddat existentiam propriam incapacem actuandi per modum actus & termini extrinseci quodcumque aliud, reddit tamen eam incapacem actuandi quodcumque aliud per modum actus & termini intrinseci, facientis vnum per se existentiale cum eo, eo modo quo facit cum propria essentia, quam intrinsece terminat: nam sicut quantitas mensurans intrinsece subiectum in quo recipitur, non ita limitatur ab eo, vt non possit extrinsece mensurare aliud subiectum quantitatiuum, sed solum ex tali receptione limitatur ad hoc quod non possit aliud intrinsece mensurare; ita existentia substantiam intrinsece terminans, non ita limitatur ab ea, quod non possit aliud actuare & terminare per modum actus & termini extrinseci; sed solum quod non possit aliud actuare & terminare per modum actus & termini intrinseci, facientis vnum per se cum alio, sicut facit cum propria essentia substantiali.

14. Confirmatur, quia duæ essentiæ vnitæ in eadem existentia, non faciunt vnum per accidens, sed vnum per se, & propterea videmus, quod natura diuina, & natura humana vnitæ in Christo in eadem Verbi diuini existentia non faciunt vnum per accidens, sed vnum per se, (non quidem in ratione essentiæ; quia sunt duæ essentiæ & duæ naturæ, sed in ordine existentiali & subsistentiali:) ergo si accidens conueniret cum substantia in eadem existentia, non faceret vnum per accidens, sed vnum per se cum ea; vnitas enim per se debet principaliter peti ab vltimo actu, & ab vltimo termino intrinsece per se inspecto à potentia essentiæ, & consequenter cum existentia sit vltimus terminus intrinsecus, quem per se potentia cuiuslibet essentiæ respicit, si accidens & substantia conuenirent in eodam illo actu, cùm ille actus sit actus simpliciter, vniret illa simpliciter, faceretque quod

essent vnum per se, & non vnum per accidens.

Confirmatur. si existentia substantiæ esset etiam existentia accidentis, sequeretur quod existentia esset actus quidam infinitus; quia ille actus qui potest quantum est ex se, infinitas actuare potentias, est actus infinitus: at existentia illa substantiæ posset infinitas actuare potentias essentiarum accidentalium, non solum successiuè, sed etiam simul, si possent simul recipi in eadem substantia quam actuat, quia quantum est ex se indifferens esset ad quæcumque accidentia terminanda & actuanda, quæ possunt in tali subiecto recipi, nec posset determinari virtuti eius terminatiuæ, terminus in numero accidentium, quæ possunt ab illo terminari, ergo cùm virtus, cui non potest imponi terminus, sit virtus infinita, existentia substantiæ haberet virtutem infinitam, non solum potentialem & negatiuam, sicut habet materia prima secundum se, & secundum suam entitatem considerata, sed infinitam positiue, & in in genere actus.

15. Probatur quarto argumento Theologico, accidentia panis, quæ remanent in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, habent aliquam existentiam distinctam ab existentia substantiali: ergo accidentia existunt per existentiam distinctam ab existentia substantiali. Consequentia videtur euidens. Probatur antecedens. Si accidentia Eucharistica non habent existentiam distinctam ab existentia substantiali, sed existant per existentiam substantialem, vel illa existentia erit existentia panis, qui fuit conuersus in corpus Christi, vel existentia alterius substantiæ creatæ, quia certum est quod non existunt per existentiam increatam; ergo cum non possint existere sine existentia aliqua, si existunt per existentiam substantialem, vel illa erit existentia panis conuersi; vel existentia alterius substantiæ aut creatæ aut creabilis: at neutrum dici potest; primo enim non potest dici quod existant per existentiam panis conuersi, quia illa mirabilis & ineffabilis conuersio est transsubstantiatio (vt definitur in Concilio Trident. sess. 13. ca. 4.) ergo cum transsubstantiatio definiatur quod sit conuersio totius substantiæ in totam substantiam, vt ibidem declaratur, non debet quicquam substantiale remanere ex substantia conuersa; ergo non debet remanere existentia panis conuersi, quæ est aliquid substantiale; & sic accidentia illa non existent per existentiam panis conuersi.

Quod etiam non possint existere per existantiam alterius substantiæ creatæ, aut creabilis, probatur; quia dato quod existentia substantialis posset dare existere accidentibus, tamen implicat quod vlla existentia substantialis faciat existere, nisi illa accidentia quæ possunt existere, tanquam in subiecto, in illa substantia quam terminat, & cuius est existentia, alias certe si existentia substantiæ posset dare existere indifferenter quibuscumque accidentibus, siue illa possent recipi in substantia quam actuat, siue non; existentia illa esset infinita & illimitata in genere existentiæ, & consequenter actus purissimus & Deus: at implicat quod accidentia illa panis conuersi possint recipi in alia substantia, quam in substantia panis

conuersi; quia cùm accidentia indiuiduentur à subiecto, eo ipso quod illa accidētia Eucharistica reciperentur in alio subiecto, eo ipso amitterent primam indiuiduationem, & reciperent nouam, & sic non essent amplius eadem numero accidentia, sed diuersa: ergo implicat quod huiusmodi accidentia existant per existentiam aliquam substantialem distinctam ab existentia substantiæ panis conuersi ex suppositione quod possent per aliquam existētiam substantialem existere: ergo cum probatum sit illa non posse existere per existentiam panis conuersi, de necessitate existent per existentiam aliquam accidentalem, & consequenter accidentia habebunt distinctam existentiam ab existentia substantiæ.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicitur, si accidentia existerent per aliquam existentiam propriam distinctam ab existentia substantiæ, sequeretur quod accidentia terminata per propriam existentiam, ad existentiam substantiæ vlterius non ordinarentur: atqui hoc est falsum; quia accidentia non possunt existere sine existentia substantiæ illius in qua sunt tamquam in subiecto: ergo. Minor est certa. Maior probatur, quia existentia est vltimus terminus essentiæ: ergo si essentia accidētis habet propriam existentiam, posito quod semel terminetur per eam, non ordinabitur ad aliquam aliam existentiam, per quam vlterius terminetur, aliàs existentia accidentis esset vltimus terminus, & non vltimus terminus.

16. Respōdeo quod de ratione existentiæ est, quod sit vltimus terminus proprius, & intrinsecus essentiæ, per quod non excluditur, quod possit essentia semel terminata propria existentia, rursus aliqua existentia extrinsecę terminari. Licet ergo existentia accidentis terminet vltimo essentiam ipsius per modum vltimi termini, & complementi intrinseci, eiusdem cum essentia generis, non tamen sequitur, quod existentia subiecti non possit eam adhuc terminare, per modum termini extrinseci sustentantis existentiam accidentis, quæ ex nimia debilitate & infirmitate sua, non habet vim tribuendi essentiæ quam terminat., qnod existat, nisi vt est adiuta existentia subiecti, & propterea tribuit solum ei existere non in se, sed in subiecto.

Obiicitur secundò ex Aristotele 7. Metaph. statim in principio, ideo accidens dicitur ens, quia est aliquid entis, substantiæ scilicet: ergo si accidens est aliquid substantiæ, debet participare in eodem esse cum substantia, & sic esse substantiæ, & esse accidentis erit vnum & idem esse.

Respondeo, quod ideo accidens dicitur esse aliquid substantiæ, non quia conueniat in eodem esse cum substantia, sed quia non est propter se, sed propter substantiam, sine qua naturaliter, & secundum cursum ordinarium existere non potest.

Obiicitur tertiò, si accidentia habeant existentiam distinctam ab existentia substantiæ, vel illa erit inhærentia, & inexistentia actualis,

vel aptitudinalis; non actualis, quia accidentia in augustissimo Eucharistiæ Sacramento existunt, & tamen nulli subiecto actu inhærent; & consequẽter inhærẽtia & in existentia actualis, non potest esse existentia eorum: neque etiam aptitudinalis, quia inhærentia aptiudinalis est essentia accidentis, vt probat & ostendit Caietanus cap. 7. de ente & essentia quæst. 26. ergo nullã possunt accidentia habere propriam existentiam & sic existentia eorum erit existentia substantiæ.

17. Respondeo, quod inhærentia, & inexistentia actualis accidentium in subiecto, est existentia eorum connaturalis, licet de potentia absoluta, & per miraculum possit fieri, quod accidentia actu existant, absque eo quod in aliquo subiecto actu existant, sicut accidit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, vbi accidentia quæ ibi sunt, non existunt actu in aliquo subiecto, quamuis tamen habeant, quantum est ex se, illud omne quod requiritur ad hoc vt actu insint & inhæreant, & propterea si actu non inexistunt, hoc est solum ex defectu connotationis subiecti, actionisque cõseruantis ea in subiecto: non ex defectu alicuius requisiti ex parte eorum ad hoc, vt actu subiecto inhæreant. Quod possemus explicare exemplo animæ v.g. S. Petri, quę si actu non informat materiam S. Petri, hoc non est saltem in sententia eorum, qui non admittunt modum vnionis inter materiam & formam ex defectu alicuius requisiti ad informandum, ex parte formæ se tenentis, sed solum ex defectu connotationis subiecti, actionisque habentis vim vniendi illam formam cum propria materia; Ita pariter si accidentia Eucharistica actu non existunt in aliquo subiecto, hoc non est ex defectu alicuius requisiti ex parte accidentium ad hoc vt actu inexistant, sed ex defectu solius subiecti, actionisque vnitiuæ eorum cum subiecto. Respondemus ergo in forma ad argumentum, quod accidentium existentia, est aliqua actualitas, qua accidẽtia quãtum est ex se actu subiecto inhærẽt, quãuis per accidens, & per per miraculum possit fieri ex defectu subiecti, & cõnotationis actionis vnitiuæ, quod actu non hæreant.

Et ad illud quod obiicitur. quod accidentia Eucharistica existunt actu sine inexistentia actuali; distinguo; ex defectu alicuius actualitatis intrinsecæ, requisitæ in genere causæ formalis adhoc vt accidentia actu inexistant, nego; ex defectu connotationis subiecti, & alicuius se tenentis ex parte agentis, actionis scilicet vnitiuæ accidentis cum subiecto, & subiecti cum accidente, concedo.

Si autẽ quæras, in quo consistat, tum essentia, tum existentia accidentium. Respondetur, quod in sententia illa quæ non admittit modum aliquẽ vnionis, mediante quo accidentia inhæreant subiecto, existentia eorum consistit in actualitate quadam qua proxime & immediate quantum est ex se exigunt actu subiecto inhærere; essentia vero eorum, in aliqua actualitate, qua remote, mediate, & radicaliter petunt subiecto inhærere. In sententia vero eorum qui admittunt modum vnionis inter existentiam accidentium & subiectum eorum, existentia eorum consistet in actualitate quadam tribuente eis potentialiteem proximam ad inhærendum, essentia verò in

actualitate tribuente potentialitatem remotam & radicalem ad huiusmodi inhæsionem.

Obiicitur. Illa quæ eadem actione generantur & corrumpuntur, debent conuenire in eodem esse; sed subiectum, & accidentia ipsius eadem actione generantur, & eadem corrumpuntur. Ergo.

Respondeo primo quod omnia accidentia subiecti non generantur semper eadem generatione qua subiectum, sed quia certum est, saltem aliqua eadem generatione produci, sicut sunt proprietates, & alia huiusmodi, ideo. Respondeo secundo, distinguendo maiorem, si illa quæ generantur eadem generatione, per seprimo generentur vel per modum termini totalis, vel per modum saltem partium termini totalis concedo, & hoc modo generantur omnes partes substantiales subiecti, si verò aliqua ex eis generentur per se primo, & alia generentur solum per modum termini secundarij, nego maiorem: vnde cùm accidentia producantur solùm per actionem generatiuam subiecti, vt termini secundarij illius actionis, non est necessarium quod conueniant in eodem esse cum ipso.

QVÆSTIO IV.

Vtrum existentia sit perfectior essentia.

Resolutio quæstionis.

§. I.

SCotus in 4. dist. 1. quæst. 1. docet quod existentia est imperfectissima omnium perfectionum: cuius sententiam sequuntur Soncinas 4. Metaphys. quæst. 13. & Ferrariens. 3. contra Gentes capite 28.

Secunda sententia, quam quibusdam Thomistis suppresso tamen nomine, tribuit Bannez, 1. p. q. 3. a. 4. dub. 3. est, existentiam esse simpliciter & absolute minimam omnium perfectionum, quamuis secundum quid aliàs excedat; quatenus est prima actualitas, per quam cæteræ ponuntur à parte rei.

Tertia sententia magis communiter inter Tomistas recepta, & vera, est, quod existentia est perfectior simpliciter essentia. Ita sentiunt Bannesius 1. p. quæst. 3. a. 4. dub. 3. Nauarrette contr. 14. §. 7. 8. 9. Ledesma. de perfection. diuin. qu. 12. per totam q. & maxime 9. principali & duobus primis, art. vbi fusissime & doctissime hanc sententiam propugnat.

Probatur primò ex D. Th. 1. p. q. 8 art. 1. in Corp. vbi sic ait. *Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet rei, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quæ in re sunt.* Et. q. 7. de pot. art. 2. ad 9. *Hoc quod dico esse est inter omnia perfectissimum, quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia, qualibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc quod per esse ponitur, nam humanitas, vel igneitas potest considerari, vt in potentia materiæ existens, vel in virtute agentis, vel etiam in intellectu, sed per hoc quod habet esse, efficitur actu existens: vnde patet quod hoc quod dico esse, est actualitas omnium actuum, & propter hoc est perfectio omnium perfectionum*, & quæst. 4. 1. p. art. 2.

in corp. omnium autem perfectiones pertinēt ad perfectionem essendi: secundum quod aliquo modo esse habent. & art. 2. ad 3. *dicendum quod ipsum esse est perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia vt actus, nihil enim habet actualitatem nisi inquantum est, vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum.* Vide eumdem SS. Doct. 3. contra Gent. c. 66.

Probatur etiam ex Aristotele 8. Ethic c. 11. vbi ait quod maximum beneficium præstitum nobis à Deo, est quod simus.

Probatur ratione desumpta ex omnibus illis authoritatibus D. Th. essentia comparatur ad existentiam tamquam potentia ad actum simpliciter, quem per se primo respicit: sed actus est perfectior simpliciter, & absolute illa potentia, à qua per se primò respicitur: ergo. Maior est certa, & propterea S. Th. dicit loco vlt. cit. 1. p. quod esse non comparatur ad alia vt recipiens, sed potius vt receptum. Deinde probatur ratione, quia essentia definitur, quod sit potentia ad esse: ergo cùm potentia definiatur per ordinem ad illud, quod habet rationem actus simpliciter respectu sui, quia specificatio rei desumitur per comparationem ad actum, existentia habebit absolute simpliciter rationem actus respectu essentiæ.

Minor autem patet, quia perfectio rei fundatur in actu: ergo inter ea, quæ essentialiter comparabuntur ad inuicem per modum actus & potentiæ, illud quod habebit rationem actus, erit simpliciter & absolute perfectius eo, quod habebit rationem potentiæ.

19. Dices subiectum comparari ad accidentia quæ recipit, tamquam potentiam eorum, & tamen subiectum esse longe perfectius illis.

Respondeo, quod accidentia non comparantur solum ad subiectum, tamquam ad potentiam eorum receptiuam, sed etiam tamquam ad causam finalem, & vt plurimum efficientem seu dimanatiuam, sicut suprà, disp. 1. q. 5. n. 87. declaratum est: existentia vero comparatur solum ad essentiam, sicut actus ad potentiam suam; & consequenter licet subiectum sit simpliciter perfectius accidentibus, essentia tamen simpliciter perfectionis primatum existentiæ cedit.

Deinde potest resp. quod subiectum comparatur solum ad accidentia tamquam ad actus suos secundarios, cum actus ad quem primario ordinatur essentia, sit existantia.

Probatur secundò, illud quod habet rationem finis in productione effectus, debet esse id, quod est perfectius in effectu: ergo cum esse sit terminus, & finis in illa actione, qua effectus producitur, quia intentio agentis sistit in communicatione existentiæ, debet existentia esse id, quod est in effectu perfectius.

Probatur tertio; actus, qui est magis elongatus, & magis remotus ab eo, quod est radix imperfectionis in suo genere, est magis perfectus: ergo cùm existentia magis distet à materia, quæ est radix totius imperfectionis in rebus materialibus, quam forma, quia forma mediat inter materiam & existentiam, cum forma sit materiæ ratio recipiendi existentiam, existentia erit & essentia, & forma perfectior.

Confirmatur, quia existentia est talis.

talis actus, vt intra genus illius essentiæ, quam terminat & actuat, non sit amplius receptiua vlterioris actus, à quo perficiatur, cum sit vltimus terminus, in quo vltimo essentia rei conquiescit: ergo cùm origo imperfectionis, & limitationis in aliquo genere seu prædicamento, sit potentia passiua & receptiua illius generis, & origo perfectionis, è conuerso, sit actus eiusdem generis seu prædicamenti, existẽtia erit longe perfectior quácumq; essentia creata, quia omnis essentia creata, cuiuscumque generis sit, siue illa sit rerum materialium siue immaterialium, est intrinsece, essẽtialiter, & intra genus suum potentia ad esse, vbi existentia non est intrinsece potentia intra genus essentiæ quam terminat, licet ex eo, quod recipiatur per modum formæ in essentia, limitetur, & determinetur perfectio ipsius ab ea.

20. Et si dicas existentiam esse accidentium susceptiuam, & consequenter non esse potentialitatis receptiuæ expertem.

Respondeo, quod non ita extollimus existentiã, vt ab ea excludamus quamcumque rationem potentialitatis, aliàs existentia esset actus purissimus. Fatemur igitur, eo ipso quod existentia pendeat in genere causæ materialis ab essentia in qua recipitur, debere ab essentia aliquam rationem potentialitatis necessario participare, quia cum effectus participet semper de imperfectione & limitatione suæ causæ, & existẽtia educatur ab essentia tamquam à causa materiali, & sui receptiua, debet necessario aliquid potentialitatis eius participare: ergo cum non participet potentialitatem illam in ordine ad receptionem alicuius actus vlterioris, qui sit intra genus essentiæ, quam actuat (cum existentia sit vltimus actus illius generis) debet illam participare in ordine ad receptionem accidentium. Sed quamuis hæc potentialitas in existentia admittatur, non tamen propterea inferendus est aliquis excessus perfectionis, vel essentiæ, vel accidentium supra existentiam: non primum, quia essentia est etiam accidẽtium receptiua, cùm essentia faciat, cum existentia potentiam adæquate receptiuam accidentium; nec etiam secundum, quia accidentia non recipiuntur in supposito, vt simpliciter, sed solum, vt secundũ quid illud perficiant, & vt ab eo simpliciter perficiantur; neque enim respiciunt ipsum tamquam potentiam pure receptiuam; cui esse communicent, sicut facit forma substantialis, quando materia se communicat, cùm suppositum habeat esse simpliciter, antequam accidentia adueniant, sed respiciunt ipsum eiusque existentiam, tamquam actum extrinsecum per quem firmatur, & stabilitur existentia eorum, & sine quo non possent connaturaliter à parte rei permanere.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur. quod conuenit alicui per se primò perfectius est, quam illud, quod conuenit solum contingenter: ergo cùm essentia conueniat rei per se primò, existentia verò contingenter, essentia erit perfectior, quam existentia.

Respondeo maiorem esse absolute falsã, si intelligatur de eo omni quod contingenter conuenit, nam gratia contingenter conuenit nobis, & ta-

men est simpliciter perfectior nobis, cum sit ordinis supernaturalis.

21. Respōdeo distinguēdo anteced. si illud quod contingenter conuenit, sit accidens prædicamentale, transeat. Si verò illud quod contingenter conuenit, sit actus vltimus intrinsece actuans, & terminans omnia prædicata essentialia rei, sicut est existentia, nego.

Respondeo secundò, quod licet existentia sit accidens prædicabile respectu essentiæ, tamen respectu suppositi non est accidens prædicabile, si existentia consideretur in actu signato, & non in actu exercito, quia vt disp. 8. q. 3. & 4. declarabitur; existentia secundum istam considerationem, est cōstitutiua suppositi, & consequenter licet accidentaliter de essentia, præcisa à supposito prædicetur ad modum, quo, quidquid est extra essentiam alicuius essētię; dicitur de ea accidentaliter prędicari, tamen per se primò prędicatur de supposito secundū prædictam cōsiderationem.

Obiicitur: Petrus existens magis excedit in perfectione equum existentem, quam Petrus existens Paulum non existentē: sed illud per quod Petrus existēs excedit in perfectione equum existentem, est sola essentia, quia ambo conueniunt in existentia, cùm ambo supponātur existentes, & illud per quod Petrus existens differt à Paulo non exīstēte, est sola existentia, cum in essentia conueniant; ergo Petrus per essentiam magis excedit in perfectione equum existentem, quam per existentiam Paulum non existentem; sed illud quod est ratio & causa maioris excessus in perfectione, est perfectius, quā sit illud, quod est causa minoris excessus: ergo essentia est perfectior existentiā.

22. Respondeo, quod inter Petrum existentē à parte rei, & Paulū nō existentē, est distātia veluti infinita, quia Paulus non existens à parte rei est nihil absolute, si cōsideretur vt est in se, & consequenter Petrus existens magis excedit in perfectione Paulū nō existentem, quam equum existētem, quia equus existēs habet aliquā perfectionē positiuā, & actualē in seipso, vbi Paulus non existens, nihil habet actualitatis & perfectionis in seipso. Et ad illud quod obiicitur Paulū nō existentē cōuenire cū Petro in essentia: Resp. quod conuenit solū cū Petro in essētia negatiue, seu per aliquā non repugnantiam, non autem per aliquid positiuum; vnde cum negatiua illa conuenientia non extrahat Paulum non existentem extra nihil, Paulus cōsequēter minus perfectionis in se continebit, quam equus existens: ex quo sequitur, quod vel minima creatura cum existentia, est perfectior quacumque alia non existente, quia hæc vltima absolute nihil est in se, quamdiu à parte rei non existit.

Obiicitur. illud secundum quod magis assimilamur Deo, est illud quod est perfectius: at magis assimilamur Deo secundum gradus essentiales, quam secundum existentiam; neque enim dicimur esse facti ad imaginem Dei secundum existentiam, (alioquin omnes creaturæ existentes dicerentur ad imaginem Dei conditæ,) sed secundum gradum intellectualitatis, qui est nobis essentialis: ergo gradus intellectualitatis erit perfectior in nobis existentia, & sic essentia erit perfectior existentia.

Respondeo cum Nauarretta controu. 14. §. 8. & ex Bannesio dub. cit. in ratione ad 3. quod quando

dicimur ad imaginem Dei conditi secundum gradum intellectualitatis, non debet sumi gradus intellectualitatis, prout præscindit ab existentia, sed secundum quod includit existentiã; cum enim esse per essentiam, seu esse subsistens, sit essentia & ratio constitutiua Dei, vt prædicti authores referunt, magis consequenter assimilamur Deo per existentiam, quam per quemcumque gradum essententialem ab ea præscindẽtem.

Vnde ad id quod obiicitur in argumento, quod aliæ creaturæ quæ non sunt intellectuales existunt, & quod tamen non dicuntur ad imaginem Dei conditæ.

23. Respond. eas, ideo non dici ad imaginẽ Dei conditas, quia non existunt per existentiã aliquam, quæ faciat formas per quas essentialiter cõstituuntur, existere modo diuino, hoc est, modo subsistenti seu immateriali, & independẽti à materia; & quia existẽtia formarũ spiritualiũ tribuit hoc eis, ideo creaturæ quarum formæ istę sunt constitutiuæ, dicũt esse factæ ad imaginem Dei; etenim requiritur ad imaginẽ substantialem Dei, non solũ quod illa assimiletur Deo in esse diuino, sed etiã in modo essendi ipsius, & quia de ratione formæ diuinæ est quod existat, & non solum hoc, sed etiã quod existat tãquam forma subsistens, & independens omnino à materia in suo esse, ideo debet imago ipsius habere, non quamcumque existentiam; sed existentiam, quæ tribuat formæ suæ existere modo subsistenti, & independenti à materia.

Obiicitur. illa forma, quæ plures requirit dispositiones ad sui receptionẽ, est simpliciter & absolute perfectior: sed forma substantialis, plures ad sui receptionem requirit dispositiones quam esse, quia ex D. Tho. 2. p. q. 76. art. 6. esse nullas ad sui receptionem requirit dispositiones: ergo.

Respondeo primò, quod quando S. Th. dicit, esse nullas ad sui receptionem prærequirere dispositiones, non loquitur de esse existentiæ, sed de esse prout dicit primum gradum entis, secundum quem gradum forma nullas requirit dispositiones in subiecto ad sui receptionem.

Respondeo secundò, quod sicut forma nullas supponit dispositiones secundum quod dat subiecto primum gradum entis, ita existentia nullas supponit dispositiones in subiecto, secundum quod actuat illud, secundum primum illum gradum; sed sicut forma supponit dispositiones ad alios gradus, vt videre est apud S. Doctorem loco citato, & apud Complt. N. in lib. de generat. disp. 2. q. 8. §. 5. Ita similiter & existentia quatenus terminat formam secundum prædictos gradus, cùm existentia non ponat in numero quo ad hoc cum forma.

Possemus addere cum Nauarretta, quod licet existentia non supponat in materia dispositiones aliquas accidentales, vt in ea recipiatur, supponit tamen formã substantialem, sine qua nunquam posset recipi in ea. Si vis videre alias solutiones lege Ledesm. de perfect. diuin. quæst. 12. art 5. vbi expressam de hac re facit quæstionem.

DISPVTATIO VII.

DE EXISTENTIA COMparata ad ſuas cauſas.

CONSIDERAVIMVS exiſtentiam præcedenti diſputatione per reſpectum ad eſſentiam, quæ eſt compars ipſius; iuuat iam conſiderare eam ſecundum dependentiam quam habet à cauſis, à quibus producitur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM POSSIT DICI ABSOLVTE, QVOD CAVSA ſecunda det eſſe effectui ſuo per modum cauſæ principalis.

§. I. *Reſolutio quæſtionis.*

1. SVPPONIMUS ad intelligentiam quæſtionis, non eſſe hîc ſermonem, vtrum cauſa ſecunda producat principaliter exiſtentiæ creatæ entitatem, huius enim difficultatis examen in quæſtionem ſequentem remittimus: ſed (ſiue exiſtentiæ creatæ entitas producatur à cauſa ſecunda principaliter ſiue non) quæſtio eſt, vtrum poſſit abſolute dici & concedi, quod cauſa ſecunda producendo effectum ſuum det illi eſſe.

Ab hac quæſtione breuiter nos expediemus, nulli enim ſunt (quos ſaltem legerim) etiam eorum, qui tenent quod creatura nequidem inſtrumentaliter producit exiſtentiæ entitatem, ſicut eſt Bannesius, qui affirmatiuam non ſequantur. Vnde ſit

Concluſio prima: cauſæ particulares cauſant effectiue determinationem exiſtentiæ. In hac concluſione conueniunt omnes Thomiſtæ, etiam ipſe Bannesius.

Probatur ratione, quia vt cauſa

particularis dicatur prædicto modo causare efficienter determinationem existentiæ, non est necesse quod producat entitatem ipsius, sed sufficit quod producat illud, quod est existentiæ limitatiuum atque determinatiuum: atqui causa particularis hoc præstat. Et probatur: quia limitatiuum & determinatiuum existentiæ creatæ est essentia creata, in qua recipitur, cum quælibet forma limitetur, determinetur, & indiuiduetur per proprium subiectum in quo recipitur: ergo cum causa particularis attingat (secundum omnes) essentiam indiuidualem effectus sui, attinget etiam determinationem, indiuiduationem, & limitationem existentiæ ipsius.

Conclusio secunda: causæ particulares dant absolute & simpliciter esse effectibus suis. In hac conclusione conueniunt adhuc omnes Thomistæ.

Probatur ex D. Tho. 3. contra Gent. cap. 66. ratione 2. vbi hæc habet, *Cum igitur esse sit communis effectus omnium agentium, nam omne agens facit esse actu*. & ratione 4. concludit. *Igitur esse est quod agentia secunda agunt in virtute Dei.* & cap. 67. in principio, *omne enim operans est aliquo modo causa essendi*. quæst. 7. de pot. art. 2. *Omnes autem causæ creatæ communicant in vno effectu qui est esse*. 2. contra Gent. ca. 6. ratione 3. *Omne igitur ens actu natum est agere aliquid actu existens*; Similia passim repories apud D. Tho. & propterea inutile esset huc ea adducere; ad rationes accedamus.

2. Ad hoc vt causa creata & particularis dicatur dare esse simpliciter suo effectui, sufficit quod vniat & coniungat essentiam effectus sui cum ipsius existentia: at licet detur quod causa creata non producat existentiam effectus sui, tamen non potest dubitari quin eam coniungat cum essentia ipsius: ergo. Maior est certa, quia licet homo non producat animam rationalem, tamen dicitur simpliciter & absolute alterum hominem indiuiduum generare, quia animam eius rationalem per creationem à Deo productam cum materia ex vi actionis suæ disposita coniungit: ergo licet detur quod causa creata & particularis, non producat entitatem existentiæ creatæ, modo eam cum essentia vniat atque coniungat, poterit dici simpliciter causare rem existentem, & communicare illi esse seu existere: quod autem omnis causa creata habeat vim vniendi existentiam cum essentia effectus sui, & quod de facto talem vnionem præstet, probatur; quia, quælibet causa creata vnit effectum suum cum termino quem intendit in generatione, quia eo vsque se extendit in executione virtus actiua agentis, quo se extendit eius intentio; alias natura deficeret in necessarijs, dirigendo intentionem virtutis actiuæ ad aliquid, ad quod tamen, vt actiua actionem suam perducere non posset: ergo cum in generatione intentio cuiuslibet causæ creatæ sit perducere effectum suum vsque ad esse, quia id quod quælibet causa intendit in agendo, est dare esse effectui suo, causa creata coniunget essentiam effectus sui cum esse & existentia ipsius.

Confirmatur, quia quando natura dirigit intentionem rei in aliquem finem, dirigit eam tribuendo ei media necessaria ad consecutionem talis finis, modo tamen conformi &

proportionato naturæ talis rei: ergo dirigendo intentionem virtutis actiuæ agentis ad dandum esse effectui, tribuet etiam ei vim communicãdi esse effectui suo per modum virtutis actiuæ, hoc est modo actiuo, seu per suam actionem.

Probatur tertiò quotiescumque causa attingit effectum proprium, quatenus ille vnitus est cum effectu alterius causæ, dicitur etiam simpliciter attingere effectum alterius causæ; & propterea dicitur quod sol & equus generant equum, licet in generatione equi, ratio viuentis non producatur à sole, sed ratio solum corporis, quia sol gradum corporis separatum à gradibus particularibus existentem non attingit, sed potius quatenus vnitus est cum illis: sed causa particularis non potest attingere essentiam, quæ sibi tanquam effectus proprius correspondet, nisi quatenus vnitur cum existentia; neque enim essentiam separatam ab esse potest attingere, cum essentia non possit esse à parte rei sine existentia; ergo causa particularis dicetur non solum essentiam, sed etiam esse attingere, & sic poterit absolute & simpliciter dici quod communicat esse suo effectui.

3. Probatur tertiò, actiones sunt suppositorum; ergo cùm agens attingat effectum sibi similem, terminus actionis causæ creatæ erit etiam suppositum: at suppositum creatum vt Deo dante disputatio seq. per totam & maxime quæstio. 3. 4. 5. declarabitur, constituitur ex natura indiuiduali substantiæ & ex existentia ipsius quatenus sunt vnitæ ad inuicem, taliter quod vltima ratio constitutiua suppositi creati per modum differentiæ intrinsecæ, sit existentia substantialis & indiuidua, vnita cum natura indiuiduali substantiæ: ergo terminus actionis creatæ erit compositum ex esse & essentia: ergo agens creatum ex vi actionis suæ communicabit esse effectui suo.

Confirmatur in omnium Thomistarum (quos viderim) sententia, existentia non est solum agenti conditio ad agendum, sed vltimum est complementum quo vltimate constituitur agens in ratione agentis: ergo non solum agens creatum assimilabit sibi effectum suum in forma specifica, sed etiam in existentia. Antecedens est certum, & ostendunt illud Masius libro secundo Physic. capite 3. sectio. tertia quæst. 8. Ledesma de perfectionib. diuinis quæstio. 10. articulo primo conclusione 1. in quinta probatione conclus. & art. 2. ad 2. Nauarrette contro. 14. §. 3. in responsione ad 2. confirmationem argumento 2. Imò & ipsemet Bannesius 1. p. supra articulo 4. quæstio. 3. dubio 4. ad 4. asserit falli & decipi eos qui dicunt existentiam esse solum agenti conditionem ad agendum, quoniam inquit (sunt verba illius) existentia causæ particularis est prima actualitas omnis formæ agentis, & quasi fundamentum omnis actiuitatis formæ: quod si Bannes. hoc sentit de existentia, ille qui nequidem vult admittere in creatura vim instrumentaliter producendi existentiam, multomagis id sentient Caietanus Ferrar. Nazarius, & alij qui sentiunt creaturam per modum causæ principalis producere existentiam, vt est hæc & particularis: & ratio huius doctrinæ videtur esse

omnino aperta & euidens, quia qualiter se habet aliquid ad esse, taliter & ad operari, cùm vnumquodque agat inquantum habet esse: ergo cum vltimum complementum agentis in ordine essendi sit existentia (quia existentia est id per quod simpliciter res dicitur esse) erit etiam vltimum complementum agentis in ordine operandi, & sic sicut agens vniuocum habet per formam vim assimilandi sibi effectum in forma, ita per existentiam habebit vim assimilandi eum sibi in existentia.

Nullæ proponuntur obiectiones, quia si quæ sint quæ possint proponi in contrarium, ex dicendis infra soluentur.

QVÆSTIO II.

Vtrum causa secunda producat per modum causæ principalis existentiam effectus sui.

§. I.

In quo ostenditur probabilius esse quod causa secunda non producit entitatem existentiæ per modum causæ principalis, & in virtute propria, licet contrarium sit etiam in schola D. Tho. probabile.

4. ADuertendum est primo difficultatem non procedere de existentia rerum spiritualium & incorruptibilium, sicut sunt Angeli & animæ rationales, sicut enim illæ creaturæ per creationem soli Deo conuenientem producuntur: ita certum est & existentias earum à solo Deo produci posse. Difficultas ergo procedit de existentia rerum pure materialium, vtrum scilicet possit à causa secunda secundum entitatem suam tanquam à causa principali produci.

Notandum est secundo, quod licet omnes Thomistæ conueniant in hoc, quod causa secunda & particularis non sit causa essendi in virtute propria, sed in virtute Dei, (cum hoc apud D. Tho. passim reperiatur) tamen quisnam sit D. Tho. in his verbis sensus, non omnes conueniunt: alij enim dicunt vt Caietanus 1. p. quæstio. 8. articulo primo Ferrariensis 2. contra Gent. capite 21. quod per illa verba vult solum S. Tho. existentiam esse effectum per se primo à solo Deo pendentem, licet per hoc non excludatur, quod creaturæ illud etiam producant per modum causarum secundarum: Alij dicunt sensum illorum verborum esse, quod obiectum adæquatum potentiæ Dei est existentia, cũ solus Deus sit causa cuiuscumque participãtis esse, quod nulli creaturæ conuenit: alij vero dicunt sensum D. Tho. esse, quod existentia vt sic à solo Deo principaliter producitur, licet quatenus limitata & determinata producatur etiam tanquam à causa principali à causa secunda: alij tandem sunt ita rigidi, vt ne quidem velint causam secundã concurrere per modum causæ instrumentalis ad productionem entitatis existentiæ vt §. seq. videbitur.

Nostra vero sententia est, licet sit probabile causam secundam per modum causæ principalis concurrere ad productionem entitatis existentiæ, quatenus limitatæ & determinatæ, (sicut tertius

modus explicandi D. Tho. declarabat, probabilius tamen esse eam non concurrere ad productionem talis entitatis, & ita quando S. Tho. dicit causam secundam producere existentiam in virtute causæ primæ, non solum intelligendum est de existentia considerata secundum rationem existentiæ vt sic, sed etiam de existentia secundum quod est limitata & determinata.

5. Prima pars huius assertionis patebit ex argumentis quæ fient contra secundam illius partem.

Secunda autem pars, quæ est Flandriæ 4. Metaph. quæst. 3. ar. 6. & quæ magis communiter inter Thomistas tenetur tanquam menti sanctissimi Præceptoris conformior, probatur ex ipsis & solis illius tum verbis tum rationibus, & primo quidem de pot. qu. 3. art. 1. in corp. hæc habet. *Nulla res dat esse nisi inquantum est in ea participatio diuinæ virtutis, propter quod etiam dicitur in lib. de causis, quod anima nobilis habet operationem diuinam inquantum dat esse.* Et ar. 7. in corp. *In qualibet autem re naturali, inuenimus quod est ens, & quod est res naturalis, & quod est talis vel talis naturæ, quorum primum commune est omnibus entibus, secundum omnibus rebus naturalibus, tertium commune est in vna specie, & quartum, si addamus accidentia, est proprium huic indiuiduo: hoc igitur indiuiduum agendo nõ potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, & vlterius totum esse naturæ inferioris, & propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse, nisi per virtutem Dei: ipsum enim esse est communissimus effectus primus & intimior omnibus aliis effectibus, & ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus: vnde vt dicitur in lib. de causis propos. 9. intelligentia non dat esse, nisi prout est in illo virtus diuina: sic igitur Deus est causa omnis actionis prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis.* Et art. 8. eiusd. quæst. ad 19. *Esse per creationem fieri dicitur, inquantum omnis causa secunda dans esse, hoc habet inquantum agit virtute primæ causæ creantis.* Idem dicit qu. 5. de veritate art. 9. ad 7. de pot. q. 7. art. 2. & 3. cont. Gent. cap. 66. vbi hanc veritatem sex rationibus probat, ex quibus quinque adducuntur ad verbum ex eo depromptæ.

6. Prima ratio est, quia quando aliqua agentia diuersa sub vno agente ordinantur, necesse est quod effectus qui ab eis communiter fit, sit eorum, secundum quod vniuntur in participando motum & virtutẽ illius agentis, non enim plura faciunt vnum, nisi inquantum vnum sunt, sicut patet quod omnes qui in exercitu sunt, operantur ad victoriam causandam, quam causant secundum quod sunt sub ordinatione ducis, cuius proprius effectus, victoria est: Cũ igitur esse sit communis effectus omnium agentium, nam omne agens facit esse actu, oportet quod hunc effectum producant, inquantum ordinantur sub primo agente, & agunt in virtute ipsius: sed illud quod agit in virtute alterius, & non in virtute propria, non agit per modum causæ principalis: ergo causæ secundæ non producent entitatem existentiæ per modum causæ principalis.

Secunda, in omnibus causis agentibus ordinatis, quod est vltimum in generatione, & primum in intẽtione, est,

est, proprius effectus primi agentis; sicut forma domus quæ est proprius effectus ædificatoris, posterius prouenit, quam præparatio cæmenti, lapidum, & lignorum quæ fiunt per artifices inferiores, qui subsunt ædificatori: in omni autem actione, esse in actu est principaliter intentum, & vltimum in generatione, nam eo habito quiescit agentis actio & motus patientis; est igitur esse proprius effectus primi agentis scilicet Dei, & omnia quæ dant esse, hoc habent inquantum agunt in virtute Dei.

Tertia. vltimum in bonitate & perfectione inter ea, in quæ potest agens secundum, est illud in quod potest ex virtute agentis primi, nam complementum virtutis agentis secundi, est ex virtute agentis primi: quod autem est in omnibus agentibus perfectissimum, est esse, quælibet enim natura vel forma perficitur per hoc quod est actu, & comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad ipsum actum; igitur esse est quod agentia secunda agunt in virtute primi agentis.

Quarta. Secundum ordinem causarum est ordo effectuum, primum autem in omnibus effectibus est esse, nam alia omnia sunt determinationes ipsius: igitur esse est proprius effectus primi agentis, & omnia alia agunt ipsum, inquantum agunt in virtute primi agentis, secunda autem agentia quæ sunt velut particulantes & determinantes actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones quæ determinant esse.

Confirmatur ex eodem S. Tho. q. 3. de potentia articulo 4. in corp. vbi eandem affert rationem his verbis, impossibile est autem, quod causa secunda ex propria virtute sit principium esse inquantum huiusmodi, hoc enim est proprium causæ primæ, nam ordo effectuum est secundum ordinem causarum, primus autem effectus est ipsum esse, quia omnibus aliis effectibus præsupponitur, & ipsum non præsupponit aliquem alium effectum (intellige ordine perfectionis, vt ipse seipsum opusc. 57. cap. 1. versus medium explicat,) & ideo oportet quod dare esse inquantum huiusmodi, sit effectus primæ causæ solius secundum propriam virtutem, & quæcumque alia causa dat esse, hoc habet inquantum est in ea virtus & operatio primæ causæ, & non per propriam virtutem, sicut & instrumentum efficit instrumentalem actionem, non per virtutem propriæ naturæ, sed per virtutem mouentis, sicut calor naturalis per virtutem animæ generat carnem viuam, per virtutem autem propriæ naturæ calefacit & dissoluit.

7. Quinta. Quod est per essentiam tale, est causa propria eius quod est tale per participationem, sicut ignis est causa omnium ignitorum, Deus autem solus est ens, seu esse, vel existere per essentiam, omnia autem alia sunt entia per participationem; nam in solo Deo esse est sua essentia, esse igitur cuiuslibet existentis est proprius effectus ipsius, ita quod illud, quod producit aliquid in esse, hoc facit in quantum agit in virtute Dei: hinc est quod dicitur Sapient. primo. creauit Deus vt essent omnia. & in pluribus Sacræ Scripturæ locis dicitur, quod Deus omnia facit, & in lib. de causis dicitur quod nec intelligentia dat esse, nisi inquantum est

diuina, & inquantum agit in virtute diuina. Hæc omnia de verbo ad verbum D. Tho. ex quibus sic potest elici argumentum.

Illud quod agit in virtute alterius, & non in virtute propria, non agit per modum causæ principalis: sed ex omnibus prædictis D. Thomæ demonstrationibus, causa secunda non producit entitatem existentiæ in virtute propria, sed in virtute Dei, qui est ipsum esse, seu existere per essentiam: ergo. Maior est certa, quia definitur causa principalis, quod sit ea quæ agit in virtute propria. Minor autem est demonstrata ex D. Th. & consequenter totum argumentum est euidens.

Confirmatur. quia si entitas existentiæ produceretur à causa secunda tanquam à causa principali, deberet dari in creatura potentia operatiua, quæ dimanaret à substantiæ existentia, quia cum substantia non sit immediate operatiua, & existentia substantiæ sit substantialis, vt ostensum est qu. 2. huius disp. deberet necessario dimanare ex se aliquam potentiam actiuam, media qua ordinaretur ad productionem existentiæ: ergo cum non detur talis potentia in creatura, vt patet, nulla creatura producet per modum causæ principalis entitatem existentiæ.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicies tamen contra, sicut actiones sunt suppositorum, ita & ad supposita terminantur: ergo cum esse substantiale quatenus vnitum naturæ substantiali indiuiduæ, constituat suppositum, vt disp. seq. q. 3. & 4. ostendetur, per quamcumque actionem creatam producetur suppositum.

8. Respondeo quod sicut adhoc quod homo dicatur generare hominem, non est necesse quod producat animam rationalem, sed suffi.it quod vniat animam cum corpore, & quod producat dispositionem ad talem vnionem, & sicut in generatione accidentali, vt actio dicatur terminari ad suppositum, (neque enim dicitur fieri albedo sed album,) non est necesse quod producatur suppositalitas, sed sufficit quod producatur forma accidentalis vniendo illam cum supposito: ita, vt suppositum dicatur aliud suppositum causare in generatione substantiali, sufficit quod producat formam substantialem in materia, illasque partes simul vnitas rursus cum existentia coniungat; imo de fide est quod Beatissima Virgo sit Mater Christi, licet illa nec suppositalitatem Christi produxerit, nec actiue ad eius vnionem cum humanitate concurrerit, sed solum ex eo quod subministrauerit materiam ad illam ineffabilem vnionem, vt videre est apud S. Tho. 3. p. quæstio. 31. articulo 5. & quæstio. 34. articulo 4. & quæstio. 33. articulo 3. quare ergo patet euidenter, vt suppositum aliud suppositum dicatur causare, sufficere quod essentiam substantialem producat, vniendo eam cum existentia substantiali; quamuis de facto entitatem existentiæ non producat.

Obiicitur. vnumquodque agit &

producit formam similem ei per quam est in actu, cum vnumquodque agat inquantum est in actu: ergo cum quælibet res sit maxime in actu per existentiam, quia existentia est omnium actuum actus perfectissimus, quælibet res producet per existentiam propriam, existentiam effectus sui.

Respondeo vnumquodque agere inquantum est in actu, vel producendo formam similem ei per quam est in actu, vel eam vniendo; nec primum absolute est necessarium, sed secundum sufficit, vt patet in homine, qui licet sit in actu per animam rationalem, tamen non producit eam, sed eam solum vnit materiæ; licet ergo quælibet res sit maxime in actu per existentiam suam; quia tamen existentia conuenit solum creaturæ per participationem, propterea sufficit quod possit vnire existentiam effectus sui cum essentia ipsius, licet entitatem eius non producat.

9. Respondeo secundo, quod sicut quælibet res completur in ordine entis per existentiam, & per eam à parte rei, & in actu exercito ponitur; ita per eam completur in esse principij actu operatiui, quia cum forma substantialis, per quam tanquam per principium radicale quo quælibet res procedit ad operationem, ordinet effectum quem producit ad esse tanquam ad finem, & ex D. Tho. de potent. quæstio. 7. articulo 2. ad 10. & 1. 2. quæstio. 109. articulo 6. qualis sit ordo finium, talis sit & agentium, oportet quod sicut ordinat, & inclinat essentiam effectus sui ad esse tanquam ad finem, ita habeat vim ordinandi effectum suum ad esse ex vi propriæ existentiæ; cum enim ordinari ad aliquam formam, dicat participationem veluti illius formæ, debet necessario talis ordinatio fieri primario ex alia forma quæ sit ei similis, vel quæ virtute eam contineat: quia tamen existentia non præstat suum influxum immediate in operationem, sed mediante forma substantiali; ideo limitatur influxus eius productiuus, vt per formam substantialem productiue solum attingat id, quod potest per formam substantialem produci, vnde cum forma substantialis non habeat vim existentiæ productiuam, quia illam non continet in actu, cum sit solum potentia ad eam, propterea non potest existentia per eam, aliam existentiam producere; quia tamen forma substantialis est actu vnita cum existentia, ideo habet ex tali vnione vim & virtutem subiiciendi & substernendi essentiam effectus sui existentiæ ipsamque cum ea coniungendi.

Ex his potest in forma responderi ad argumentum maiorem distinguendo, si enim illud per quod aliquid est in actu, sit forma specifica & materialis, concedo, quod per illam potest produci forma eiusdem rationis & speciei. Si autem illa forma per quam est in actu, sit forma suppositalis & completiua formæ specificæ, nego quod possit per eam produci alia forma eiusdem speciei atque rationis, quia actiones non sunt suppositorum nisi mediante forma specifica, & consequenter influxus formæ suppositalis limitatur ab ea iuxta doctrinam statim traditam.

Obiicitur ex Diuo Thoma prima parte quæstio. 104. articulo 2. in corpore quod cæli conseruant

directe esse: ergo producunt etiam illud directe.

Respondeo ex eodem S. Tho. articulo primo eiusdem quæst. ad secundū, quod solum conseruant illud supposito influxu diuino, & in virtute illius.

Respondeo secundo, quod ad hoc vt illud conseruent, sufficit quod conseruent vnionem illius cum essentia; quod quidem præstant conseruando dispositiones ad huiusmodi vnionem.

Obiicitur, illud quod producit aliquam formam, producit & effectum eius formalem: sed existentia est effectus formalis formæ, ergo illud quod producit formam producit & existentiam.

Respondeo primo, vt q. quarta sequenti, cōclus. prima videbitur, quod existentia non pendet à forma taliter quod forma exerceat ratione causæ formalis respectu existentię, sed dato quod hæc sententia esset vera.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem, si effectus talis formæ, sit effectus eius formalis primarius, & intrinsecus, concedo maiorem. Si autem non sit effectus eius intrinsecus & primarius, sed sit solum effectus eius extrinsecus, & adhuc non secundùm adæquatam eius rationē consideratus, sed solum secundum limitationem & determinationem consideratus quam dicit, nego maiorem; vnde cum existentia dicatur solum in ea sentent. effectus extrinsecus formæ, & adhuc non absolute & simpliciter, sed solum secundum limitationem & determinationem quam dicit ad talem speciem, talemque indiuiduationem, existentia enim simpliciter & absolute est forma perfectior, inde fit non sequi, quod virtus potens producere formam, possit & existentiam producere.

Respondeo tertio si effectus formæ perficiatur simpliciter per reductionem ad formam, concedo, si autem illud quod dicitur effectus formæ imperficiatur & limitetur per reductionem ad formam, nego maiorem; & sic cum existentia potius imperficiatur & limitetur per reductionem ad formam, quam ab ea perficiatur, non sequitur, quod virtus producens formam, possit & existentiam productiue attingere: quia tamen non caret probabilitate in schola etiam D. Tho. quod existentię entitas producatur secundum suam limitationem à causa secunda, ideo argumentis §. primo factis satisfaciamus, inquantum prædicta argumenta possunt hanc impugnare sententiam.

Soluuntur argumenta sententiæ primo proposita & probata.

§. III.

11. RESpondeo ad argumentum deductum ex rationibus D. Th. 3. contra Gent. c. 66. quod quælibet creatura attingit quidem esse vt sic in virtute solius Dei, sed esse tale, determinatum & hypostaticum attingit, & producit in virtute propria, licet verum sit, quod adhoc vt producat entitatem existentiæ secūdum illam limitationem, requirat adhuc compleri & vltimo perfici per virtutē Dei, tanquam per id, cui conuenit primo & radicaliter existere per essentiā, ad eū modū quo illa quæ sūt

naturaliter calida, in virtute propria calefaciunt, licet dicantur in virtute sua calefactiua compleri à virtute ignis, & in virtute illius calefacere, quia ignis est illud cui per se primò & radicaliter calor conuenit, & propterà quæcumque alia calefaciant, calefaciunt semper per subordinationem ad illum. Et hæc solutio videtur fundata in quarta ratione D. Thomæ parag. primo allata, & in eius confirmatio. Vbi D. Thomas negat solum, quod causa secunda possit in virtute propria producere esse vt sic, non vero esse tale.

Ad confirmat. autem respondeo, quod potentia actualitatis per quam forma substantialis operatur, est illa eadem per quam existētia etiam operatur; vnde licet illa potentia dimanet ab essentia, tamquam à principio quo dimanatiuo, tamen dimanat etiam à toto existenti, tamquam à principio quod, nec potest vllo modo dimanare ab essentia, antequam compleatur per existentiam atque per eam terminetur: Et ratio huius rei est euidens. Primò, quia implicat quod essentia recipiat esse secundum quid & accidentale, antequam recipiat esse simpliciter. Secundò, quia esse principium dimanatiuum reducitur ad genus causæ efficientis, & consequenter, sicut implicat vllam causam efficientem operari, antequam existat; ita implicat vllum principium dimanatiuum aliquid dimanare, nisi prius existat: sicut ergo potentia dimanat ab essentia tamquā à principio quo ratione formæ; ita dimanat à toto vt existēti tāquam à principio quod ratione existentiæ, per quam in esse talis pincipij constituitur; & sicut essentia influit ratione suæ formæ per modū principij quo, in operationem suam, & in productionem essentiæ sui effectus mediante tali potentia; ita totum vt existens producit tamquam principium quod ratione suæ existentiæ existentiam sui effectus mediante eadem potentia. Et si dicas, quod ex hac sententia sequeretur existentiam esse terminum formalem generationis, quia terminus formalis cuiuscumque actionis est ille, qui formaliter actuat & perficit cætera, quæ sunt in termino illius: ergo cum existentia actuet, & perficiat ea omnia, quæ sunt in effectu producto, existentia esset terminus formalis generationis, & non forma substantialis.

Respondeo primò cum Caietano 1. p. q. 12. art. 5. & Ledesma de perfectionibus diuin. q. 12. art. 6. ad 5. quod in ratione termini actionis, forma substantialis & esse ipsius non ponunt in numero, vnde quando dicitur quod forma substantialis est terminus formalis generationis, hoc intelligitur de forma substantiali quatenus vnita cum esse suo, & cum existentia propria.

Respondeo secundò, quod sicut constitutiuum principij, quo generationis est forma, ita constitutiuum termini, quo illius, est forma, & sicut constitutiuum principij quod generationis, est existentia, ita constitutiuum formale termini qui generationis, est existentia, vt sic inter principium & effectum omnimoda fiat assimilatio atque proportio. Quando ergo dicitur, quod forma est terminus formalis generationis, hoc intelligitur de termino formali termini quo, per quod non excluditur, quin existentia, sit etiam terminus formalis termini qui, seu ratio for-

malis constitutiua effectus in esse termini qui generationis.

QVÆSTIO III.

Vtrum causa secunda sit causa instrumentalis productiua existentia.

Resolutio quæstionis.

§. I.

12. BAnnez 1. p. q. 3. art. 4. tam alta sentit de existentiæ dignitate & perfectione, vt neget creaturam ettiam instrumentaliter ad eius productionem concurrere.

Communis tamen sententia inter cæteros Thomistas recepta, & vera, est, quod causa secunda concurrit adminus instrumentaliter ad productioné existentiæ creatæ. Ita sentiũt Flandria 4. Metaphys. quæst. 3. art. 6. Nauarrete controu. 15. conclus. 2. Ledesma de perfect. diuin. q. 1. art. 2. & cæteri Thomistæ communiter.

Ab hac quæstione breuiter nos expediemus, ex iis enim quæ quæst. præcedenti dicta sunt, sufficienter manet soluta. Et primò quidem quod hæc secunda sententia sit de mente D. Th. probatur euidenter ex omnibus locis, quæ quæst. præcedenti, parag. 1. allata sunt; ex quibus sic potest elici argumentum.

Causa secunda producit esse in virtute Dei: atqui ex Bannesio causa secunda non producit esse vt causa principalis: ergo per modum causæ instrumentalis.

Confirmatur, quia in plerisque ex illis locis dicit S. Th. quod causa secunda causat esse tamquam instrumentum Dei, vt quæst. 7. de pot. art. 4. & 7. secundo contra Gentes capite vigesimo primo, ratione 4. & alibi passim.

Probatur ratione, illud agens, quod agit dispositiue ad effectũ proprium alterius agentis, est instrumentum illius in comparatione ad talem effectum: atqui causa particularis agit dispositiue ad esse, quod est proprius effectus Dei, ex Bannesio: ergo causa secunda est instrumentum Dei in comparatione ad existentiæ productionem. Maior patet; est enim proprium instrumenti habere actionem aliquam præuiam, quæ sit dispositio ad actionem principalis agentis, & ad effectum ipsius, vt ostendit D. Th. 1. p. quæst. 45. art. 5. 2. contra Gent. c. 21. ratione 6. 3. p. quæst. 62. art. 1. ad 2. quem sequuntur communiter discipuli eius, & inter alios Complut. N. in Physic. disput. 12. quæst. 2. vbi hanc veritatem late ostendunt.

Nota tamen, vt ista maior sit vndequaque vera, eam intelligendam esse de actione, quæ sit dispositiua subiecti ad receptioné alicuius formæ, educendæ de potentia subiecti, nam si disponat subiectum ad receptionem alicuius formæ, quæ non debeat fieri per eductionem, sed per creationem; tunc actio dispositiua non poterit instrumentaliter concurrere ad productionem talis formæ, cum implicet actionem vllius creaturæ, etiam instrumentaliter adcreationem concurrere, vt ostendemus inferius, disput. 17. quæst. 3.

Minor autem probatur, quia causa secunda producit formam materialem educendo eam de potentia materiæ: atqui forma recepta in mate-

ria disponit eam, & reddit eam capacem., vt in ea producatur existentia, taliter quod forma semel producta, non possit non produci existentia creata, nisi Deus per propriam & increatam existentiam vellet supplere defectum existentiæ creatę, quam nollet ad productionem essentiæ creatæ producere: ergo causa secunda agit dispositiue, seu producit effectum omnino disponentem ad productionem existentiæ, & connaturaliter eam exigentem; ergo causa secunda connaturaliter etiam exiget assumi, vt instrumentum Dei ad productionem existentiæ, si semel verum est, quod non possit eam tamquam causa principalis producere.

13. Probatur secundò ratione petita ex D. Th. 2. contra Gent. c. 21. ratione 4. & quæst. 3. de pot. art. 4. & 7. quando plures causæ ad inuicem subordinatæ concurrunt ad productionem alicuius effectus totalis, & inferior est adeo imperfecta, vt per se, & in virtute propria non possit attingere aliquam rationem in tali effectu contentam, tunc eleuatur ex vi superioris causæ, adhoc vt in virtute ipsius talem rationem instrumentaliter operetur, & propterea videmus quod phantasma, quod debet cōcurrere vna cum intellectu agente ad speciem, determinando eam, eleuatur ab eo, vt instrumentaliter attingat speciei productionem, quam propter spiritalitatem eius non potest principaliter & in virtute propria producere. Et vt vtamur illo exemplo quo vtitur D. Th. locis citat. quia indiuiduum alicuius speciei non habet virtutem attingendi rationem specificam sui effectus per modum causæ principalis, quando effectus est vniuocus & eiusdem speciei cum causa, propterea eleuatur à causa cui per se correspondet tota species, adhoc vt concurrat in virtute illius, & vt instrumentum eius ad productionem talis rationis specificæ in effectu: & ratio huius rei est, quia (vt quæst. præcedenti, parag. 1. num. 6. vidimus) qualis est ordo effectuum, talis est agentium. Vnde cum effectus causæ inferioris determinet & modificet effectū causæ superioris, oportet consequ. quod actio causæ inferioris determinet, & modificet actionē causæ superioris, & cùm proprium sit causæ instrumentalis determinare per suā actionē, actionem causæ principalis, vt iam dictum est, oportet, quod causa inferior comparata ad effectum proprium, & per se causæ superioris, sit eius instrumentum: ergo cum causa secunda per se, & essentialiter subordinetur causæ primæ in productione sui effectus, & secundum Bannesium causa secunda non sit ex se sufficiens, vt in virtute propria, & per modum causæ principalis existentiam effectus sui producat, eleuabitur à causa prima ad hoc; vt sit talis existentiæ per modum instrumenti productiua.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur ex D. Th. 1. p. q. 104. art. 1. ad 1. & 2. cont. Gent. c. 54. sicut lumen sequitur diaphanū aeris supposito influxu solis; ita esse sequitur ad formā creaturæ, supposito in-

fluxit Dei: at nullus dicet, quod causa, quæ producit diaphanum in aere producat lucem in eo, etiam instrumentaliter: ergo nec potest dici, quod creatura sit causa instrumentalis productiua existentiæ, licet producat formam in materia, ex qua postea sequitur existentię productio.

14. Respondeo, quod quando D. Th. comparat formam rei materialis ad existentiam, sicut diaphaneitatem aeris ad lucem, solum intendit docere, quod sicut diaphaneitas, est vltima ratio per quam completur aer, vt sit subiectum immediate lucis receptiuum; ita forma est vltima ratio, per quam completur res materialis, vt sit subiectum immediate receptiuum existentiæ, nec vllo modo intendit comparare existentiam & lucem inter se per respectum ad causas, per quas possunt instrumẽtaliter produci: licet ergo daretur, quod causa, quæ esset productiua diaphaneitatis in aere, non esset etiam instrumentaliter productiua lucis; tamen non sequitur, quod illa causa quæ est productiua formæ in materia, non sit instrumentaliter saltem, productiua existentiæ, tum quia existentia est vltimus terminus, & vltimum complementum formæ intrinsecum, & eiusdem cum ea prædicamenti: tùm etiam quia forma habet inuiolabilem cum existentia connexionem, vbi lux non comparatur ad aerem tamquam complementum eius intrinsecum, nec cum eo habet necessariam connexionem, sed accidentalem omnino, & contingentem, & consequẽter licet detur, quod causa diaphaneitatis in aere non causet instrumentaliter lucem in eo; tamen non sequitur illud, quod causat principaliter formam in materia, non causare instrumentaliter existentiam in ea.

Respondeo secundò, nullum esse inconueniens asserendi, quod illa causa quæ est productiua diaphaneitatis in aere, possit assumi, vt instrumentum à sole ad productionem lucis in eodem aere, sicut asseritur in illa communi Thomistarum sententia, quod causa quæ est essentiæ productiua, assumitur à Deo, vt instrumentum eius ad existentiæ productionem.

Obiicitur ex Bannesio absurdum videri, quod causa particularis, habeat respectu eiusdem effectus totalis rationem causæ principalis, & rationem causæ instrumentalis.

Respondeo, nullum esse prorsus absurdum, quod vna & eadem res sit causa principalis, & instrumentalis eiusdem effectus totalis, quando hoc est secundum diuersas talis effectus rationes, vt contingit in præsenti casu, & propterea dicit S. Th. 1. p. q. 77. art. 3. quod corpus cœleste concurrit, vt causa principalis ad gradum corporiis in viuentibus, ad gradum verò vitæ per modum solum causæ instrumentalis. Et locis parag. præcedenti ratione 2. allatis dicit indiuiduum habere rationem causæ principalis respectu alterius indiuidui vniuoci secundum rationem eius indiuidualem considerati, rationem verò instrumenti respectu rationis eius specificæ. Ergo multo magis poterit idem indiuiduum exercere rationem causæ instrumentalis respectu existentiæ, cum non solum existentia distinguatur ratione ab essentia, sicut distinguuntur inter se gradus eiusdem essentiæ, sed etiam realiter.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum esse sit effectus essentiæ seu formæ in genere causæ formalis, & vtrum ab ea actiue dimanet.

Resolutio quæstionis.

§. I.

15. CONsiderauimus, quæst. præcedentibus existentiam creatam in comparatione ad causam efficientem, per quam producitur, restat iam in præsenti, quæst. examinandum, in quo genere causæ pendeat ab essentia illa, quam facit formaliter existere; & quia constat apud omnes Thomistas (vt videre est apud Caietanum, c. 5. de ente & essentia q. 10. & apud Ledesmam de perfect. diuin. quæst. 22. art. 6.) quod existentia pendet ab essentia propria in genere causę materialis, seu receptiuę; cum recipiatur in ea tamquam actus proprius in propria potentia, vt ostensum est disput. superiori q. 1. superest solum inquirendum, illud quod maxime cõtrouertitur inter Thomistas. Vtrum scilicet possit dici, quod existentia pendeat non solum ab essentia, seu forma, in genere causæ materialis & receptiuæ, sed etiam in genere causæ formalis; vel etiam an pendeat ab ea in genere causæ dimanatiuæ, ad modum quo passiones ab essentia, cuius sunt proprietates dicuntur dependere.

Prima sententia asserit esse pendere ab essentia, seu à forma, in genere causæ formalis, & ab ea vt sic id est in genere causæ formalis, non autem in genere causæ actiuæ dimanare. Ita Caiet. de ente & essentia. Ledesma, quæst. 12. art. 6. & 7. de perfect. diuin. Nauarrette prima parte controu. 16. & hæc sententia satis est communis inter Thomistas.

Secunda sententia asserit existentiam nullo modo pendere ab essentia in genere causæ formalis, sed solum in genere causæ materialis. Ita Bannes. prima parte, quæst. 3. art. 4. dub. 4. conclus. 5. & Flandria 4. Metaphys. q. 3. art. 6. ad 6.

Nostra sententia sequentibus conclusionibus declaratur, supponendo prius vt iam, quæst. 1. huius disp. statim sub initium insinuauimus, sermonem esse in hac tota Disput. de existentia rei materialis. Hoc supposito sit prima Conclusio. Existentia pendet à forma in ratione formæ; non tamen ita quod forma exerceat rationem illam causæ formalis respectu existentiæ, sed respectu materiæ. Ista conclusio duas habet partes.

Probatur prima pars, quia existentia rei materialis non potest exercere suum effectum formalem, nec circa compositum purę materiale, nec circa formam eius, nisi quatenus forma informat materiam; cum enim forma illa non sit forma subsistens, non recipit prius in se existentiam, quam informet materiam; sed eam informando reddit eam, & seipsam capacem existentiæ: ergo existentia pendet à forma, quatenus forma exercet rationem formæ respectu materiæ: & hanc partem libenter concedimus authoribus primæ sententiæ.

Secunda autem pars probatur,

Quia forma exercet rationem formæ, informando & actuando; ergo illud solum respectu cuius forma exercebit rationem formæ, actuabitur & perficietur ab ea, sed existentia non perficitur, nec actuatur per formam, sed potius imperficitur & limitatur per eam, cum forma non habeat rationem actus, sed potius rationem potentiæ respectu existentiæ: ergo forma non exercebit rationem causæ formalis in comparatione ad existentiam, nec existentia per consequens dimanabit ab ea tamquam effectus formalis à sua causa formali; sed potius resultabit passiue ex ea, si essentia consideretur præcise secundum id quod conuenit ei ex meritis suis, ad modum quo in sententia aliquorum motus grauium & leuium dicitur resultare solum passiue, seu tamquam à potentia passiua, à grauitate & leuitate istorum corporum.

Conclusio secūda existentia debet dici potius comproduci simul cum essentia ad productionem totius existentiæ, quam dimanare ab essentia, quamuis possit etiam aliquo modo dici fluere, seu resultare passiue, & dispositiue ab ea.

Probatur prima pars conclusionis. Pars termini adæquati alicuius actionis, non dicitur dimanare ab altera comparte, & maxime, si illa pars habeat rationem actus, & formæ respectu alterius compartis, sed potius dicitur vnà cum ea comproduci ad productionem termini totalis & adæquati: ergo cùm existentia habeat rationem partis formalis in comparatione ad essentiam, non poterit dici dimanare ab essentia; sed vna cum ea comproducetur ad productionem totius existentiæ, quod componunt; & illud est quod Flandria, loco supra citato, voluit dicere, quando dixit existentiam fluere ab essentia per quamdam naturalem concomitantiam, quia essentia scilicet petit concomitanter, & vna secum existentiam produci, tamquam proprium actum suum intrinsecumque terminum, quo cum connaturalem omnino habet connexionem.

Confirmatur, quia dimanare reducitur ad genus causæ efficientis, & actiuæ: ergo cum vnumquodque agat inquantum est actu, id quod fit, implicabit quod aliquid dimanet ab alio, nisi in eo actu contineatur: ergo cùm existentia non contineatur actu in essentia, sed essentia habeat rationem puræ potentiæ passiuæ & receptiuæ respectu existentiæ, implicabit existentiam posse dimanare ab essentia, si sit sermo de dimanatione proprie dicta, qualis est illa quæ conuenit proprietatibus alicuius essentiæ, & per hoc etiam ostenditur, quod existentia non potest à forma in genere causæ formalis dimanare, cum effectus formalis debeat in forma formaliter, & actualiter contineri.

Probatur secunda pars conclusionis, quia illud quod est terminus propriæ actionis instrumenti, disponit ad terminum, & ad effectum principalis agentis, quia, vt ex D. Th. quæst. præced. §. 1. retulimus, instrumentum agit dispositiue ad effectum principalis agentis; sed essentia est terminus formalis actionis causæ secundæ, quam Deus assumit, vt instrumentum ad productionem existentiæ (vt ibidem dictum est:) ergo essentia vltimo disponit ad productionem existentiæ: ex quo sequitur

quod ex duplici titulo existentia fluit, & resultat ab essentia ratione formæ. Primò tamquam à potentia passiua, qua cum extra causas posita inuiolabilem, & indispensabilem habet annexionem, nisi Deus defectum eius per propriam existentiam supplere velit. Secundò tamquam ab vltima dispositione per se exigente productionem existentiæ.

17. Conclusio tertia existentia non fluit, nec dimanat actiue ab essentia. Ista conclusio est Ledesmæ de perfect. diuin. q.12. art. 7. & aliorum Thomistarum.

Probatur primò ex confirmatione facta pro prima parte Conclusionis præced. cum enim essentia habeat rationem puræ potentiæ passiuæ respectu existentiæ; non potest consequenter existentia fluere, vel dimadare ab ea actiuè.

Confirmatur, quia (vt dictum est ibid.) dimanatio actiua est quædam efficientia; ergo cùm efficientia supponat rem, quæ efficit existere, existentia non poterit fluere ab essentia propria; aliàs deberet essentia existere. Prius quàm existeret per ptopriam existentiam.

Confirmatur ex D. Th. 1. p. q. 104. art. 1. 3. contra Gent. c. 66. & 67. & de pot. art. 1. q. 5. & alibi sæpius, essentia comparatur ad existētiam propriam, sicut aer diaphanus ad lucem: atqui lux nullomodo radicatur in diaphaneitate aeris, tamquam in potentia actiua, sed solum tamquam in potentia passiua: ergo.

Dices existentiā dimanare ab essentia, tāquam à causa solū instrumētali, nō tāquam à causa principali, & ideo necessariū nō esse quod radicetur actu in essentia, vt ab ea possit instrumētaliter resultare atque dimanare.

Cōtra quia nihil est in essentia, per quod eleuetur ad hoc, vt instrumentaliter dimanet actiue existentiā: ergo cum omne instrumentū eleuetur per aliquam virtutem, & motionem receptam à principali agente, vt instrumentaliter attingat effectū principalis agentis, essentia non poterit esse instrumentum actiue dimanans existentiam propriam; & maxime quia existentia est forma per quam formaliter, tamquam per actum ponitur essentia extra suas causas; quomodo ergo posset essentia actiue dimanare existentiam, cum omnis dimanatio, & efficientia fundetur in esse, & in hoc quod res sit extra causas complete posita.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicitur contra primam conclusionem ex D. Th. 2. contra Gent. cap. 54. vbi ait quod sicut lux se habet ad lucere, & albedo ad album esse, ita forma ad esse: ergo sicut lucere est effectus formalis lucis, & album effectus formalis albedinis, ita esse erit effectus formalis formæ.

18. Resp. quod D. Th. vult solum probare per prædicta verba formam ab esse distingui, sicut album ab albedine, & lucere à luce, quia sicut lucere sequitur ad lucem, & album ad albedinem, ita esse ad formam quamuis tamen sit disparitas in hoc vt statim immediate post S. D. explicat, quod album sequitur ad albedinem, & lucere ad lucem,

tamquam effectus formalis ad suam formam, vbi esse sequitur ad formã, sicut lux (inquit) ad diaphanum in aere, hoc est, sicut ad potentiam, & ad principium passiuum.

Obiicitur secundò, illud quod constituit aliquid in specie atoma, comparatur ad ipsum per modum actus & formæ ipsius: atqui essentia constituit ratione suæ formæ existentiam propriam in specie atoma determinata: ergo essentia exercet ratione suæ formæ rationem causæ formalis respectu existentiæ,

Respondeo distinguendo maiorem, si illud quod constituit alterum in specie atoma, constituit illud in tali specie per modum actus perfectiui ipsius, concedo. Si autẽ constituat illud in tali specie per modum potentiæ, & constitutum habeat rationam vltimi termini, & actus vltimo complentis, atque perficientis talem potentiam, nego maiorem. Vnde cum existentia habeat rationem actus vltimo complentis, & terminantis essentiam, & essentia determinet existentiam, tum ad genus, tum ad speciem sub genere determinato contentam, tamquam potentia passiua suum actum, limitando & imperficiendo potius, quam perficiendo eam, propterea non potest existentia comparari ad essentiam tamquam effectus eius formalis, nec essentia exercere respectu ipsius rationem causæ formalis.

Et si quæras quare existentia imperficiatur potius, quam perficiatur per essentiam.

Respondetur rationem huius rei esse, quia existentia est actus superior quocumque genere (cum sit actus entis vt sic) & propterea quando contrahitur ad genus, & ad certas species sub certo genere contentas, limitatur & restringitur vniuersalitas actualitatis, & perfectionis ipsius, vt ipsi etiam aduersarij fatentur, vnde Nauarrete prima parte controu. 14. parag. 2. dicit existentiam comparari ad diuersas essẽtias eo modo quo comparatur natura specifica ad diuersa indiuidua à quibus limitatur, non autem eo modo quo natura generis comparatur ad diuersas species, per quas perficitur & actualisatur: sicut enim (inquit) natura specifica præsupponitur in sua ratione completa ante contractionem, seu determinationem per conditiones indiuiduantes: ita existentia præsupponitur in sua perfectione, vnde sicut ratio specifica, v. g. natura humana, est eiusdem perfectionis in omnibus hominibus formaliter, & solum materialiter, seu indiuidualiter est in vno homine perfectior, quam sit in altero: ita (inquit idem author controu. 17. conclus. 3. & Ledesma de perfect. diuin. quæst. 12. art. 8. per totum) existentia est eiusdem rationis & perfectionis formaliter in omnibus essentiis, & solum materialiter vna est perfectior altera, inquantum scilicet vna in perfectiori essentia recipitur quam alia. Quod possemus diuersarum animarum rationalium exemplo declarare, quæ quidem sunt eiusdem perfectionis formaliter, & in esse specifico in omnibus, licet materialiter, & secundum rationem indiuidualem, vna excedat aliam in perfectione, inquantum vna in materia perfectiori modo disposita recipitur quam altera, vel etiam exemplo caloris qui in diuersis subiectis receptus, eiusdem est perfectionis formaliter & in esse

specifico, licet materialiter & quoad modum, in vno sit perfectior quam in altero; ita similiter (inquiunt) licet existentia materialiter & quoad modum sit perfectior in essentia perfectiori, quam in imperfectiori, tamen formaliter, quantum est scilicet ad id quod est ponere rem actu extra causas per modum actus vltimi, est æqualis perfectionis in omnibus essentiis, quod certe satis consentaneum veritati videtur, si sermo sit de existentiis substantialibus; nam quantum ad existentias accidentium, sicut non sunt existentiæ entis per se, sed entis accidentalis & entis per participationem, ita solum sunt veluti participationes existentiæ substantialis, & propterea non possunt dare esse accidentibus, absque eo quod ab ea sustententur.

19. Obiicitur contra tertiã conclusionem; si Deus per propriam existentiam suppleret existentiam ouis, & post aliquod tempus desineret naturam illam terminare; tunc ex essentia huius ouis, tanquam ex principio actiuo dimanatiuo, propria & connaturalis existentia pullularet, & resultaret: quia cum nihil noui possit poni à parte rei, nisi vel per dimanationem, vel per actionem propriè dictam; & nulla in illo casu foret noua actio, talis existentia deberet ab essentia actiue dimanare: ergo essentia habet rationem principij actiui dimanatiui propriæ & connaturalis existentiæ.

Posset primo responderi cum Ledesma de perfect. diuin. quæstio. 12. articulo 7. ad 3. sub finem, quod in illo casu si non daretur noua actio per quam existentia illa ouis de nouo produceretur, essentia desineret esse & annihilaretur. Hanc responsionem tribuit quibusdam Thomistis id asserentibus 3. p. quæstio. 17. articulo 2. & in eam videtur inclinare Cabrera 3. p. quæst. 4. articulo 2. ad 3. disputatio 7. quamuis contrarium tenuerit probabile disputatio. 2. quæst. 2. art. 2. §. 6. n. 146.

Respondetur secundo illi qui tenent existentiam dimanare in genere causæ formalis à forma, quod in illo casu existentia creata ouis dimanaret ab essentia eius formaliter, seu tanquam à causa formali.

Sed hæc solutio non satisfacit, tum quia existentia non dimanat in genere causæ formalis ab essentia, vt ostensum est conclus. prima; tum quia dato quod dimanaret ab ea in genere causæ formalis, tamen deberet semper dari aliqua actio per quam de nouo produceretur, vel deberet asseri quod non solum formaliter, sed etiam actiue dimanaret ab essentia, cum nihil possit esse de nouo à parte rei, nisi vel per actionem, vel per dimanationem actiuam.

20. Respondetur ergo tertiò, quòd in illo casu resultaret quidem existentia creata ex essentia ouis passiue & dispositiue iuxta dicta conclus. 2. sed actiue produceretur ab illa actione, per quam Deus conseruabat materiam ouis, quando natura illa erat sub existentia diuina; cum enim actio illa sit actio, qua Deus produxit talem naturam, quia eadem actio Dei quæ est productiua alicuius rei, est & ipsius conseruatiua, & quæ de facto produxisset existentiam creatam, nisi fuisset impe-

dita per existentiam diuinam loco existentiæ creatæ sese ingerentem; statim atque existentia diuina desinit occupare locum & vicem illius existentiæ, statim actio diuina sublato illo impedimento se extendit ad productionem existentiæ creatæ.

Et si dicas, quod actio, qua Deus conseruabat naturam ouis, quando erat vnita existentiæ diuinæ; illa eadem erat, per quam Deus assumpserat talem naturam in vnionem propriæ existentiæ, & consequenter, quod sublata vnione existentiæ diuinæ cum natura illa creata, non posset actio illa producere existentiam creatam, quia non remaneret amplius prædicta actio, cum, sublato termino præcipuo actionis, statim auferatur & actio.

Vt huic argumento satisfaciamus supponenda sunt necessario aliqua ex mysterio incarnationis, supponendum est ergo magnam esse controuersiam inter Theologos, an sit vna & eadem actio, qua producitur humanitas Christi, & qua fuit vnita verbo diuino: alij enim vt Cabrera 3. p. quæstio. secunda articulo. 11. §. 2. & 3. tenent quod creatio & productio humanitatis non sunt distinctæ actiones, secundum rem, ab assumptione, seu actione, qua humanitas vnita est Verbo, sed solum formaliter, quod exemplo declarat dictionis, & intellectionis, quæ licet sint duæ actiones formaliter distinctæ, entitatiue tamen & secundum rem sunt vna & eadem actio; ita licet assumptio & productio humanitatis sint duæ actiones formaliter distinctæ, quia distinctos habent terminos, entitatiue tamen & secundum rem sunt vna & eadem actio; alij vero, inter quos est Nazar. ead. quæst. tertiæ p. articulo 8. contro. 1. asserunt creationem animæ, productionem humanitatis, & assumptionem eius ad personam Verbi, esse tres actiones realiter inter se distinctas. Hoc posito,

21. Respondeo quod sicut si humanitas Christi desereretur à verbo, tunc in sent. Cabreræ (vt ipsemet respondet disp. cit. §. 6. n. 145.) existentia creata humanitatis produceretur ab illa eadem actione, per quam anima Christi eiusque humanitas producta fuit, non quidem sub formalitate assumptionis, quia non remaneret amplius sub illa formalitate, sed sub formalitate alia, creationis scilicet vel productionis; ita similiter ego dico in nostro casu, quod si Deus desineret terminare per existentiam suam, naturam illam ouis, & actio qua vniuisset sibi talem naturam, esset eadem cum actione productiua illius, tunc licet talis actio desineret secundum quod est vnitiua naturæ ouinæ cum existétia diuina, non desineret tamen sub formalitate illa, sub qua est naturæ ouis productiua, & consequenter posset per eam produci existentia creata, quæ de facto per eam iam antea producta fuisset, quando in initio natura ouis producta est, nisi Deus suppleuisset eam: saluo tamen meliori iudicio; videtur quod hæc solutio stare non potest, quia desinente præcipuo termino actionis desinit & actio, & consequenter cum terminus præcipuus actionis foret in nostro casu vnio hypostatica, illa desinente, desineret & actio simpliciter; vnde videtur in sententia illa, recurrendum esse ad solutionem primam quæ data est principali argumento, quod scilicet in illo casu annihilaretur natura

nisi per nouam aliquam actionem existentiæ productiuam Deus eam conseruaret in esse.

Respondeo secundo, in sent. Nazarij & aliorū qui sequūtur eius partes quod actio illa, per quam Deus conseruabat naturam ouis, non erat illa per quam assumpserat eam in vnionem propriæ existentiæ, & consequenter dato quod actio illa vnitiua desineret, Deo desinente terminare naturam ouis, non desineret tamen actio naturæ ouis productiua & cōseruatiua, & consequenter sublata vnione cum existentia Dei, statim produceret in natura ouis existētiam creatam, à cuius productione impediebatur per solam existentiam Dei terminantem naturam illam.

Dices non posse dari actionem, quę præcise terminetur ad existentiam vel producendam, vel saltem communicandam, & consequēter actionem illam, quæ fuit productiua & conseruatiua naturæ ouinæ, fuisse ipsius vnitiuam cum existentia diuina.

Respondeo distinguendo antec. si impediatur talis actio in attingentia termini sui ab alia, quæ sit communicatiua alterius existentiæ, distinctæ ab ea, quam de facto produxisset, nisi impedita fuisset, sicut accidit in præsenti casu, nego; si non impediatur, concedo.

Respondeo secundo, distinguendo idem antec. Si talis actio non habeat concomitantiam cum alia, quæ sit existentiæ vel communicatiua, vel productiua, concedo. Secus autem nego. pro cuius solutionis intelligentia lege ea quæ afferuntur à Cōplut. N. in Phys. disp. 4. p. 4. n. 39. 40. 41.

DISPVTATIO VIII.

DE COMPOSITO RESVLTANTE EX essentia substantiali vt indiuidua existentiaque ipsius, hoc est de hypothasi creata.

QVia suppositum seu hypostasis dicit totũ perfectum atque completum intra genus substantiæ, vt quæst. 3. & 4. præsentis disput. videbimus, ideo post examen partiũ (essentiæ scilicet substantialis vt indiuiduæ, existentiæque ipsius) quæ suppositum creatum formaliter componunt Examinãda est diligẽter natura & ratio huius compositi, an scilicet ita sit de facto, quod suppositum creatũ resultet formaliter ex prædictis partibus vnitis ad inuicẽ, taliter quod existentia substantialis, vt indiuidua, & vnita naturæ substantiali indiuiduæ, sit forma, non solum extrinsece, sed etiam intrinsece constitutiua suppositi, eo modo quo cæteris paribus forma materialis vnita materiæ cõstituit intrinsece compositum Physicum; an potius illud quod addit supposiitũ supra naturam substantialem, sit Caietani subsistentia, an sola ratio indiuidualis, an negatio Scotica. Nec miretur prudens lector, si in hac disp. paulo fusiores videamur, id enim materiæ necessitas omnino postulat, cum hæc difficultas sit fundamẽtum grauissimarum Theologiæ difficultatum; vt facile erit ex progressu disputationis aduertere. Quare autem descendamus ad considerationem totius resultantis ex substantia indiuidua, existentiaque ipsius, antequam tetigerimus quicquam de composito resultante ex essentia & existentia eius in communi, rationem dedimus sub initium huius libri, in discursu facto ante disputationem tertiam. Ad propositam difficultatem accedamus.

QVÆSTIO PRIMA.

AN PERSONA, SEV HYPOSTASIS CREATA, distinguatur solum ex modo significandi à natura indiuidua.

§. I. *Resolutio quæstionis.*

1. AD huius quæstionis intelligentiam, supponendum est primo ex D. Tho. 1. p. qu. 29. art. primo, quod persona, nihil est aliud, quam *Natura rationalis indiuidua substantia.* Siue vt idem S. Doctor refert in primum dist. 25. qu 1. articulo 2. ad 4. & articulo tertio in corp. *Subsistens seu existens in natura intellectuali distinctum.*

Ex

Ex quo patet quod persona distinguitur solum à supposito, seu hypostasi, ratione naturæ intellectualis, & sic illud idem quod significat suppositum, seu hypostasis in naturis substantialibus, quæ non sunt rationales, illud idem significat, nomen personæ in naturis intellectualibus, explicatur autem sic personæ definitio. Primo dicitur substantia, vt per hoc excludantur accidentia, quæ persona esse non possunt, cum persona sit in genere substantiæ. Secundo dicitur indiuidua, id est incommunicabilis, per quod secundum D. Tho. in 3. ad Annibald. dist. 5. quæstio. vnica art. 2. ad 4. & alibi sæpe) triplex communicabilitas excluditur, primo cõmunicabilitas vniuersalis; (persona enim significat primam substantiam, seu singularem & particularem;) secundo excluditur communicabilitas partis, & propterea nec anima separata, nec humanitas sola præcisa à subsistentia dicitur persona, quia communicabilitatem per modum partis dicunt in ordine ad totum quod constituunt, & tandem excluditur communicabilitas alicui digniori, per quod excluditur humanitas Christi à ratione personæ, quia communicatur digniori se, verbo scilicet diuino. Cæteræ autem definitionis particulæ denotant distinctionem, quę est inter supposita naturæ rationalis, & suppositæ natutæ irrationalis.

Hoc posito prima sententia est Durandi in primum dist. 34. quæstio. 2. & Henrici de Gandauo quodlibet. 4. quæstio. 4. asserentium, suppositum nihil addere supra naturã indiuiduam, sed solum ab ea ex modo significandi distingui, inquantum natura significatur in abstracto, & vt habita, persona vero in concreto, seu per modum habẽtis naturam.

Contraria tamen sententia est omnino tenenda, vnde fit contra hanc Durandi sententiam.

2. Conclusio prima suppositum creatum non distinguitur solum ex modo significandi à natura. Ista conclus. est communis tum inter Theologos, tum inter Philosophos, & supposita fide de Mysterio Incarnationis, est omnino certa & demonstrabilis. Videatur Cabrera 3. p. quæ. 4. art. 2. disp. 1. §. 3. & Suarez in sua Metaph. disp. 34. sect. 2. à nu. 4. ad 8.

Probatur ratione, eadem est ratio de humanitate Christi respectu propriæ & naturalis suppositalitatis, ac de aliis naturis, respectu propriarum & naturalium suppositalitatum: sed humanitas Christi distinguitur realiter à propria & naturali suppositalitate: ergo & quæcumque alia natura substantialis indiuidua à sua: ergo suppositalitas debet addere aliquid, supra naturam indiuiduam, realiter ab ea distinctum, non autẽ ex modo solum significandi ab ea distingui. Istæ duæ consequentiæ patent. Maior probatur, quia Verbum diuinum assumpsit naturam humanam Christi, & illam sibi realiter vniuit, non autem suppositalitatem, aut personalitatem ipsius, alioqui duo essent supposita, & duæ personæ in Christo: ergo suppositalitas naturalis humanitatis Christi debet necessario distingui realiter ab humanitate eius per aliquam realitatem, realitati humanitatis Christi superadditam, quandoquidem verbum sibi realitatem humanitatis Christi, non autem realitatem propriæ & naturalis suppositalitatis vniuit. Negabit forsã vltimã hanc consequentiã, quia cum

eadem realitas sub duplici consideratione possit significare, & naturã, & personam, seu suppositum; naturam quidem, vt concipitur per modũ habitæ, personam vero, quatenus cõcipitur per modum habẽtis naturam: Verbum diuinum consequenter potuit vnire sibi realitatem humanitatis, secundũ quod habet rationem naturæ, & non secundum quod habet rationem personæ, quia illam vniuit sibi, non vt concipitur in concreto, & per modum habentis naturam, sed potius in abstracto, & vt per modum habitæ & possessæ.

3. Contra, quia quotiescũque natura substantialis significatur vt habita & possessa, à supposito alienæ naturæ, hoc non impedit, quominus significetur per modum suppositi, & hypostasis distinctæ ab ea à qua dicitur haberi & possideri: sed natura humana Christi Verbo vnita, significatur per modũ habitæ & possessæ à Verbo tanquam à supposito alienæ naturæ; ergo hoc non impediet, quominus possit natura humana Christi, habere rationem personæ, & suppositi condistincti à Verbo diuino.

Maior patet, quia vestis, quæ cooperit córpus, significatur per modũ habitæ à corpore, & aurum deaurans argentum, significatur per modũ habiti ab argento, & tamen hoc nõ impedit, quominus & vestis sit suppositũ distinctũ à supposito corporis quod vestit, & aurum à supposito argenti quod deaurat: minor autem est certa, quia Verbum diuinum est suppositum naturæ diuinæ, quæ est distincta à natura humana.

Dices quod alio modo natura humana Christi Verbo vnitur, quã vestis vniatur corpori quod vestit, & aurũ calici aut argẽto quod deaurat: quæro quænã sit illa diuersa vnio, & in quo sita sit illa diuersitas vnionis? nisi quia ita Verbũ diuinũ humanitati Christi vnitur, vt suppleat formaliter realitatẽ suppositalitatis naturalis, in humanitate Christi deficientẽ, & ab ea realiter distinctam, quod tamen nõ facit vestis vnita corpori, aut aurum deaurans argentum: quod si Verbũ non supplet aliquã realitatem deficientẽ in humanitate Christi, per quã si adesset cõpleretur & terminaretur humanitas, fieretque supposita, certe nec apparet nec potest declarari quomodo vnio Verbi cũ humanitate Christi, non sit accidentalis, sicut vnio vestis cum corpore, nec consequenter quomodo non sint in Christo duo supposita.

Cõfirmatur quia hæc sent. nõ videtur dissentire in re à sent. Nestorij, sed solũ in verbis, & in modo explicãdi, quia quidquid admittit realitatis Nestorius ex parte humanitatis vnitæ Verbo, totũ illud admittit hæc sent. solũque differt à Nestorio, per hoc quod realitatem candẽ humanitatis Christi vocet solũ naturã, & non suppositum, quam tamen Nestorius personam, seu suppositum esse dicebat, & certe si nulla realitas humanitati Christi desit, ad cõstitutionẽ personæ necessaria (sicut admittit Durãdus) videtur magis rationaliter loqui Nestorius, quã prædictus author; si enim humanitas Christi habet omnia realia, requisita ad constitutionẽ Personæ, quare non erit persona.

Sed dicit Durandus quia non concipitur per modum concreti.

Contra, quia non constituitur persona ex nostro modo cõcipiendi, sed ex iis quæ realiter illi conueniunt: ergo si humanitas Christi habet omnia realia, quæ requiruntur ad intrinsecam, constitutionem personæ, erit vere persona.

Confirmatur, quia vt aliquid habeat rationem suppositi, sufficit secundum Durandum, quod illud concipiatur per modum habentis naturam: atqui humanitas Christi potest concipi per modum habentis, & recipientis naturam, quia humanitas Christi est indiuidua: ergo cum natura specifica concipiatur recipi in natura indiuidua (ex D. Tho. de ente & ess. c. 1. paulo ante finem,) natura indiuidua concipietur per modum recipientis naturam specificam, & consequenter per modum concreti: Deinde vt natura indiuidua concipiatur per modum concreti, & per modum personæ, sufficit quod concipiatur per modum totius: at natura indiuidua Christi, præcisa à Verbo, potest concipi per modum totius, quia totum dicitur esse illud cui nil deest: ergo cum humanitati Christi nulla prorsus realitas desit quæ ipsi esset adfutura, si de facto separata esset à Verbo, habebit vere rationem totius, & consequenter rationem concreti, & personæ creatæ; quid enim poterit supplere Verbum diuinum ad personalitatem pertinens, si nulla deest realitas in humanitate de pertinentibus ad constitutionẽ personæ: certe sicut illa humanitas ex vnione cum Verbo, nulla caret aut priuatur realitate sibi connaturali (in illa Durandi sententia;) ita non amittit ex illa vnione rationem totius, & cum totum substantiale, cui nil substantialitatis deest, sit persona, retinebit semper rationem personæ creatę, nihilque relinquetur Verbo diuino supplendum.

5. Confutatur adhuc illa Durandi sent. quia ecclesia determinauit Nestoriũ errasse, non solũ in modo concipiendi humanitatẽ Christi, concipiendo illã scil. per modum concreti, cum debuisset illam cõcipere solum per modum abstracti, sed vere damnauit eũ, ex eo quod ponebat in humanitate Christi verã realitatẽ personæ creatæ constitutiuã, quã tamen esse in Christo negauit sẽper ecclesia.

Confirmatur, quia ex illa Durandi sententia sequitur Verbum diuinum non esse personalitatẽ humanitatis Christi: & probatur, quia si Verbum esset personalitas humanitatis Christi, ideo esset quia suppleret connaturalẽ eius personalitatẽ: atqui Verbũ nõ supplet eam: primo quia nulla realitas pertinens ad rationem personæ humanæ deest in humanitate Christi: secundo quia personalitas non debet distingui realiter à re cuius est personalitas (secundum ipsum) ergo cum Verbũ non possit supplere vllã realitatẽ creatã, ita vt idẽtificet se realiter & entitatiue cum realitate creatã, non poterit supplere personalitatem vllam creatam, & sic cum humanitas Christi non sit sine personalitate, per quam supponitetur, erunt in Christo duo supposita; vel si sit solũ personalitas Verbi, cũ illa ex iã probatis non terminet humanitatẽ Christi, humanitas erit sine vllo supposito, & cum actiones sint suppositorũ, nullã actionẽ humanitas Christi in Christo exercebit: imo ex hoc sequitur quod actiones Christi non refundentur in Verbũ, & quod non erit cõmunicatio idiomatum in Christo; ideo enim actiones Christi refundũtur in Verbũ, & sunt infiniti valoris, quia suppositũ humanitatis est Verbũ, & ideo est cõmunicatio idiomatũ in Christo, ita vt ea quæ sunt Dei, tribuantur homini, & quæ sũt hominis Deo, quia natura diuina & humana cõmunicant in eodem supposito: ergo cũ probatũ sit in

ſententia Durandi humanitati Chriſti non communicare in eodem ſuppoſito cum Verbo diuino non erit communicatio idiomatum in Chriſto.

Proponuntur & ſoluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur ex D. Tho. in 3. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. & quæſt. 9. de pot. ar. 3. ad 4. quod perſona in rebus ſeparatis à materia, non diſtinguitur re à natura.

6. Reſpondeo diſtinguendo, perſona non diſtinguitur re à natura in Angelis, ſi Perſona conſideretur radicaliter, id eſt ſecundum rationem indiuidualem, concedo. Si Perſona conſideretur ſecundum omnia illa quæ includit, & ſecundum quod dicit aliquid ſubſiſtens, vel exiſtens, nego. Explicatur iſta ſolutio. Dico ergo D. Tho. in illis locis conſtituere diſtinctionem inter ſuppoſita materialia, & immaterialia quoad rationem indiuidualem eorum, quæ quidem diſtinctio conſiſtit in hoc, quod materialia ſecundum rationem indiuidualem, afferunt diſtinctum gradum realem ſupra naturam ſpecificam, quod tamen non accidit in ſeparatis à materia, in quibus gradus indiuidualis non diſtinguitur à ſpecifico; & propterea dicit D. Tho. perſonam in ſeparatis à materia, non diſtingui re à natura, id eſt non afferre, diſtinctum gradum realem ſupra naturam ſpecificam, ſi conſideretur ſecundum rationem ſuam indiuidualem, quod tamen faciunt ſuppoſita materialia.

Reſpondeo ſecundo, ſupponendo prius, quod perſona creata dicit omnimodam incommunicabilitatẽ cuicumque alteri intra genus ſubſtantiæ, itaut non poſſit vniri nec per modum potentiæ, nec per modum actus, cum quocumque alio, quo cum faciat vnum per ſe: quod idem eſt ac dicere quod perſona eſt taliter incommunicabilis, vt nec poſſit amplius quidquam recipere, nec etiam aliud quippiam actuare, cum quo faciat vnum per ſe. Hac veritate ſuppoſita, quæ magis inferius declarabitur; Reſpondeo cõcedendo quidem perſonam in rebus ſeparatis à materia, non diſtingui re à natura, ſecundum id vnde petitur incommunicabilitas per modum actus, quæ eſt in perſona, quia talis incommunicabilitas petitur in Angelis ab eſſentia ſpecifica; eſſentia enim eorum non habet communicabilitatem per modum actus, cum non ordinetur ad informandam, aut actuandam aliquam potentiam, quantum autem ad id, vnde petitur incommunicabilitas per modum potentiæ, per quam perſonæ creatæ repugnat aliquid aliud actuare, nego quod perſona ſecundum hoc, non diſtinguatur re à natura quia ſecundum iſtam conſiderationem, Perſona dicit ſupra naturã ſpecificã, aliquid aliud realiter diſtinctum ab ea. Quicquid illud ſit.

7. Reſpondeo ſecundo, quod perſona non diſtinguitur re à natura in ſeparatis à materia, quantũ ad id quod perſona importat ex modo ſignificandi (quod eſt indiuiduum.) Sed quantum ad id quod importat, tam ex modo ſignificandi, quam ex parte rei ſignificatæ formaliter debet de neceſſitate diſtingui realiter à natura. Explicatur hæc ſolutio, pro cuius

intelligentia nota ex D.Th. cap.5. de ente & essentia versus medium. Quidquid non est de conceptu essentiæ seu quidditatis, hoc esse adueniens extra, seu accidentale respectu essentiæ. Nota 2. ex P.N. Complut. in sua Logica disput.4. quæst. 3. licet concretum accidentale, accidentalem formam significet, tamen ex modo significandi importare subiectum cui talis forma accidentalis conuenit; & propterea iidem disp. 5. eiusdem Logices quæst.2.& quæst.3.n.44.&disp. 12.quæst.3.n.25. asserunt, quod in definitione concreti accidentalis, accidens est res definita, licet ex modo significandi fiat suppositio pro subiecto, in quo accidentis definitio exercetur. Et hæc doctrina non solùm est vera, quantum ad accidens prædicamentale, sed etiam quantum ad accidens prædicabile, vt patet ex locis allatis, maximè disput. illa 12. vbi asserunt Aristotelem definiuisse primam substantiam ad modum concreti accidentalis. Poterunt etiam videri disp. 5. quæst. 1. in respons. ad confir. 3. argumenti.

Hoc posito dico, cùm suppositum significet pro formali existentiam substantialem indiuiduam in concreto, seu modum particulariter subsistendi, qui quidem modus est extra essentiam substantiæ, & qui consequenter ex modo nostro concipiendi consideratur ad modum cuiusdam concreti accidentalis. Dico, inquam, prædictum nomen suppositi ex modo significandi & denominatiuè importare vt quod subiectum, cui talis modus particulariter existendi conuenit (quod subiectum, est indiuiduum substantiale) licet quantum ad rem significatam modum particulariter existendi per se, seu existentiam substantialem, vt indiuiduam significet, vnde cùm in substantiis separatis, gradus indiuidualis non sit distinctus à gradu specifico, sicut est in compositis ex materia & forma. Propterea D. Th. dicit, Personam in rebus separatis, non distingui re à natura, quia si consideretur Persona quantum ad subiectum quod ex modo significandi importat, quod quidem est indiuiduum, vt dictum est, illud non affert gradum realem distinctum à gradu specifico, quamuis distinctum gradum afferat in rebus materialibus, & propterea D. Th. dicit in illis suppositum distingui re à natura, quantum ad id etiam quod ex modo significandi importatur à supposito.

Obiicitur ex D.Th. eadem quæst.9. art.5. ad 4. quod Persona in rebus materialibus, compositionem quidem dicit, non autem in rebus immaterialibus.

Respondeo, D.Th. solùm excludere à Persona Angelica compositionem illam, quæ est in rebus materialibus, compositionem scilicet Physicam, ex materia & forma, non autem compositionem Metaphysicam quæ fit ex essentia & existentia.

Responderi potest 2. quod D. Th. negat solùm compositionem in Persona Angelica, quantum ad ea quæ per se & essentialiter naturæ Angelicæ conueniunt, non autem quantum ad omnia quæ dicit Persona Angelica.

Respondeo 3. D. Th. loqui de Persona Angelica radicaliter, seu quantum ad id quod importat ex modo significandi, non autem quantum ad ea quæ importat, tam ex modo significandi, quàm ex parte rei significatæ.

Obiicitur ex Aristotele 7. Metaph. textu 21. quod, quod quid erat esse, est idē cū eo cuius est, at quod quid erat esse, est idem ac essentia seu natura, & id cuius est quidditas seu natura, est suppositum: ergo suppositum & natura sunt idem realiter: & textu 41. idem repetit de substantiis separatis à materia.

Respondeo cum Nazar. 1. parte, quæst. 50. art. 2. contro. 4. notat. 2. quod illud cuius est, potest considerari duobus modis, vel Logicè, vel Metaphysicè, seu Physicè; Metaphysicè idem est ac suppositum, seu hypostasis: si verò Logicè, tunc non sumitur solùm pro supposito seu Persona, sed etiam pro eo quod per se supponitur prædicationi definitionis quidditatis, quod est species; & hoc vltimo modo sumpsit Aristoteles illud cuius est: vult ergo solùm per hoc Philosophus non quod natura & hypostasis non distinguantur, sed quod species & definitio non distinguuntur. Possunt & aliæ solutiones quas attulimus primo argumento, & præsenti applicari.

Respondeo 2. cum D. Th. quodlib. 2. q. 2. art. 4. in corp. & q. vn ca de vnione Verbi art. 3. ad vlt. vbi hæc habet. *Ad vltimum dicendum quod quid est, seu essentia vniuscuiusque esse idem cum eo cuius est, quantum ad ea quæ sunt per se; non quantum ad ea quæ sunt per accidens, seu quantum ad ea quæ sunt extra essentiam, quia illa omnia sunt naturæ specificæ accidentalia, & ideo quidquid sit illud, cui potest aliud accidere præter naturam specificam, non est omnino idem cum sua essentia.* Hæc ille.

Obiicitur ex D. Tho. quodlib. 2. quæstione secunda, art. 4. ad vltimum, Personam solùm ex modo significandi à natura distingui.

Respondeo distinguendo. Persona distinguitur solùm ex modo significandi à natura, quoad prædicata essentialia, & per se naturæ conuenientia, concedo; quo ad ea quæ accidentaliter naturæ specificæ conueniunt, nego. Ista solutio est eiusdem D. Th. ibid. in Corp articuli, vbi expressè asserit suppositum addere esse supra essentiam. Possunt & aliæ solutiones præced. argumentis datæ, & præsenti applicari.

Obiicitur ex eodem D. Th. Opusc. 37. cap. 4. versus medium, suppositum non distingui à natura in rebus immaterialibus per aliquid eiusdem generis.

Respondeo 1 quod per suppositum D. Th intelligit indiuiduum, vt videre est apud illum ibid. Distinguit enim indiuidua rerum materialium ab indiuiduis immaterialium, quia hæc non repetuntur per ordinem ad quantitatem, sicut accidit in materialibus.

Respondeo 2. distinguendo. Non distinguitur suppositum à natura in Angelis, per aliquid eiusdem generis, quod determinet intrinsecè naturam Angelicam, concedo; per aliquid eiusdem generis, quod determinet extrinsecè naturam, nego. Ista solutio est desumpta ex D. Th. quodlib. 2. quęst. 2. artic. 4. ad 1. vt declarabitur infrà q. 3 §. 2. n.

Obiicitur, concretum nō significat aliquid distinctum ab abstracto: at homo est concretum significans suppositum: ergo non significat aliquid distinctum realiter ab humanitate.

Respondeo, distinguendo maiorem, non significat aliquid distinctum ab abstracto, ex parte rei si-

gnificatæ, transeat, quantum ad id quod importat ex modo significandi, nego: Licet ergo homo humanitatem solùm importaret, quantum ad rem significatam, tamen ex modo significandi, suppositum inuoluit & pro eo supponit.

Respondeo secundò dist. eamdem maiorem, non significat distinctè, & explicite aliquid ab abstracto distinctum, concedo. Non significat aliquid aliud indistinctè, implicite, & supposititie, nego. Vide D.Th.q.vnica de vnione Verbi art.3.ad 5.& in 3. dist.5. q. 1. art. 3. vbi expressè dicit, quod homo significat suppositum, non quidem distinctè, & explicite, sed implicite, & indistinctè seu suppositie, quia (inquit) *non quodlibet concretum significat suppositum distinctè, sed illud solum quod significat singulare completum natura substantialis.*

QVÆSTIO II.

Vtrum hypostasis seu Persona creata dicat solum aliquid negatiuum supra naturam indiuiduam.

Resolutio quæstionis.

§. I.

10. PRima Sententia est Scoti, affirmatiuam sequentis, sit tamen contra eum.

Concl. hypost. seu Persona creata, non solum dicit aliquid negatiuũ supra naturam, sicut dicit Scotus, sed vere dicit aliquid positiuum, realiter, positiue à natura distinctum (quidquid illud sit.) In hac conclus. conueniunt fere omnes, tum Philosophicum Theologi. Poterunt videri Suarez, & Cabreralocis à nobis, quæst. præcedenti citatis, item Nazar. 1.p. quæst.50. art.2. controu.3.

Antequam procedamus ad nostræ conclusionis probationem, oportet scire, quid sit illa negatio, quam dicit Scotus, esse constitutiuam suppositi: dicit ergo, quod illa negatio, est negatio duplicis dependentiæ, aptitudinalis scilicet, & actualis; aptitudinalis, vt per hanc, à ratione Personæ, animam excludat, quæ licet à corpore separata subsistat, tamen non est Persona, quia dicit aptitudinem, ad hoc vt vniatur corpori, & cum eo suppositum constituat, à quo dependeret, si illud vna cum corpore conficeret; actualis verò, vt per hanc, rationem quoque Personæ ab humanitate Christi excludat, propter actualem vnionem quam habet cum Verbo, à quo actualiter pendet.

Et si obiicias Scoto, quod Petrus v.g. non habet negationem aptitudinalis dependentiæ, quia cum omnibus positiuis quæ sunt in eo, potest in eius sententia vniri Verbo diuino, vel alteri Personæ diuinæ.

Respondetur, quod Petrus habet solùm non repugnantiam ad hoc vt vniatur Verbo, non vero aptitudinem, quasi diceret Petrum habere solum obedientialem ad hanc vnionem, non vero natiuam seu naturalem potentiam, & propterea quando actu ab vnione cum Verbo separatur, posse dici Personam, sicut è conuerso, quia humanitas Christi actualem dicit dependentiam à Verbo, cui vnitur; propterea dicit eam non esse personam, quamuis de facto omnia positiua ad id requisita habeat, quæ eum in esse talis constituerent si ne-

gationem haberet actualis illius dependentiæ à Verbo.

Ex his apparet euidenter, quod hæc sententia Scoti, non distinguitur in re à Durandi sententia vt optime aduertit Suarez disput. superius citata, sect.2. a. num.8. vsque ad 10. vbi egregiè illam impugnat & ratio est, quia Durandus quoque dicit ad hoc, vt significetur natura per modum concreti, desiderari, quod dicat negationem dependentiæ ab alio, & vnionis cum eo; vnde iisdem rationibus, quibus superiorem sententiam impugnauimus, debet etiam hæc impugnari, & vlterius impugnatur, quia

11. Implicat illud, quod est perfectissimum in toto genere substantiæ, constitui formaliter per aliquam negationem: sed hypostasis seu Persona creata, dicit illud, quod est perfectissimum in toto genere substantiæ ex D. Th. 1. p. q. 29. a. 3. ergo, &c.

Maior est certa, quia constitutum est tale per suum constitutiuum: ergo si constitutiuum est perfectissimum, constitutiuum etiam debebit esse perfectissimum.

Minor autem probatur, quia hypostasis seu Persona, significat substantiam omnino completam, & cui non potest fieri additio in genere substantiæ, & propterea negationem dicit communicabilitatis & vnionis substantialis cum quouis alio, quocum faciat vnum per se: illud enim quod est completum, non indiget alio, vt compleatur: ergo illud quod est omnino completum in genere substantiæ, dicit negationem vnionis cum alio, à quo in illo genere compleatur, alioquin idem esset simul completum in genere substantiæ, & non completum.

Ex quo patet, quod negatio communicabilitatis, quæ est in hypostasi vel Persona, non est illius constitutiua, sed ad eius constitutiuum sequitur; sicut enim ad gradum substantiæ, quæ facit & constituit ens per se, sequitur incapacitas & negatio inhærendi, seu essendi in alio, & ad gradum corporis, per quem constituitur substantia radix quantitatis, incapacitas, & negatio immaterialitatis, seu puræ spiritalitatis: ad gradum viuentis per quem constituitur ens capax mouendi se à principio intrinsèco, negatio incapacitatis hoc modo se mouendi, sicut est in non viuentibus, & sic de aliis gradibus: ita similiter ad suppositalitatem, per quam ens vltimo completur & terminatur in genere substantiæ, sequitur negatio, & incapacitas vlterioris completionis, seu vlterioris vnionis cum altero, per quod compleatur.

12. Et si dicas ex hoc discursu sequi, quod natura diuina non possit habere plura supposita, quia vt suppositata, per vnum suppositum, acquirit repugnantiam ad hoc, vt vniatur, & communicetur alteri.

Respondeo, quod essentia diuina acquirit solum repugnantiam ab hoc, vt alteri supposito communicetur, secundum quod suppositata est formaliter, & reduplicatiue, id est secundum rationem suppositalem, non autem ad hoc vt absolute, & secundum se communicetur alteri supposito; licet enim ratio suppositalis in creatis reddat non solum suppositum secundum rationem suppositalem, sed etiam ipsam naturalem, alteri supposito incommunicabilem, hoc tamen non præstat in diuinis propter triplicem rationem.

Prima

Prima ratio est, quia personalitas diuina est formaliter relatiua, cum relatio sit in ordine ad aliud, quod sit eiusdem ordinis secum, & non in ordine ad aliud, quod sit inferioris ordinis; propterea personalitas diuina, exigit necessario aliã personalitatẽ, quę sit eiusdẽ ordinis, & perfectionis secum, ad quam referatur, & cum illa non possit esse eiusdem perfectionis cum alia relatiua personalitate, nisi essentiæ diuinæ sit personalitas, eamque sibi identificet; hinc fit quod in natura diuina, plures necessario debeant esse personalitates, & plures consequenter Personæ, & cum natura diuina sit immultiplicabilis omnino, debent consequenter in vna natura diuina esse plures Personæ; at personalitas, seu suppositalitas creata est absoluta, & consequẽter reddit naturam in qua est, incommunicabilem absolute cuilibet alteri: ergo tantum abest, quod exigat in eadem natura aliam suppositalitatem, sicut facit relatiua, quin potius excludit ab ea consortium cuiuscumq; alterius suppositalitatis.

13. Secunda ratio est, quia ex se, & ex ratione sua, essentia diuina habet ordinari ad tria supposita, propter infinitatem suam, & inde fit, quod suppositata per vnum, non acquirat repugnantiam, ad hoc vt actu, & de facto secundum se, alteri adhuc communicetur supposito, licet hoc ei repugnet, secundum quod formaliter suppositata est, seu secundum rationem suppositalem formalem: sicut enim anima rationalis terminata per subsistentiam, non acquirit repugnantiam, vt secundum se materię communicetur, quia ex se & natura sua ordinatur ad illam: ita quia essentia diuina ex sua infinitate, in ordine & genere entis, exigit terminari per tria supposita, propterea per vnũ suppositũ terminata, non redditur incapax, vt per aliud suppositũ terminetur, licet sit alteri supposito incommunicabilis, vt suppositata est, id est secundum rationem suppositi: cum autem natura creata propter finitatem suam & limitationem petat solum ex se, vno supposito terminari, hinc fit quod terminata per subsistentiam suam indiuiduam & limitatam, reddatur, non solum in ratione suppositi, alteri supposito incommunicabilis, sed etiam secundum propriam rationem naturæ.

Tertia ratio est, quia illud per quod redditur suppositum diuinum alteri supposito incommunicabile, est quid subsistens, & propterea totum in seipso sistit, nec expandit suum effectum formalem, supra naturam diuinam, constituendo illam, aut relatiuam, relatiueque oppositam, & alteri supposito incommunicabilem, sed totum illum effectum, aut quasi effectum ad seipsum reuocat, & reducit & sic suppositum diuinum, redditur solum alteri incommunicabile, secundum rationem formalem suppositalitatis, id est secundum rationem relatiui, non autem secundum id quod absolutè includit: at in creatis ratio suppositalis, per quam vltimo terminatur natura, non est subsistens, sed recipitur in natura per modum cuiusdam formæ, & propterea expandit suum effectum formalem supra naturam ipsam, facitque illam incommunicabilem alteri supposito, sicut & ipsum suppositum quod constituit.

14. Et ex illa radice prouenit alia diuersitas inter suppositum creatum

& diuinum, quia sicut forma informando materiam, limitat eam & reddit eam incapacem, vt recipiat aliam formam, & materia recipiendo formam, limitat eam, reddendo eam incepacem, vt alteram materiam informet; ita suppositalitas creata informando naturam, reddit eam incapacem, vt iam diximus ad receptionem alterius suppositalitatis, & ad faciendum vnum per se cum ea; & similiter natura recipiens suppositalitatem reddit eam incommunicabilem alteri naturæ, & incapacem ad faciendum vnum per se cum altera natura, quia natura recipiendo suum vltimum terminum, facit illum sibi proprium, reddendo illum alteri naturæ prorsus incommunicabilem, sicut materia recipiendo formam, facit illam sibi propriam, & incommunicabilem prorsus cuicũque alteri portioni materiæ: at in diuinis, quia natura diuina non habet rationem potentiæ, respectu propriæ personalitatis, hinc fit quod natura diuina non limitat eam ad hoc, vt sit solum propria sibi, sed relinquit adhuc eam naturæ creatæ communicabilem, vt patet in verbo, quod non solum naturam diuinã, sed etiam humanam terminat: & similiter quia personalitas non informat naturam diuinam, sed est subsistens & irrecepta, propterea relinquit naturam diuinam adhuc communicabilem aliis personalitatibus eiusdem ordinis.

Ex his omnibus potest secundò, sic probari nostra conclusio. Illud per quod suppositum creatum repugnantiam habet faciendi vnum per se cum altero supposito, est illud per quod suppositum creatum constituitur in ratione suppositi; sed suppositum creatum, habet prædictam repugnantiam per aliquid positiuum; ergo. Maior patet, quia sicut per differentiam indiuidualem, natura dicit repugnantiam faciendi vnum per se cum altera natura; ita per suppositalem rationem, suppositum debet dicere repugnantiam faciendi vnum per se cum altero supposito.

Minor autem probatur, quia negatio quæ dicit repugnantiam, & incapacitatem ad aliquid, fundatur formaliter in aliquã positiua entitate, cui repugnat affirmatio opposita negationi: sed negatio duplicis illius dependentiæ, quam dicit suppositum, est negatio repugnantiæ & incapacitatis, ad hoc vt alteri supposito communicetur: ergo fundatur formaliter in positiua aliqua entitate, cui repugnat alterum suppositum, & cuius negationem formaliter importat.

Maior patet omnibus exemplis superius allatis; ideo enim substantia dicit negationem essendi in alio, seu repugnantiam inhærendi, quia dicit ens per se, cui repugnat inhæsio: & ideo homo dicit negationem seu repugnantiam irrationalitatis, quæ est in brutis, quia dicit rationalitatem, cui opponitur irrationalitas, & sic de aliis. Minor autem est certa, quia suppositum est alteri supposito omnino incommunicabile, & cum eo omnino repugnantiam habet in ratione suppositi, quia quodlibet ex illis est vltimus terminus; ergo quodlibet ex illis excludit à se vlteriorem terminum à quo terminetur, & cum quo faciat vnum per se, alioquin idem simul esset vltimus terminus substantiæ, & non vltimus terminus.

Vnde sic potest in forma probari illa minor. Illud quod aduenit enti omnino in actu, & omnino completo, non potest facere vnum per se cum eo : sed si suppositum adueniret alteri supposito, & cum eo coniungeretur, suppositutm illud secundum, adueniret enti in actu & prorsus completo, cum suppositum vltimo terminet naturam, & sit velut vltimum sigillum, tribuens complementum prædicamento substantiæ: ergo suppositum secundum adueniens alteri supposito, non faceret vnum ens per se, & vnum ens simpliciter cum alio supposito; ergo suppositum dicit ab intrinseco repugnantiam communicabilitatis cum alio supposito,& incapacitatem constituendi vnum per se cum eo.

15. Dices cum Scoto, non esse necesse, quod negatio communicabilitatis quam dicit suppositum fundetur in aliquo positiuo, quod repugnantiam habeat cum alio positiuo, cuius illa negatio dicitur esse negatio, priuatio enim visionis beatificæ in intellectu hominis, non sequitur ad aliquam entitatem,quæ repugnet cum visione beatifica, alioquin intellectus hominis, nunquam posset videre Deum; similiter negatio seu priuatio lucis in aere, non sequitur ad aliquam entitatem, quæ cum luce repugnet, alioquin aer nũquam posset illuminari; ergo similiter negatio quam importat suppositum, non sequetur ad aliquid, quod habeat repugnantiam cum eo, quod negat talis negatio.

Respondetur, quod illæ negationes de quibus agitur in instantia facta, non sunt negationes repugnantiæ & incapacitatis, sed potius negationes non repugnantiæ & capacitatis, seu aptitudinis & potentiæ ad receptionem illius formæ, cuius sunt negationes; vbi negatio communicabilitatis, quæ est in supposito respectu alterius suppositi, est negatio repugnantiæ, & incapacitatis in subiecto, id est in supposito, ad hoc vt cõmunicetur alteri (vt probatum est efficaciter;) & potest adhuc probari, quia illud quod dat esse simpliciter, non supponit in eo illud idem esse simpliciter quod dat, alioqui certe non daret esse simpliciter, sed daret esse secũdum quid: sed in creatis ratio quam addit suppositum supra naturam,dat esse simpliciter suppositale supposito : ergo implicat quod suppositum adueniens alteri supposito, faciat vnum simpliciter cum eo in ratione suppositi.

16. Probatur tertiò nostra conclusio, illud quod Verbum diuinum primario supplet in humanitate Christi, est illud, quod constituit suppositum, & Personam in ratione Personæ: sed negatio non potest esse illud, quod Verbum diuinum primario supplet in humanitate Christi; ergo, &c. Maior patet, quia in Incarnatione, vnio facta est formaliter in Persona; ergo illud quod Verbum diuinum primario supplet, debet esse illud, quod formaliter constitueret humanitatem in ratione Personæ, si de facto in humanitate non deesset : minor etiam patet, quia negatio nihil est; ergo si Verbum diuinum suppleret negationem, suppleret nihil.

Sed probatur eadem minor alia ratione. Illud quod Verbum diuinum supplet, est id in quod refunderentur actiones humanitatis Christi, si de facto Verbum diuiunm eam non terminaret : sed negatio Scotica

duplicis illius dependentiæ, non esset id, in quod refunderentur actiones humanitatis Christi, si Verbum diuinum eam non terminaret, quia certe nullus sanæ mentis dixerit, quod actio positiua refundatur in aliquid negatiuum tamquam in sui principium, cum vnumquodque agat, inquantum est ens, & ens in actu positum; cum ergo actio refundatur in suppositum, tamquam in principium quod, quia (vt commune fert axioma) actiones sunt suppositorum, impossibile est quod ratio formalis, per quam constituitur suppositum in ratione suppositi, sit quid negatiuum, sed debet necessario esse entitas vera, realis & positiua.

Confirmatur, quia si suppositum constituatur per aliquid negatiuum, sequitur quod DEVS non redemerit nos, quod actiones Christi non sint valoris infiniti, quod non sit communicatio idiomatum in Christo, at omnes istæ consequentiæ sunt falsæ: ergo. Probatur maior, quoad primam consequentiam (ex qua aliæ postea consequentiæ euidenter inferuntur) quia si suppositum, constituitur per quid negatiuum formaliter, non possunt actiones refundi in suppositum formaliter, tamquam in principium, quia (vt dictum est) illud quod est negatiuum non potest positiue influere in positiuum, aliàs negatiuum ageret extra sphæram actiuitatis suæ, cum negatiuum positiuo sit imperfectius; ergo si suppositum constituitur formaliter per negationem, suppositum non aget formaliter vt quod, per constitutiuum suum: ergo cùm DEVS per personam Verbi suppleat in Christo munus personalitatis humanæ, DEVS non producet vt quod actiones humanitatis Christi, & sic filius Dei non dicetur Redemptor noster, sed sola humanitas Christi, nec DEVS dicetur mortuus per communicationem idiomatum, nec actiones Christi humanæ erunt valoris infiniti, quia nō refundentur amplius in Verbum, tamquam in principium quod, quæ est ratio, quare tantus valor eis à Theologis concedatur.

17. Confirmatur, quia illa substantia, quæ habet omnia positiua, quæ habet suppositum creatum, habet illa omnia, in quæ potest reduci actio: sed humanitas Christi sine Verbo habet omnia positiua, quæ dicit suppositum verbi gratia Petri: ergo habet omnia, in quæ potest reduci actio humanitatis sine Verbo; & cum de facto actio reducatur in suppositum, debebit humanitas Christi esse de facto suppositata sine Verbo, & sic erunt duo supposita in Christo: ex quo patet quod ista sententia sicut & præcedens fauet errori Nestorij.

Confirmatur, quia illa substantia quæ est omnino completa, & terminata intra genus substantiæ est suppositata; sed humanitas Christi est omnino completa, & terminata intra genus substantiæ sine Verbo: ergo sine Verbo est suppositata; ergo erunt in Christo duo supposita, creatum scilicet, & increatum. Maior patet, quia suppositum dicit complementum, & vltimum terminum naturæ subantialis, cum suppositum subiiciatur omnibus prædicatis substantialibus, quæ pcnuntur in prædicamento substantiæ: ergo sub-

stantia quæ est omnino completa & terminata intra genus substantiæ, est suppositata. Sed probatur vlterius eadem maior, quia illa substantia, quæ dicit negationem communicabilitatis cum altero, quocum faciat vnum simpliciter, est suppositata: sed illa quæ est omnino completa intra genus substantiæ; dicit negationem vlterioris communicabilitatis cum altero, quocum faciat vnum per se, quia si diceret adhuc aptitudinem cõmunicabilitatis cum altero, non esset completa, donec gradui illi communicaretur, cui de facto posset communicari: ergo illa quæ est completa debet dicere negationem talis communicabilitatis, & consequenter esse suppositata. Minor autem primi argumenti probatur, quia substantia, quæ continet in se omnia positiua, quæ sunt à primo vsque ad vltimum substantiæ gradum, est positiue completa & terminata: sed humanitas Christi habet omnia positiua, quæ sunt à primo gradu substantiæ vsque ad vltimum, & hoc sine Verbo, quia nihil est positiuum (secundum ipsos) in Petro, quod non sit in humanitate Christi præcisa à Verbo; ergo erit suppositata sine Verbó.

18. Quod si dicas quod humanitas Christi non habet negationem communicabilitatis, seu potius communicationis cum altero, quam habet Petrus, quia de facto Verbo communicatur, & ab eo dependet, vbi Petrus nulli communicatur, & à nullo actu dependet, & consequenter quod Petrus est suppositum, non autem humanitas Christi præcisa à Verbo.

Contra quia negatio illa non est aliquid substantiale: ergo sine tali negatione humanitas habet omnia substantialia, quæ sunt in prædicamento substantiæ, & consequenter humanitas, sine tali negatione, erit omnino completa in genere substantiæ. Deinde eo ipso quod humanitas Christi sit positiue terminata, eo ipso habet negationem communicationis cum alio quocum faciat vnum per se, quia negatio illa sequitur ad positiuam terminationem naturæ: sicut enim eo ipso quod linea positiue puncto terminatur, eo ipso habet diuidi ab alia linea, & dicere negationem coniunctionis cum illa; ita eo ipso quod humanitas Christi, habeat omnia positiua, quæ sunt in prædicamento substantiæ, & consequenter positiue terminetur, eo ipso debet inuoluere negationem communicationis & coniunctionis cum altero, quo cum faciat vnum per se; vnde licet cum Verbo vniatur, illa tamen vnio non erit vnio per se, sed solum vnio accidentalis.

Dices quod humanitas Christi ita cum Verbo coniungitur, vt ab illo dependeat, & consequenter vnietur ei per se & non per accidens.

Contra, quia vt Verbum faceret cum illa vnum per se, deberet supplere aliquid, quod faceret cum ea si adesset vnum per se: sed Verbum non supplet aliquid huiusmodi: ergo. Maior patet, probatur minor, quia ex illa sententia Scoti, humanitas Christi habet omnia illa positiua, quæ habet verbi gratia Petrus, & sola negatio coniunctionis cum altero illi deest, quam habet Petrus: ergo cum Verbum suppleat quod deest in humanitate, Verbum supplebit solam illam negationem, & cum negatio non possit facere vnum per se cũ positiuo (vt euidens est) Verbũ diui-

nũ non supplebit aliquid, quod faciat vnum per se cũ humanitate: vnde dicere quod humanitas Christi per se à Verbo diuino dependet in ratione suppositali, & tamen nihil deesse humanitati positiui ad rationem suppositi pertinens, est prorsus inimaginabile.

19. Probatur vltimo nostra cõclusio ex SS. PP. & Conciliis asserentibus verbũ assumpsisse humanitatem, non hominem seu personam creatam hominis, & assumendo humanitatẽ, consumpsisse personalitatem, non naturã at isti modi loquendi non possunt rectè exponi, nisi dicatur in hominis persona, esse aliquid distinctum ab ipsa natura, præter illam duplicem negationem Scoti, quia alioqui si nihil esset in persona hominis præter negationem illã duplicẽ, sequeretur quod quãdo dicitur, quod Verbum assumpsit humanitatem non hominem, sensus esset, quod assumpsit humanitatem, tollendo negationem vnionis cum alio; & quando dicitur quod consumpsit personam non naturam, sensus esset quod consumpsit negationẽ vnionis cum Verbo quam habebat ante vnionem, quæ certe expositiones sunt omnino ridiculæ. Quis enim dubitet quod Verbũ assumendo humanitatem, & illam vniendo sibi, non sustulerit ab humanitate negationẽ vnionis cum Verbo quam habebat ante vnionem? & quid noui concilium determinasset? Vnde proculdubio aliud voluerunt decernere concilia, quod scilicet Verbum assumendo humanitatem, impediuit ne positiue terminaretur per personalitatem creatã, quæ est aliqua entitas positiua, quam Verbum consumpsit vniendo sibi humanitatem. Videatur Suarez loco superius cit.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur ex D. Damasceno lib. 3. de fide cap. 6. Verbũ assumpsisse, quidquid in natura humana plantauit; at plantauit in natura humana, quidquid in ea est positiuum, ergo cum verbum non assumpsit personam, persona non consistit formaliter in aliquo positiuo, sed in aliquo negatiuo, conf. nam ibi[illegible] dicit, illud, quod nõ est à Verbo assumptũ, non esse sanatum; ergo si quid positiuum est in homine quod non fuerit assumptum, erit aliquid, quod non est sanatum.

20. Respondeo quod Damasc. in primo loco satis se explicuit, quia dixit Deum assumpsisse quidquid in natura humana plantauit, non quidquid in homine plantauit, vt per hoc denotaret ab ipso, assumptum fuisse illud quod est in natura, præcisa à suppositalitate, quã indistinctè, suppositiue, & ex modo significandi, homo importat.

Ad confir. autem respondeo, quod ibi Damascenus disputabat contra hæreticos, qui negabant Verbum assumpsisse animam, & contra eos probat eã debuisse assumi à Verbo, quia scilicet fuerat formaliter vulnerata per peccatum, qui quidem modus argumentandi est optimus, cum enim peccatum gratiam sustulerit, quæ immediate residet in anima, & per consequens anima ipsa fuerit formaliter & immediate vulnerata, debuit Verbum assumere animam, & eam sibi vnire, vt eam Sacratissimo

Chrismate hypostaticæ vnionis sanaret: at cum suppositum non fuerit distincto vulnere percussum ab illis vulneribus, quæ resident in anima, & eius potentiis, non fuit consequenter necesse, quod suppositum à Verbo assumeretur, sed sicut fuit per vulnera animæ & potentiarum eius vulneratum; ita per assumptionem animæ, & potentiarum eius, fuit sanatum.

Responderi potest secundo illud, quod non est assumptum, non esse sanatum, distinguo, si illud sit assumptibile, concedo, si autem illud non sit assumptibile in vnionem personæ, nego; vnde cum persona humana sit inassumptibilis in vnionem personæ diuinæ, non sequitur non esse sanatam, si non sit assumpta, quod tamen inferretur de anima si non esset assumpta, cum illa sit assumptibilis.

Obiicitur ex D. Th. in tertium dist. 6. quæst. 1. art. 2. ad quintum vbi habet ista verba, *Dicendum, quod hoc quod facit coniunctum, ex anima & corpore, esse hominem, non est præter animam, & corpus, & vnionem, aliquid positiue, sed ex hoc ipso, quod ipsum compositum ex anima & corpore, non adiungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur quod coniunctum sit homo.* Ergo cum homo significet personam siue suppositum, suppositum non dicet præter compositum, nisi solam negationem vnionis cum altero.

Antequam argumento satisfaciamus notãda sunt duo breuiter; primũ D. Th. respõdere auctoritati Damasc in qua dicit Verbũ assumpsisse quidquid in natura plantauit: secundum. hominem significare de formali coniunctum ex anima & corpore, licet de materiali & suppositiue significet suppositum. Hoc posito.

Respondeo quod D. Th. loquitur de eo quod significat homo formaliter, non de eo quod significat materialiter, & suppositiue, id est de eo, pro quo supponit, quod est suppositum Vide D. Tho. ibid. ad quartum. vult ergo solum SS. Doct. per prædicta verba illud quod formaliter & immediate significatur per hominem, esse corpus & animam, quatenus coniunguntur adinuicem, nec tamen inde sequi quod Verbum assumpserit hominem sicut intendit argumentum, quia licet homo de formali naturam hominis solum significet, & de facto Verbum assumpserit quidquid est de natura hominis, per quod satisfit auctoritati Damasc. tamen quia homo de materiali suppositum connotat, quod constituitur per corpus & animam vnita, quatenus existunt per se, vt ibid. ad 3. & 3. p. q. 2. a. 5. ad 1. idem SS. Doctor ostendit, ideo fit non posse dici quod Verbum hominem assumpserit.

Respondeo secundo, ex quodlibeto secundo q. 2. ar. 4. ad primũ, quod homo, secũdum quod sumitur etiam pro eo pro quo supponit, id est pro supposito; non dicit aliquid positiuũ, præter compositum, distinguo, per modum intrinsece determinantis principia indiuiduantia ipsius, concedo; per modum extrinsece determinantis rationem indiuiduam ipsius, nego, quia præter eam addit ahuc esse. Ista solutio explicabitur inferius in quæst. seq. respondendo obiectionibus.

QVÆSTIO III.

Vtrum ex mente D. Thomæ existentia per se quatenus indiuidua seu quatenus gradum indiuidualem naturæ substantialis respicit, & cum ea vt sic coniungitur, sit ratio suppositi creati, constitutiua, an vero subsistentia Caietani.

Resoluitur quæstio.

§. I.

21. QVamuis à nullo authore, sub istis terminis, hæc quæst. agitari viderim, placuit tamen sub illis eam proponere, vt quæ S. Doct. circa hanc quæstionem mens fuerit, omnino detegatur; circa quam possunt duæ adduci sent. in quas Thomistæ diuiduntur.

Prima est Caietani 3. p. quæst. 4. art. 2. tenentis rationem intrinsece constitutiuam personæ esse subsistentiam, quam quidem, & à substantia indiuiduali, & ab existentia per se distinguit, additque per hanc subsistentiam, naturam indiuiduam constitui, in esse susceptiui quod, existentiæ. Caiet. sequuntur Nazar. 1. p. qu. 58. ar. 2. contro. 3. Cabrera 3. p. q. 4. ar. 2. dip. 3. Bannez. 1. p. q. 3. a. 3. dub. 1.

Secunda sentent. est aliorum non minus nobilium Thomistarum, qui asserunt nunquam D. Tho. admisisse illam realitatem mediam inter essentiam & existentiam, quam in scholam Thomisticam deforis aduocauit Caietanus, & propterea personam seu suppositum creatum, addere solum supra naturam indiuiduam, existentiam substantialem, quatenus indiuiduam, seu quatenus cum natura indiuiduali substantiali coniungitur, adduntque illam existentiam substantialem vnico vocabulo vocari subsistentiam, sicut existentia accidentalis vnico vocabulo vocatur inhæsio, sex inexistentia: & hæc sententia est omnino vera mens D. Tho. vt patebit ex numerosa authoritatum ex diuersis eius operibus desumptarum multitudine statim afferenda. Hanc sent. sequuntur Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad argument. contra tertiam conclusionem pag. 60. 61. 62. Paludanus in 3. dist. 1. qu. 1. art. 3. Deeza Hispal. in primum dist. 4. quæst. 2. Zumel 1. p. q. 3. art. 3. concl. 4. & q. 50. art. 2. qu. 3. illius art. Blasius verdu in sua Logica disp. de sex transcendibus quæst. 6. pag. 185. 136. Arubal. in concordia liberi arbitrij cum gratia lib. 3. disp. 3. cap. 4. nec non alij qui à Cabrera citantur disp. 3. cit. qui fatetur multos ex recentioribus Thomistis, in hanc ire sentent. quin etiam Suarez in sua Metaph. disp. 34. sect. 4. §. 3. num. 10. asserit supposita distinctione inter essentiam & existentiam, hanc esse altera longe probaliorem, imo & ipsemet Caiet. eam aliquando amplexus est, nimirum cap. 5. de ente & essent. qu. 8. ar. medio vsque ad finem & 1. p. q. 3. art. 3. sed 3. p. palinodiam cecinit.

22. Sed probatur quod ista sententia sit omnino de mente Sanctissimi Præceptoris nostri, & ne multitudo tam copiosa authoritatum confusionem pariat, in certas classes eas redigamus, & primo quidem ab authoritatibus

thoritatibus quæ aperte demonstrāt, existentiam per se, ad rationem personæ pertinere, incipiamus. Chorææ ducat insignis ille locus opusc. 48. tract. 3. de decem prædicamentis ca. 2. sub finem. *In quacumque substantia creata est compositio ex esse & essentia, quæ non est compositio materiæ & formæ, sed est compositio duorum principiorum suppositi, quorum essentia est potentia & esse est actus, vnde esse respectu essentiæ est accidens, quia est extra essentiā rei, & dicitur substantia, quia est in genere substantiæ sicut principium suppositi, & est actus simpliciter quia est in genere substantiæ.* Et 3. p. q. 19. a. 1. ad 4. habet ista verba *Esse & operari est personæ à natura, aliter tamē & aliter, nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personæ.* In 3. dist. 5. qu. 1. art. 3. *Esse per se est de ratione personæ.* quodlib. 2. q. 2. ar. 4. in corp. & ad primum probat suppositum distingui in creatis à natura, quia supra eam addit esse. & quodlib. 9. art. 3. in argum. Sed contra, petit distinctionem suppositi ab esse: ergo cum idem sit constitutiuum & distinctiuum, esse pertinebit necessario ad constitutionem suppositi; & cum suppositum creatum, per aliquid sibi intrinsecum & substantiale, à natura distinguatur, & solum per esse secundum S. Doctorem substantialiter à natura distinguatur, quia nullam in illo articulo nec vbicumque de supposito agit ex professo de illa Caiet. subsistentia, mentionem facit, existentia substantialis de necessitate pertinebit ad intrinsecam constitutionem suppositi creati; nec erit vllomodo necessaria illa subsistentia Caietani secundum mentem D. Tho. quia certe mirum esset quod illo quodlib. 2. quæstio. 2. articulo 4. ex professo agens de distinctione suppositi à natura, nullam prorsus mentionem fecisset de illa Caiet. subsistentia, quæ tamen secundum ipsum est intrinsece constitutiua suppositi, & solum per existentiam quæ in sent. Caiet. est supposito prorsus extrinseca, illud à natura substantialiter distinxisset.

23. Deinde art. illo 3. quodlib 9. ad secundum habet ista verba, *Operatio suppositi non est de integritate vnitatis eius, sed consequitur eius vnitatem, vnde suppositi vnius inuenimus multas operationes, secundum diuersa operationum principia, quæ suppo insunt, sicut homo aliud operatur lingua, aliud manu, sed esse est illud in quo fundatur vnitas suppositi & in corp. eiusdem art. dixerat quod in supposito duplex est esse, vnum scilicet ex iis ex quibus eius vnitas integratur: quod proprium est esse suppositi substantiale; aliud autem est esse supposito attributum præter ea quæ ipsum integrant.* Hæc ille. Ex quibus verbis apparet quod esse substantiale est de integritate suppositi, cum S. Doctor ab his quæ integrant suppositum solum esse accidentale excludat & propterea adducit sæpissime definitionem à Ricardo traditam, quod scil. persona sit naturæ rationalis indiuidua existentia: vide eum 1. p. quæst. 29. articulo 3. ad 4. in primum dist. 25. q. 1. a. 1. ad 8. & quæst. 9. de potent. articulo secundo ad 12. item opusc. 42. quod est de natura generis cap. 18. vbi hoc habet. *Rei naturæ quandoque accidit ratio suppositi, quando scilicet habet esse per se.* Et cap. anteced. duobus in locis dicit rationem hypostasis personæ & suppositi non conuenire nisi rei completæ existenti per se, & quæst. vnica de vnione Verbi articulo secundo ad 10.

Humana natura quandiu non est Verbo vnita, quia secundum se non existit, non habet proprium suppositum vel hypostasim præter personam Verbi, sed si separaretur à Verbo, haberet non solum proprium suppositum aut hypostasim, sed etiam propriam personam quia per se existeret. Et ad 14. *propriorum accidentium indiuiduatio sufficienter probat indiuiduationem humanæ naturæ in Christo, non autem quod habeat rationem suppositi aut hypostasis quia non per se existit.* Et ad 17. *Anima & corpus vnita constituunt suppositum & hypostasim, si per se existant*: Quæ loca similia omnino sunt iis quæ à D. Tho. dicuntur 3. p. quæstio. 2. articulo 2. ad 2. & ad 3. & articulo 5. ad 1. nam posteriori loco cum sibi obiecisset ex vnione animæ & corporis causari personam vel hypostasin, & consequenter humanitatem Christi præcisam à Verbo personam esse, respondet *Quod ideo in puris hominibus hoc accidit, quia anima & corpus sic in eis coniunguntur vt per se existant.* Et primo loco qui est articulo secundo ad secundum hæc habet. *Personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicuius rei & perfectionem eius pertinet quod per se existat, quod in nomine personæ intelligitur.* altero autem loco qui est ad tertium *sciendum*, inquit, *quod non quodlibet indiuiduum in genere substantiæ, etiam in rationali natura habet rationem personæ, sed solum illud quod per se existit.* Et immediate post subiungit. *Licet ergo hæc humana natura Christi sit quoddam indiuiduum in genere substantiæ, quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Verbi Dei, consequens est quod non habeat personalitatem propriam.*

Ex quibus locis potest elici argumentum efficax quando D. Tho. negat humanitatem Christi esse personam, ideo negat, quia deest humanitati Christi ratio propria & intrinsece constitutiua personæ: atqui D. Tho. ideo negat humanitatem Christi esse personam seu suppositum, quia humanitas non habet existentiam per se: ergo existentia per se pertinet ad rationem intrinsece constitutiuam personæ. Item quod est causa negationis, est causa affirmationis: sed negatio existentiæ per se, in humanitate Christi, est causa, cur negetur ratio suppositi in humanitate Christi; ergo existentia per se, est causa affirmationis suppositi.

24. Secunda Classis est aliarum authoritatum D. Tho. in quibus asserit S. Doctor subsistentiam & existentiam per se esse vnum & idem, vt quæstio. 21. de veritate articulo primo in corpore post med. *In quolibet autem ente, est duo considerare, sc. ipsam rationem speciei, & esse ipsum quo aliquid subsistit, in specie illa*, Et capite 5. de ente & essentia paulo ante finem hæc habet, *Quia intelligentis quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius, est ipsum quod est ipsa, & esse suum receptum à Deo, est id quo subsistit in rerum natura, & propter hoc à quibusdam huiusmodi substantiæ dicuntur componi ex quo est & quod est, vel ex esse & essentia.* Quodlib. 9. quæstio. quarta articulo 6. in corpore sub finem, eadem fere verba repetit (sic enim habet) *Sed quia substantia Angeli non est suum*

esse, hoc enim soli Deo competit, cui esse debetur à seipso, & non ab alio, inuenimus in Angelo & substantiam siue quidditatem eius qua subsistit, & esse eius quo subsistit, quo scilicet actu essendi dicitur esse, sicut actu currendi dicitur aliquis currere & sic dicimus Angelum compositum esse ex quo est & quod est, & quia ipsa substantia Angeli est in potentia ad esse, ideo est in eo compositio actus & potentiæ. Ex quo patet quomodo per esse, quo dixit Angelum subsistere, intelligat esse existentiæ, cum dicat tale esse facere compositionem cum essentia Angelica: ergo cum illud quo aliquid subsistit sit subsistentia, debet existentia per se esse vnum & idem cum subsistentia. prima parte quæstio. 29. articulo secundo in corpore. *Illa enim*, inquit, *subsistere dicimus quæ non in alio sed in se existunt.* quæstio. 9. de potentia articulo tertio ad 6. *Vel dicendum quod licet subesse à quo imponitur vocabulum subsistendi Deo non conueniat, tamen per se esse ad quod significandum imponitur competit ei*: ergo ex D. Tho. subsistere est impositum ad significandum existere per se.

25. Et si dicas D. Tho. per esse per se, intelligere, esse aptitudinale, seu aptitudinem ad essendum per se. Contra quia D. Tho. contradistinguit illud quod subsistere significat ab eo vnde huius nominis significatio est desumpta: ergo cum id à quo imponitur vocabulum subsistendi, sit ex ipsa potentia ad esse sub quo est substantia, vt ipsemet D. Tho. asserit, debet necessario dici quod id ad quod significandum est impositum, est aliud quam substantia, prout per modum potentiæ receptiuæ ad suum esse ordinatur; alioqui res significata non distingueretur à re vnde nominis significatio desumpta est, & vana est illa distinctio D. Tho. de subsistentia considerata secundum id, vnde nominis huius significatio est desumpta, & secundum id ad quod significandum nomen hoc est impositum.

In primum ad Hannibal. dist. 23. quæstio. vnica articulo quarto in corpore. *Esse significat id quod est in omnibus generibus commune, subsistere vero specialem modum essendi qui competit substantiis, scilicet esse per se.* In primum dist. 23. quæstio. prima articulo secundo ad 4. *Persona significat quid completum subsistens vel existens in natura intellectuali.* Nota quo modo sub disiunctione ponit subsistens vel existens, vt ostendat ista duo esse vnum & idem.

Ex his potest sic elici argumentum, in omnium sententia subsistentia debet pertinere intrinsece ad rationem constitutiuam suppositi, cum suppositum definiatur, subsistens distinctum in natura substantiali: sed existentia per se est subsistentia ex D. Tho. ergo.

Quod si obiicias ex SS. PP. plerisque in locis, & maxime ex D. Tho. in 1. dist. 23. qu. 1. subsistentiam esse ipsam essentiam substantiæ. Respondeo quod si alicubi D. Tho. dicat hoc, intelligendum de subsistentia aptitudinali & radicali, non de subsistentia actuali & formali, de qua quęstio procedit. & ista responsio fundatur in D. Tho. prima parte qu. 29. articulo secundo ad 5. vbi dicit

hypostasim à Boëtio tribui materiæ & subsistentiam, formæ, quia materia est principium substandi & forma principium subsistendi. Idem dicit quæstio. 9. de pot. articulo primo ad vlt.

Respondeo secundo, ex eod. D. Tho. quæstio. 9. de pot. articulo 3. ad 6. quod quantum ad modum significandi, & ad id vnde nomen imponitur, subsistentia significat quidem substantiam, vt est sub existentia; sed quantum ad id, quod formaliter significat, significat existere per se; & sic subsistentia, quantum ad rem significatam, dicitur potius talis ex eo quod faciat formaliter sub se sistere essentiam substantiæ, & vlterius non progredi, vt pote vltimus eius terminus, quam ex eo quod significet aliquid substractum existentiæ per modum potentiæ receptiuæ ipsius.

26. Tertia Classis est aliarum authoritatum, in quibus D. Tho. asserit suppositum seu personam, dicere illud quod est completissimum & & perfectissimum in toto genere substantiæ. Id expresse asserit 1. p. quæst. 29. art. 3. in corp. *Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura.* In 1. ad Annibald. dist. 23. quæstio. vnica art. 1. in argum. 2. sed contra, *Persona dicit quid completum existens in natura intellectuali.* Idem dicit in tertium dist. 5. q. 3. ar. 2. in argum. sed contra, & ad secundũ *Persona*, inquit, *habet rationem completi & totius* & ar. 3. in corp. dicit *esse contra rationem personæ quod trahatur ad aliquid sic cõpletius, quia persona importat maximam completionem* quæ tamen vera non essent si existentia non ingrederetur rationem personæ vt satis euidens est. Item quæstio. prima eiusd. dist. articulo 3. *Esse per se est de ratione personæ, & est similiter totalitas & comprehensio omnium quæ sunt in re.* 4. contra Gent. cap. 38. ait quod *persona nihil potest addere ad hypostasim nisi proprietatem aliquam, nihil enim potest addere ad genus substantiæ pertinens, cum hypostasis sit completissimum in genere substantiæ*: Ergo persona debet necessario includere existentiam per se, aliàs non esset quid completissimum in genere substantiæ tandem in 3. ad Annibald. dist. 5. quæstio. vnica articulo 4. ad 4. dicit suppositum afferre secum negationem cõmunicabilitatis passiuæ. & ead. dist. articulo secundo ad 4. dicit quod per ly indiuidua positum in definitione personæ triplex excluditur communicabilitas, partis scilicet vniuersalis, & alicui tanquam digniori.

Ex iis deducamus sic argumentum. Si suppositum constitueretur intrinsece per illam subsistentiam Caiet. & non per existentiam per se, sequeretur quod suppositum non esset id quod est completissimum, & perfectissimum in toto genere substantiæ, nec triplicem illam communicabilitatem statim à nobis allatam à sua ratione excluderet: ergo debet suppositum intrinsece constitui, non per illam subsistentiam Caiet. sed per existentiam per se. Anteced. patet quia existentia per se, est vltimum complementum substantiæ, & actus perfectissimus, qui sit in toto illo genere, ex D. Tho. quæst. 7. de pot. articulo 2. ad 9. 1. contra Gent. cap. 28. 1. p. quæst. 4. ar. 1. ad 3. opusculo 37. cap. primo & passim alibi: ergo si existentia non ingrediatur intrinsece rationem compositi, suppositum non erit id quod

est completissimum & perfectissimum in toto genere substantię. Quod etiam non dicat negationem communicabilitatis alicui tanquam digniori, probatur, quia posset de facto existentiæ communicari, quo cum faceret aliquod totum dignius & perfectius ipso supposito.

27. Quod si dicas illas authoritates probare quidem, quod existentia ingreditur rationem suppositi, non autem quod suppositum non dicat adhuc, præter existentiam substantialem, illam subsistentiam mediam Caietani.

Contra. Quia, vt ostendimus ex D. Thoma, subsistentia, & existentia sunt vnum & idem. Secundò, quia ex D.Th. 2. contra Gent. cap. 54. de quo poterit adhuc videri 3. contra Gent. cap. 65. & 66. & 1. p. quæst. 104. art. 1. ad 2. forma est complementum intrinsecum substantiæ, ad receptionem existentiæ, eo modo quo diaphaneitas complet aërem, vt sit principium susceptiuum luminis: ex quo sic facio argumentum. Si suppositum adderet supra substantiam indiuiduam aliquid aliud præter existentiam substantialem, deberet illud esse complementum substantiæ, ad recipiendam existentiam (vt etiam ipsemet Caiet. & eius sequaces fatentur) sed ex D.Th. forma complet substantiam, ad hoc vt sit principium susceptiuum existentiæ, eo modo quo diaphaneitas complet aërem, vt aër sit susceptiuus luminis: ergo sicut diaphaneitas est vltima ratio per quam completur aër ad receptionem luminis; ita forma substantialis est vltima ratio per quam completur substantia, ad hoc vt sit immediatè susceptiua existentiæ, & consequenter subsistentia illa Caietani est omnino inutilis.

Dices, formam complere substantiam, vt sit principium quo susceptiuum existentiæ, subsistentiam verò complere eam per modum principij quod.

Contra, quia ex locis superius allatis ex quodlib. 9. qu. 4. art. 6. cap. 5. de ente & essentia, ex 1. p. q. 50. art. 2. ad 3. q. 75. art. 5. ad 4. & plerisque aliis locis, illud quod est, est simplex forma in rebus immaterialibus, in materialibus verò, compositum ex materia & forma; ergo subsistentia illa Caiet. non est necessaria ad constituendam substantiam in esse principij quod susceptiui existentiæ, sed seipsâ, significatâ tamen in concreto, habebit rationem susceptiui quod existentiæ: dixi in concreto significata, quia si in abstracto consideretur & significetur, præscindit tunc ab existentia. Et consequenter non seipsam exprimit per modum recipientis existentiam, nec consequenter per modum principij quod existentiæ receptiui, eamque actu possidentis, sicut tamen debet facere suppositum.

Expenditur insignis Diui Thomæ authoritas, in qua asserit duplicem solum esse compositionem in rebus materialibus, & vnicam in substantiis separatis.

§. II.

28. Ex D.Thoma locis num. 27. relatis, in Angelis datur solùm vna compositio realis, scilicet essentiæ & existentiæ, & in rebus materialibus, datur solùm duplex, essentiæ, scilicet, & existentiæ, deinde materiæ & formæ: sed si daretur subsistentia

pletissimum, & perfectissimum in genere substantiæ: ergo suppositalitas debet esse actus aliquis maximè perfectus: ergo cum actus sit correlatiuus potentiæ, nisi sit omnino subsistens, irreceptus, & infinitus, debet subsistentia referri ad essentiam tamquam ad potentiam, quam intrinsece perficit, & cum ea consequenter facere compositionem.

Deinde potest eiusdem minoris pars illa sic probari, omne ens vel est actus, vel potentia: sed suppositalitas illa aduersariorum, est ens aliquod: ergo debet esse vel actus vel potentia; sed comparata ad essentiam non habet rationem potentiæ, quia perficit, actuat, & complet illam: ergo debet habere rationem actus: ergo vnita cum essentia faciet verè compositionem. Argumentum patet supposita veritate antecedentis, quod quidem probatur ex Aristotele 9. Metaphys. tex. 1. & 6. eiusdem Metaphys. tex. 4. & D. Thomas ibi lect. 2. tum etiam ex secundo contra Gent. capite 54. sub finem, vbi expresse dicit quod ens adæquate diuiditur in potentiam & actum.

Confirmatur quia secundum omnes Thomistas personalitas Verbi diuini facit compositionem cum humanitate quam terminat: ergo multo magis subsistentia creata cum propria natura quam terminat.

Ad exemplum autem allatum de puncto, Respondeo. quod punctum facit compositionem cum linea, cùm secundum probabiliorem sententiam, nihil sit aliud, quam modus quidam ipsius lineæ; at modus facit compositionem cum re quam modificat, ergo: sed siue sit modus, siue entitas alia distincta à lineæ partibus, debet semper cum illis facere compositionem, vt patet ex argumento, iam iam facto. Consule Cab. 2. 3. quæst. 4. disp. 3. parag. 6. num. 75. & Suarem disp. 34. met. sect. 4. n. 39. vel potest secundò responderi maximam esse differentiam inter punctum comparatum ad partem quantitatis quam terminat, & subsistentiam comparatam ad essentiã, quia subsistentia non est ita imperfecta intra genus substantiæ, sicut est punctum intra genus quantitatis, imo constituit personam seu suppositũ quo nihil est in toto genere substantiæ perfectius, vt ex D. Th. supra relatũ est, cõparaturq; ad essentiam vt actus ipsius: ergo faciet compositionem cum ea sicut actus cum sua potentia.

Sed dices, quod suppositalitas habet solũ rationẽ actus pure terminãtis essentiã, & nõ informãtis eã, & cõsequẽter, si quã facit compositionem cũ essentia, illa erit solũ cõpositio cũ iis, nõ cõpositio ex iis, & sic quãdo D. Th. dicit esse solum vnam compositionem in Angelis, & duplicem in rebus materialibus, erit solum intelligendus de compositione ex iis, quæ est solum duplex in rebus materialibus, & vnica in spiritalibus.

30. Sed contra, quia implicat quod subsistentia, seu suppositalitas creata, habeat rationem actus pure terminantis, & non informantis essentiam: & probatur quia ille actus, qui est subsistens, & irreceptus, est infinitus in illo genere, in quo est subsistens, & irreceptus & propterea D. Thò. dicit 1. p. q. 50. art. 2. ad 4. quod Angeli, qui sunt formæ subsistentes, & irreceptæ in materiæ, sunt infiniti inferius, inquantum non recipiuntur in mate-

ria, licet sint finiti superius, quia recipiunt suum esse à superiori; & immediate ante, in eadem responsione dixerat, quod omne esse creatum, est finitum, quia non est subsistens, ergo ex mente D. Th. id omne quod est subsistens, in eo genere in quo est subsistens, est infinitum; sed si subsistentia non informaret naturam, esset irrecepta & subsistens, quia omnis actus vel est informãs, vel subsistens; ergo si subsistentia non esset actus informans, esset subsistens; ergo in genere subsistendi, esset infinita: neque enim natura creata, subsistentiam limitat & restringit, eo quod eam terminet terminabilitate passiua, vt patet in humanitate Christi, quæ terminat terminabilitate passiua Verbum, sed eo quod vere recipiat talem actum, vt informantem, quia quando sic recipitur actus, recipitur vt pendens formaliter à potentia in qua recipitur, tamquam à suo sustentante, & vt recipiens ex tali vnione, capacitatem ad essendum saltem complete, ex vi enim talis vnionis coniungitur toti, cui per se primò debetur esse; vbi actus habens solum rationem terminantis, actuat potentiam suam per modum independentis ab ea, tamquam à sustentaculo, & consequenter per modum actus infiniti, & non limitati à sua potentia.

Confirmatur, quia in sententia saltem multorum, qui subsistentiam Caiet. admittunt, licet illa sit ratio recipiendi existentiam in natura, non tamen ipsius est receptiua, sed sola essentia, de qua re poteris videre Nauarrettam 1. p. controu. 19. parag. 2. ergo cum respectu essentiæ habeat rationem actus pure terminantis, & respectu existentiæ non habeat rationem potentiæ; habebit rationem actus purissimi, omnem à se potentialitatem excludentis.

31. Dices hoc quidem sequi in sententia eorum qui admittunt, subsistentiam illam, non habere rationem potentiæ receptiuæ, respectu existentiæ, sed non in sententia aliorum, qui dicunt, illam habere rationem potentiæ respectu illius.

Contra, quia ex D. Th. c. 5. de ente & essentia, & aliis locis superius allatis, sola essentia est, quæ facit compositionem cum existentia, nec vnquã reperietur apud D. Th. quod in compositione, quam facit essentia cũ existentia, sit aliquid aliud, quod vna cum essentia indiuidua sit existentiæ receptiuum: ergo sola essentia habet rationem potentiæ receptiuæ respectu existentiæ, non autem illa subsistentia Caietani. Instabis quod subsistentia debet necessario habere rationem puri termini, & esse subsistens; quomodo enim posset tribuere subsistere, si non subsisteret.

Respond. quod sicut ad hoc vt albedo faciat album, non est necesse quod sit alba vt quod; sed sufficit quod sit alba vt quo: Ita ad hoc vt subsistentia faciat subsistere, non est necesse quod ipsa subsistat vt quod, sed sufficit quod subsistat vt quo: ergo tamquam firma & inconcussa veritas est, quod illa subsistentia Caiet. veram & realem cum essentia faciet compositionem. Ex quo efficax valde contra aduersarios deducitur argumentum ex doctrina D. Th. depromptum.

Si daretur illa subsistentia medià inter essentiam & existentiam, ratio qua D. Th. probat Deum esse simplicem, nulla esset, & probatur. Quia hoc

hoc probat, adducendo ibi omnes modos compositionis, quos per præcedentes articulos excludit à Deo: at in nullo ex illis exclusit compositionem essentiæ & subsistentiæ illius mediæ, quia in illo articulo. vbi excludit à Deo compositionem suppositi & essentiæ, non agit ibi de supposito, secundum quod addit supra naturam illam subsistentiam mediam, etiam ex aduersariis, cùm illam compositionem non solùm à Deo, sed etiam ab Angelis excludat: ergo excludit solùm compositionem, quam suppositum materiale, secundùm rationem indiuidualem dicit cum natura specifica: ergo si datur illa subsistentia Caiet. quæ cum essentia compositionem faciat, D. Th. non arguet ex sufficienti compositionum omnium enumeratione ad excludendam compositionem quamcumque à Deo, quia præter enumeratas ab ipso, restaret adhuc compositio subsistentiæ & essentiæ, quam posset quis dicere esse in Deo, sicut posset dicere Scotus, qui ponit distinctionem ex natura rei, inter relationes & essentiam.

§ III.

In quo declaratur an compositio quam facit subsistentia cum essentia, sit compositio cum his, an ex his.

31. Restat iam respondendum ad id quod dicebatur, illam, scilicet, subsistentiam non facere compositionem ex his cum essentia, sed solùm compositionem cum iis: dicimus enim quod si subsistentia facit solùm compositionem cum iis, cum essentia, multo magis talem solùm faciet existentia coniuncta cum essentia compositionem; quia compositio cum iis est illa (secundùm aduersarios) in qua extrema compositionis, vel saltem ex iis aliqua, nō habent veram & propriam rationem partis: at si essentia comparata ad subsistentiam Caiet. & cum ea coniuncta non habet rationem partis, multo minus id habebit suppositum comparatum ad existentiam, & cum ea coniunctum, quia secundùm Caiet. completur essentia per subsistentiam, & consequenter magis habet rationem totius vt suppositata est, & minus consequenter rationem partis, quam quando non est suppositata: ergo multo magis faciet compositionem cum iis cū essentia suppositata, quam subsistentia Caiet. cum essentia: ergo quando dicit S. Thomas dari in Angelis vnicam compositionem substantialem, & in rebus materialibus duas, non potest solùm loqui de compositione ex iis, sed debet etiam loqui de compositione cum iis, aliàs falsò dixisset, dari in Angelis vnam compositionem, & duplicem in rebus materialibus, quia in Angelis nulla esset compositio ex iis (in illa sententia) sed solùm compositio cum iis, & in rebus materialibus vnica solùm compositio esset ex iis, ex materia, scilicet, & forma, cum duplex altera compositio, quæ in eis reperitur, sit compositio cum iis, si prædicta compositio sumatur secundùm explicationem de ea superius traditam.

Possumus secundò respondere cum Cabrera tertia parte, quæstione secunda, articulo quarto, dubit. sexta, numero vigesimoquarto: quod sicut essentia coniuncta cum existentia, facit compositionem ex iis, & non solùm cum iis, ita & essentia coniuncta

cum subsistentia Caiet. potest enim dici, quod tunc fit compositio ex iis, quando ex extremis vnitis resultat aliquod vnũ per se: at sicut ex essentia & existẽtia vnitis, fit vnũ per se in ratione existẽtis (quia licet existẽtia, sit extra essentiam rei, non tamen debet dici accidens, vt disp. 6. quæst. 2. ex D. Th. relatum est, & si dicitur accidens, hoc est solum inquit S. Th. quodlib. 12. quæst. 5. art. 5. quia non est pars essentiæ:) ita ex essentia & subsistentia Caiet. fit vnum per se, scilicet vnum suppositum: ergo vnita cum essentia faciet cum ea veram compositionem ex iis, & sic concludetur contra allegatam authorit. D. Th. esse tres compositiones in materialibus, & duas in Angelis.

Obiicies ex D. Th. quodlib. 2. quæst. 2. art. 3. ad 1. ex essentia & existentia vnitis non resultare vnam rem tertiam: ergo essentia non faciet compositionem ex iis cum existentia, sed compositionem cum iis.

33. Respondeo quod D. Th. vult solum ex essentia & existentia, non resultare vnum terium essentiale seu specificum, non tamen quod non resultet absolute ex tali coniunctione aliquod vnum per se suppositale, & existentiale; & ista videtur esse omnino mens Sanctissimi Doctor, quia non negat absolute, ex essentia & existentia resultare rem tertiam, sed solum quod non resultat ex eis aliquod vnum; eo modo (inquit) quo ex corpore & anima resultat vnum: ergo negat solum ex eis resultare vnum in specie, & modo quo ex corpore, & anima resultat vnum in specie.

Responderi potest secundò, quod ex essentia & existentia, non resultar vnum per se prædicabile, concedo, vnum per se prædicamentale, nego: ratio distinctionis huius est. Quia cum existentia non sit pars essentiæ, sed potius extra essentiam, ordinatur consequenter ad eam per modum accidentis prædicabilis: sed cum sit intra idem prædicamentum cum ea, vt terminus ipsius; non potest consequenter ordinari ad eam, & vniri cum ea, per modum accidentis prædicamentalis.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. IV.

OBiicitur ex D. Th. quodlib. 2. quæst. 2. art. 4. ad 2. quod esse non est de ratione suppositi Angelici.

Respondeo primò quod esse, non est de ratione suppositi. Distinguo, esse verbaliter, seu in actu exercito sumptum, & vt significatur cùm tempore, concedo. Esse nominaliter, seu in actu signato sumptum, & vt absoluit à tempore, nego.

Respondeo secundò. videndum esse solum Diuum Thomam, ibi enim in eadem solutione immediate post seipsum explicat, quando enim dicit; quod esse, non est de ratione suppositi, intendit solum per hoc, quod esse, non est de essentia & natura specifica suppositi, non autem quod non sit de ratione suppositi, formaliter & reduplicatiue sumpti, quia expresse D. Th. asserit in eadem solutione esse, per-

tinere ad suppositum, & per illud habere, quod distinguatur à natura, & quod non sit idem omnino cum ea; nec aliud distinctiuum inter naturam, & suppositum addat, quod tamen prorsus debuisset facere, cum ibi Sanctissimus Doctor agat de distinctione inter naturam & suppositum, & de iis quæ suppositum addit supra naturam.

Respondeo tertiò quod esse, non est de ratione suppositi, per modum alicuius prædicati per se, de supositi natura & essentia eius specifica prædicabilis, concedo. Non est de ratione suppositi, per modum prædicati accidentaliter de natura prædicabilis, nego. Ista solutio est desumpta ex eodem D. Th. in corp. eiusdem articuli: vbi S. Doctor asserit ex Aristotele 7. Metaphys. tex. 21. quod, quodquid est, & suppositum, sunt idem, in his quæ dicuntur per se, licet non sint idem in his quæ dicuntur per accidens: & postea Diuus Thomas explicans ea quæ sunt extra definitionem essentiæ, dicit, sicut est esse. Vide eum in corp. & ad primum.

Respondeo tertio quod esse, non est de ratione suppositi, per modum alicuius intrinsece determinantis principia essentialia seu specifica, concedo. Per modum extrinsece & accidentaliter determinantis ea, nego. Ista solutio est D. Tho. in eod. art. ad primum, quam quidem vt intelligas, oportet scire ex eodem Sanctissimo præceprore loco citato, quod suppositum potest duobus modis allatis determinare naturam specificam, intrinsece scil. & extrinsece: tunc suppositum determinat intrinsece naturam specificam, quando scilicet per materiã indiuidualem limitat, & determinat formam seu naturam specificam ad hunc particularem modum essendi, quia forma seu natura specifica habet, quantum est ex se, amplitudinem quandam & capacitatem ad omnes modos essendi particulares, vbi verò per materiam determinatur ad aliquem particularem modum, iam à forma seu natura specifica, tollitur capacitas, quam habebat ad se communicandum alteri materiæ, & consequenter cum tam formæ, quam materiæ specificæ sit intrinseca illa aptitudo & capacitas, per materiam vtraq; finietur, determinabitur, & limitabitur intrinsece, & hac determinatione intrinseca, determinatur solum natura à supposito, in rebus materialibus, vt euidens est. De hac determinatione intrinseca, poterunt videri N. Complut. disp. 9. Phxsicæ q. 2. initio & parag. 2. tunc autem determinatur extrinsece solum, forma & natura specifica, quando scilicet illud quod aduenit naturæ, non deteminat eam ad hunc potius particularem modum essendi quam ad alium, sed potius relinquit formam & naturam specificam in tota & vniuersali amplitudine perfectionis suæ formalis: tunc autem hoc accidit, quando illud quod aduenit, non ponit formam aut naturam in materia, eo enim ipso quod forma non ponatur in materia, eo ipso non limitatur in ratione formæ, quia forma non limitatur in ratione formæ, nisi per materiam, sicut oppositum non limitatur, nisi per suum oppositum; vnde ex suppositione quod forma aut natura, non ponatur in materia, nihil detrahitur de ampli-

tudine perfectionis, quam dicit intrinsece, sed potius manet quodammodo infinita, & illimitata in ratione formæ specificæ: nam sicut per hoc quod forma recipitur in materia, forma limitatur ad hunc solum modum essendi particularem, & nō ad alium; ita forma, quæ dicit intrinsecam repugnantiam essendi in subiecto seu in materia, per hanc repugnantiam à limitatione absoluit, quam posset contrahere in materia, omnesque modos essendi particulares, quos potest alia forma in diuersis materiis & subiectis recipere, eminenter in se cōtinet & seclusis imperfectionibus, quia non modo materiali, sed modo formaliter actuali in se continet, & propterea, vt vidimus ex D. Th. talis forma dicitur infinita. Cum ergo esse, quod per suppositum aduenit naturæ, non ponat eam in materia, sed supponat iam eam, quando aduenit, vel in materia existentem vt in rebus materialibus, vel ab ea absoluentem, vt in Angelis contingit, propterea non dicitur aduenire naturæ, per modum intrinsece determinantis principia essentialia & specifica, sed per modum extrinsece solum ea determinantis, & hanc solum determinationem extrinsecam tribuit naturæ specificæ suppositum in Angelis.

Dices D. Th. ibidem dicere, quod esse non poneretur in definitione suppositi, si definiretur: ergo existentia non est de ratione personæ.

35. Respond. primò, quod ista obiectio non multum fauet sententiæ Caiet. quia ex professo ibi D. Th. agit de distinctione, quæ est inter suppositum, & naturam, & tamen nullam ibi facit mentionem de subsist. Caiet. quinimmo semper; & solum distinguit per esse, suppositum à natura; sed quia potest ista obiectio fauere iis qui dicunt existentiam pertinere solū extrinsecè ad suppositum, propterea secundò respondetur, quod D. Th. loquitur ibi de esse exercito, seu verbaliter sumpto, non autem de existentia in actu signato, & nominaliter sumpta.

Respondeo tertiò, quod esse non poneretur in definitione suppositi, distinguo, per modum intrinsece determinantis essentiam, & veluti in recto, concedo, per modum extrinsece determinantis essentiam, & quasi in obliquo, nego. Vide dicta resp. vltima ad argumentum immediate factum, & q. 1. huius disput. responsi ad primam obiectio, n. 7.

Obiicitur ex D. Th. 3. p. q. 17. art. 2. ad primum; quod esse cōsequitur ad hypostasim, tamquam ad illud quod habet esse; ad naturam verò tamquam ad id quo aliquid habet esse: ergo cum illud, quod sequitur ad aliud, distinguatur realiter ab eo, esse distinguetur realiter, & à natura, & ab hypostasi.

Resp. quod D. Th. non loquitur ibi de sequela Physica, arguente distinctionem realem eius, quod sequitur, ab eo, ad quod dicitur sequi; sed de sequela Logica, per quam scilicet vnum infertur ab alio: quod autem D. Th. non loquatur de sequela, arguente distinctionem realem, sicut intendit argumentum, probatur euidentissime, quia loquitur ibi D. Th. de esse Christi Domini, quod certum est in senten. D. Th. non distingui realiter ab hypostasi Christi, cū esse per quod existit, sit esse ipsiusmet Verbi diuini, & non esse creatum.

Respondeo secundo, transeat quod D. Tho. intelligatur de Physica sequela, non tamen sequitur, quod esse distinguatur realiter ab hypostasi, distinctione excludentis, & exclusi, sed sufficiet quod distinguatur ab ea distinctione reali, includentis, & inclusi, secundum quam etiam vere distinguitur esse ab hypostasi, quia esse includitur in hypostasi, sicut pars in toto, & ad eam sequitur, sicut pars dicitur sequi ad suum totum, in genere scilicet causæ formalis, vel saltem in genere causæ finalis, cum partes sint propter totũ, licet partes toto sint priores in genere causæ materialis: Poterunt de illa prioritate & posterioritate quæ est inter partes & totum, videri PP. N. Complut. in sua Phys. disp. 28. qu. 1. §. 3. sub finem §. ad 4. & Cabr. 3. p. quæst. 2. art. 4. disp. 4. num. 40. vnde prædicta D. Tho. propositio in qua dicit quod esse sequitur ad naturam, tanquam ad id quo aliquid habet esse, ad hypostasim vero tanquam ad id quod habet esse, est similis huic, anima sequitur ad corpus organicum organisatione initiatiue sumpta, tanquam ad id, quo aliquid habet animam, ad viuens autem tanquam ad id, quod habet animam: sicut enim corpus organisatum initiatiue, id est (vt explicant PP. N. Complutenses in lib. de anima disp. 2. quæst. 3. num. 37.) quatenus informatur gradibus præcedentibus gradum vitæ, est subiectum immediate receptiuum animæ, vt anima est, seu vt anima dat gradum viuentis; & propterea corpus organicũ sic sumptum, est id quo viuens recipit & habet animam, & viuens est illud quod habet per modum totius animam tanquam partem sui principalem; ita similiter natura indiuidua est id quo hypostasis habet & recipit esse, quia natura vt sic, est id in quo recipitur esse tanquam in subiecto informi, & hypostasis est id quod habet per modum totius ipsum esse tanquam partem principalem sui.

36. Forsan deridebis nos & illum modum explicandi D. Th. Si enim vellet quis probare, quod esset vna solum anima in vno homine, hæc esset subtilis argumentatio, anima sequitur ad hominem: ergo vbi est vnus homo, ibi est vna anima, vnitas enim hominis non est causa vnitatis animæ, sed è conuerso: ergo si existentia esset constitutiua suppositi, non esset legitima D. Th. argumentatio, qua ex vnitate suppositi in Christo, arguit vnicum esse in ipso, quia vnitas suppositi non esset causa vnici esse, sed potius è conuerso.

Respondeo quod subtilis est, & optima argumentatio à posteriori, & maxime quando argumentamur ex iis quæ constant, & sunt in confesso apud omnes, ad aliquid probandũ, quod est controuersum; vnde cum constet apud omnes fideles, & sit de fide certum, vnam esse tantum hypostasin in Christo, optime & valde Theologice argumentatur D. Tho. ad probandum quod est vnum tantum esse in eo, contra eos qui illud multiplicant: sicut enim si quis negaret quod esset vna tantum anima in Christo, subtilissime, & omnino Theologice aduersus eum argumentaremur ex principio fidei sic, Christus, de fide, est vnus homo, & non multiplex; ergo Christus, habet solum vnam animam, quia ad vnum hominem, vna anima sequitur; & non multiplex, id est vni homini, vna

anima solum conuenit, & non multiplex; ita similiter quia esse sequitur ad hypostasim, & ei conuenit, seu (vt vtamur iisdem D. Th. terminis, quibus in corp. illius art. vtitur) quia esse pertinet ad hypostasim per se, ideo fit, si sit vna hypostasis in Christo, sicut ita esse de fide tenendum iam ostenderat D.Th. quæst. 2. ar. 2. & 3. & quæst. 4. a. 2. & 3. optime S. Doctorem arguere quod vnum tantum esse sit in eo.

Sed dices, si natura indiuidua est subiectum immediatum existentiæ (vt diximus sub finem secundæ solutionis) videtur quod non solum sit id, quo hypostasis habet esse, sed vere id, quod habet esse; sicut quia Petrus est subiectum immediatum albedinis, ideo Petrus dicitur esse id, quod habet albedinem.

37. Respondeo negando sequelam; quia sicut materia, est id, in quo tanquam in subiecto informi recipitur anima, & tamen non dicitur esse id, quod habet animam, sed id, quo homo habet vt quod, animam, & in sentent. Caiet. natura est id, in quo tanquam in subiecto immediato recepitur subsistentia & tamen natura non habet vt quod subsistentiam, sed suppositum, & propterea suppositum subsistens denominatur non natura; ita licet in nostra sententia, existentia recipiatur immediate in natura indiuidua, tamen natura non denominatur vt quod existens, nec habere vt quod existentiam, sed suppositum.

Et ratio huius rei est, quia illud, quod dicitur habere aliquam formam vt quod, est subiectum quod recipit prædicationem & denominationem à forma; subiectum autem quod recipit denominationem & prædicationem à forma, est subiectum formatum, vt formatum, non subiectum informe, quia illud quod suscipit prædicationem & denominationem, non debet significari per modum præscindentis à forma, & eam excludentis à se, sed per modum habentis eam; vnde cum natura in abstracto, solum naturam significet, & à se quamcumque aliam formam excludat, hinc fit quod non se exprimat per modum habentis vt quod, subsistantiam aut existentiam, & propterea non denominatur subsistens aut existens, sed suppositum, sicut nec materia propter eandem rationem denominatur animata aut viuens, licet recipiat animam, quia scilicet materia significatur per modum subiecti informis animæ & vt præscindentis ab anima, & à quacumque forma; vnde nec materia potest dici vt quod, habens animam absolute, nec natura vt quod, habens subsistentiam aut existentiam, sed cum addito, id est, per modum subiecti informis, & vt quo: vnde quando D. Tho. dicit 2. contra Gent. cap. 54. & alibi sæpius, quod in materialibus, compositum ex materia & forma, & in simplicibus ipsa forma est illud quod est, hoc debet intelligi de composito materiali, & de forma simplici consideratis in concreto, & non in abstracto, & consequenter quatenus inuoluunt & habent esse, non autem quatenus præscindunt ab esse: at quando 3. p. loco citato contra nos, dicit quod natura non habet esse vt quod, D. Tho. loquitur de natura in abstracto vt etiam satis se explicat in eod. art. vel debet sic intelligi, quod natura non habet esse vt quod per modum subiecti prædicationis, &

denominationis, licet recipiat esse, vt quod, per modum subiecti informis & receptiui ipsius esse & existentiæ, eo modo quo etiam materia potest dici habere vt quod, formam qua informatur per modum subiecti informis, & receptiui formæ ipsius.

38. Ex his patet solutio ad exemplum allatum in instantia facta contra nos: dicimus enim quod Petrus est nomen suppositi, suppositum autem significatur vt ait D. Tho. quodlib. 2. quæst. 2. & quodlib. 9. art. 3. & alibi sæpius) per modum concreti, & sine præcisione aliorũ, & consequenter poterit dici, quod Petrus habet, vt quod, albedinem, quia Petrus significatur per modum includentis albedinem; vel potest secundo respōderi, quod alia est ratio de albedine comparata ad Petrum, & de esse substantiali comparato ad suppositum, quia illud quod est in aliquo, per modum formæ accidentalis, supponit iam suppositum, in esse suppositi constitutu, & consequenter supponit illud habere iam esse simpliciter vt quod: at existentia substantialis est in supposito per modum actus substantialis per quem suppositum habet esse simpliciter, & consequenter non potest ante existentiam receptam, res concipi habere esse simpliciter, vt quod, & esse suppositata, sed potius debet existentia substantialis recipi in ea per modum partis principalis constististituentis & formantis eā in esse entis vt quod, esse enim substantiale dicitur esse in eo, quod habet illud, vt quod, sicut pars in suo toto, & sicut forma in subiecto formato, non autem tanquam in subiecto informi, quod à se excludat esse.

Obiicitur ex D. Tho. 3. p q. 35. ar. 5. in corp. & in responsione ad primum, filiatio recipitur in hypostasi formaliter & non in natura, & proptereа S. Doctor negat posse filiationem temporalem esse in Christo in ordine ad matrem, quia, inquit, *Non est in Christo hypostasis susceptiua filiationis temporalis*: ergo ex mente D. Th. hypostasis est subiectum receptiuum filiationis: at si hypostasis seu persona creata constitueretur per esse, hypostasis non esset formaliter susceptiua filiationis, quia S. Tho. plerisque in locis videtur negare, quod esse sit susceptiuum alicuius accidentis, & maxime 2. contra Gent. ca. 52. ratione prima, vbi ait quod esse substantiale, & esse accidentale, non vniuntur nisi per accidens, inquantum inquit vnum est & idem subiectum, habens esse substantiale & esse accidentale, per quod videtur satis aperte dicere, quod esse non est subiectum alicuius accidentis, quod etiam opusc. 37. cap. 4. videtur repetere.

Respondeo primo ex eodem S. Th. cap. illo 4. opusc. 37. quod licet relatio secundum communem conceptum accidentis, id est secundum conceptum in, non recipiatur in esse, recipitur tamen in eo secundum cōceptum ad, & propterea dicit relationē qua creatura refertur ad Deũ, fundari in esse, & ratione ipsius in tota creatura recipi, cum ergo filiatio sit relatio, poterit secundum cōceptũ ad in ratione hypostatica, seu in existentia substantiali quatenus indiuiduata, & substantiæ indiuiduali vnita fundari & recipi, vnde cum implicet aliquam relationem creatam, etiam secundum conceptum ad, recipi in Verbo diuino, propterea S. Tho. optime docet implicare dari filiationem temporalem in Christo in cōparatione ad matrē; tum propter

rationem statim allatam, tum etiam quia talis relatio poneret dependentiam realiter in Verbo diuino à Beatissima Virgine, ipsumque ad eam realiter referret, vt ostendit S. Tho. quodlib. 1. articulo 2. in corp. & quodlib. 8. qu. 2. art. 3. in corp. & in 3. dist. 8. art. vlt. cum illa relatio filiationis temporalis, cuius hypostasis est fundamentum fundetur in dependentia reali, qua hypostasis seu suppositum à patre vel à matre dependet.

Respondeo secundo, D. Tho. velle solum quod esse non est secundum se & ratione sui subiectum accidentis, cum enim recipere dicat potentialitatem, & potentialitas conueniat actui ratione potentiæ in qua recipitur, non conuenit consequenter existentiæ, quæ est vltimus & perfectissimus actus, vis ad recipienda accidentia, nisi ex limitatione quam habet à natura, quæ recipiendo suum esse communicat ei propriam imperfectionem & limitationem quam habet.

Respondeo tertio, licet daretur quod existentia non esset accidentium receptiua à quibus entitatiue distinguitur, non posse tamen negari, quin sit receptiua eorum à quibus modaliter solum distinguitur, non potest enim negari relatio similitudinis inter existentias creatas, & dissimilitudinis inter existentiam increatam & creatam.

Obiicitur; id quod facit compositionem realem cum aliquo, debet realiter distingui ab eo, & non quouis modo, sed distinctione reali excludentis & exclusi, cum membra componentia debeant se inuicem excludere: at ex D. Tho. 1. p. qu. 50. art. 2. ad 3. ca. 5. de ente & ess. quodlib. 9. art. 3. & alibi sæpius esse seu existentia facit compositionem realem cum eo quod est, & illud quod est, est suppositum; ergo &c.

40 Respondeo quod ista loca D. Th. non multum fauent sentent. Caiet. quia omnibus illis locis & vbicumque facit mentionem de prædicta compositione, dicit illud quod est, in simplicibus esse formam simplicem, & in rebus materialibus esse compositum ex materia & forma; sed quia ista loca videntur fauere sententiis quas refutauimus quæst. prima & secunda, disput. huius, ideo respondeo in forma, concedendo maiorem, cũ hac tamen limitatione, quod distinguatur ab alio, quo facit compositionem cum eo; & ad minorem respondeo, quod existentia facit quidem compositionẽ cum eo quod est, seu cum supposito, non tamen secundum totum id quod suppositum, seu ly quod est, inuoluit formaliter & intrinsece, sed solum secundum aliquam partem suppositi, & eius quod est; & hoc sufficit ad verificandum propositionem Diui Tho. sicut ad verificandum verbi gratia quod caput faciat compositionem cum humano corpore, non est necesse, quod faciat compositionem cum omnibus membris copulatiue sumptis, includendo scilicet, simul ipsum caput, sed sufficit quod faciat compositionem cum aliis membris. quod potest adhuc exemplis clarioribus declarari: sicut enim lux optime dicitur facere compositionẽ cum lucido, anima cum corpore organico, & quælibet forma dicitur facere cõpositionem cũ suo subiecto formato, & tamẽ nõ reduplicatur, id quod formaliter subiectum quatenus formatum significat, sed solum id quod de materiali importat: ita esse quod est

est forma suppositi constitutiua, potest legitime dici facere compositionem cum supposito, quia quando dicitur facere compositionem cum eo, non reduplicatur id quod suppositum de formali, sed solum id quod de materiali importat, indiuiduum scilicet naturæ substantialis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum secundum rei veritatem existentia substantialis quatenus indiuidua, seu quatenus naturam indiuiduam terminat & actuat, sit vltima ratio constitutiua suppositi; an vero subsistentia Caietani.

Aliqua supponuntur.

§. I.

41. AD intelligentiam quæstionis, aliqua sunt nobis prænotanda.

Suppono primo quod hîc non quærimus rationem adæquate constitutiuam suppositi: certũ est enim quod non sola Caiet. subsistentia in sent. ipsius, nec in nostra sola existẽtia substantialis indiuidua, supposirũ adæquate constituit, sed supponitur tanquam certum apud omnes, quod natura indiuidua est de ratione intrinseca suppositi, & quæritur iam, quid sit illud, quod suppositum addit supra naturam indiuiduam, vtrũ addat subsistentiam illam Caiet. quæ in sent. eius & sequacium, & à natura indiuidua, & ab existentia substantiali distinguitur realiter: an vero addat solum existentiam substantialem vt indiuiduam, cum qua natura indiuidua vnita atque coniuncta, suppositum componat: ex quo patet quod nec subsistentia Caiet. in sent. eius, nec existentia substantialis in nostra animam separatam in esse suppositi constituit; quia constitutiuum inadæquatum non componit totum, nisi quando vnitur cum sua cõparte, seu cũ altero constitutiuo inadæquato quod vna secũ totum constituit: licet enim rationalitas v.g. vel anima quatenus rationalis, hominẽ per modum differentiæ, seu rationis vltimæ constituat, non tamen constituit eũ, vt est separata à materia, quia materia cõcurrit etiam ad hominis constitutionem; ita similiter, quia natura tota vt indiuidua concurrit per modum constitutiui inadæquati ad rationem suppositi, ideo fit, quod nec subsistentia Caiet. in eius sentent. nec existentia substantialis in nostra (etiam si illa sit indiuidua) suppositum constituat: nisi coniungatur non solum cum anima, sed etiam cum natura indiuidua.

Suppono secundo ex D. Tho. in 1. dist. 13. q. 1. a. 3. in corp. quod in supposito, duo de necessitate, & indispensabiliter importantur; primũ est, quod sit aliquid distinctum, & incõmunicabile in natura substantiali; secundum est, quod sit aliquid subsistens in eadem natura substantiali, quodlibet autẽ ex illis est ita necessarium & intimum supposito, vt si alterũ ex illis duobus deficiat, suppositum etiã deficere necesse sit; & propterea (inquit D. Tho. loco superius cit.) licet Deus significet naturã diuinam per modũ subsistentis, tamen Deus non significat personam, aut suppositum diuinum, quia non exprimit aliquid distinctũ, & incõmunicabile, in natura

diuina, & licet paternitas significet aliquid distinctum & incommunicabile in diuinis, quia tamen non significat aliquid per modum subsistentis, (significat enim relationem vt quo, non vt quod) ideo non significat personam diuinã: ratio est quia persona significat aliquod totum perfectum atque completum, vt dictum est ex D. Tho. quæst. præced. & 26. & propterea ex eodem quodlib. 9. articulo secundo ad primum debet significari, sine præcisione quorumcumque; nomen autem concretum significat aliquid sine præcisione, & per modum totius, non autem abstractum quod cum præcisione potius & per modum partis significat, & per cõsequens persona debet per nomen concretum, & non per abstractum significari.

42. Ex hac suppositione duo infero. primum est, per hoc quod suppositum debet esse subsistens, excludi rationem suppositi à natura accidentis, quia accidenti non conuenit subsistere seu existere per se, sed potius inhærere. secundum est per hoc quod subsistens illud debet esse distinctum incommunicabile, triplicem communicabilitatẽ à supposito excludi (vt vidimus quæstio. prima huius disp. nu. primo, communicabilitatem scilicet partis, vniuersalis, & alicui digniori.

Hæc omnia quæ de supposito prænotauimus, mirum in modum expressit D. Tho. in quadam definitione quam tradit de persona in primum, dist. 23. quæst. 1. ar. 2. ad 4. & ar. 3. in corp. dicens quod persona nihil est aliud quã *subsistens seu existens* (sunt verba ipsius) *in natura intellectuali distinctum*: quasi diceret quod persona debet esse aliquid per se existens, non solum in parte aliqua naturæ, vt in anima, sed in natura intellectuali completa & perfecta; & non quocumque modo, sed secundum modum quendam distinctionis seu incommunicabilitatis; vnde suppositum debet esse quid existens per se in natura substantiali totali & completa, taliter quod ille modus secundum quem in ea existit, sit alteri cuicumque supposito incommunicabilis. ex quo.

Suppono tertio quod suppositum creatum debet esse absolute & simpliciter incõmunicabile, & propterea D. Th. q. 7. de potent. a. 6. dicit personam significare formaliter incõmunicabilitatem, & 1. p. q. 29. a. 4. significare formaliter illud, quod est distinctum seu incõmunicabile in natura, & alibi sępius idem repetit: ex quo sequitur quod suppositum ab intrinseco debet dicere, & incommunicabilitatem per modum potentiæ, & incõmunicabilitatem per modum actus; si enim solum diceret alteram ex his incõmunicabilitatibus, non diceret absolutam incommunicabilitatem, sed incommunicabilitatem solum talem & in aliquo genere, actus scilicet vel potentiæ.

43. Si autem quæras quid sit esse incommunicabile per modum potentiæ & per modum actus. Respond. quod esse incommunicabile, est dicere negationem communicabilitatis; esse ergo incommunicabile per modum actus, est dicere negationem cõmunicabilitatis, quã habet actus, seu non esse cõmunicabile eo modo quo actus est cõmunicabilis; esse autẽ incommunicabile per modũ potentiæ, est dicere, negationem communicabilitatis quæ cõuenit potentiæ, seu non esse communicabile eo

modo quo potētia est cōmunicabilis; quando ergo dicitur quod suppositū dicit omnimodam incōmunicabilitatem & per modū potētiæ, & per modum actus, sensus est, quod suppositū nō potest alicui communicari, nec actuando illud, nec illud recipiendo, taliter quod faciat vnū per se & simpliciter cum eo cui cōmunicaretur: quod enim possit cōmunicari alicui ad faciendū vnum per accidens cum eo, non est dubium; sed quod possit cōmunicari alicui ad faciendū vnum per se cum eo, est implicantia quā q. 2. huius disp. n. 11. ostendimus & inferius adhuc magis declarabitur.

Quod si obiicias: Verbū diuinum actu vniri humanitati Christi, & cum ea facere vnum per se, & consequenter non excludi à supposito vim communicandi se alteri, cum quo faciat vnum per se.

Respondeo quod suppositio nostra procedit de supposito creato, cuius suppositalitas est recepta & limitata & consequenter incapax terminandi & suppositandi aliam naturam præter propriam: sicut enim materia limitat formam & recipiendo eam, reddit eam incapacem informandi aliam materiam; ita natura indiuidua recipiendo suam suppositalitatem, limitat eam, & reddit eam ita sibi propriam, vt incapacem omnino reddat suppositandi aliam naturā, quia omnis potentia receptiua recipiendo formā limitat eam: at suppositalitas diuina est suppositalitas subsistens & irrecepta, & consequenter infinita, vt pote quæ non limitatur à natura quam terminat, cum in ea non recipiatur tanquam in potentia: ex quo fit quod naturam diuinam non ita terminat, vt aliam naturam terminare non possit. Vide quæ dicta sunt quæst. secunda huius disp. n. 12. & 13. & quæ dicentur infra §. vltimo, Corollar. 2.

44. Suppono quarto quod existentia potest duobus modis considerari, vel in actu signato & nominaliter, vel in actu exercito & participialiter; tunc concipitur in actu signato & nominaliter, quando concipitur vt abstrahens à motu & tempore; nomen enim, vt in eius definitione exprimitur, significat sine tempore; vnde concipere aliquid nominaliter, est concipere illud vt abstrahit à tempore; tunc autem concipitur aliquid in actu exercito, participialiter, & verbaliter, quæ omnia idem sunt, quando concipitur vt est in tempore, Verbum enim & participium significant cum tempore.

Quod autem existentia possit concipi duobus istis modis probatur: & primo quidem quod existentia possit cōcipi participialiter & in actu exercito, nullus dubitat: quod etiam possit concipi nominaliter, & in actu signato probatur, quia existentia est nomen; ergo cum nomen significet sine tempore, & rem concipi in actu signato, sit rem concipi sine tempore existentia significari poterit in actu signato; imo si existentia attendatur secundum quod absolute significatur ex vi huius vocabuli, existentia, solum significatur in actu signato, & non in actu exercito, quia nomen vt sic, non significat nisi absoluendo à tempore & motu.

Probatur secundo, quia scientia non tractat de rebus in actu exercito, & prout subduntur motui & tempori, sed potius prout absoluunt ab exercitio motus & temporis: ergo cum Metaphysica tractet de existentia, tractabit proculdubio de

illa, non actu exercito, sed in actu signato considerata: quando ergo dicitur quod existētia non est de essentia vllius creaturæ, hoc est intelligēdum de existentia in actu exercito & prout facit rem existere participialiter & verbaliter; de nullius enim creaturæ essentia est quod absolute existat sumpto existere verbaliter, sed hoc soli Deo de necessitate conuenit: sed sicut subsistentia in sent. aduersariorū potest esse de essentia, non quidem speciei, sed suppositi reduplicatiue sumpti; ita etiam & existentia nominaliter sumpta; quia vt diximus & ostendimus ex D. Tho. quæst. præced. §. 5. subsistētia & existentia per se sunt vnum & idem.

45. Suppono tandem quinto quod existentia substantialis potest sumi duobus modis, vel prout terminat, & actuat supremum gradum substantiæ, vel prout terminat & actuat gradum indiuidualem substantię: si primo modo consideretur coincidit cum subsistentia, quia existentia per se hoc modo considerata tribuit solum existere sine dependentia ab alio tanquam à substentante, seu tanquam à subiecto inhæsionis, quod quidem est sustantiæ effectus, ex D. Th. in primum dist. 23. quæst. prima articulo primo ad 3. & quæst. 9. de potent. articulo primo in corp. & ad 4. & consequenter subsistentia & existentia per se hoc modo consideratæ sunt vnum & idem: certum est autem quod existentia per se hoc modo considerata, non constituit vltimate suppositum, quia secundum istam considerationem conuenit & parti substantiali, & gradibus communibus substantiæ: quibus certum est competere etiam non inhærere, sicut & completæ substantiæ, vnde cum suppositum dicat non solum negationem inhæsionis quæ competit accidenti, sed etiam negationem communicabilitatis quæ cōuenit & parti & vniuersali, propterea existentia hoc modo considerata non potest vltimate suppositum constituere; constituet ergo illud si consideretur vt actuat indiuiduam naturam substantiæ, & quatenus cum ea vt sic coniungitur, quia sub ista consideratione constituit aliquod totum, quod est omnino cuicumque alteri incommunicabile quemadmodum fusius §. sequenti declarabitur.

Difficultas resoluitur & prima ratio expenditur.

§. II.

HIs positis prima sent. est Caiet. & aliorum quos præcedenti quæstione pro prima sent. retulimus, qui asserunt suppositum non constitui intrinsece per existentiam hoc modo consideratam, sed potius per aliquam subsistentiam realiter, tum ab existentia per se, tum à natura indiuidua distinctam, per quam natura quæ erat tantum subiectum quo existentiæ, constituitur in esse subiecti quod illius, & in esse suppositi.

Secunda sententia est suppositum non constitui per illam Caiet. subsistentiam, sed per existentiam per se vt indiuiduam, naturæque indiuiduæ coniunctam. Hanc cum authoribus (quos superiori quæst. retulimus pro nostra sententia) amplectimur tanquam veritati rationique magis consentaneam.

46. Probatur ratione. Illa, ex quorum vnione suppositum habet omnimodam incommunicabilitatem, & per modum potentiæ, & per modum actus, debent intrinsecè concurrere ad constitutionem suppositi: sed sine illa subsistentia Caiet. compositum substantiale habet ex vnione existentiæ, cum natura substantiali & indiuidua, omnimodam incommunicabilitatem, & per modum potentiæ, & per modum actus: ergo. Maior patet, quia ex suppositione 2. suppositum dicit intrinsecè omnimodam illam incommunicabilitatem: ergo illa per quæ hanc incommunicabilitatem habebit, concurrent ad intrinsecam eius constitutionem.

Minor autem probatur, supponendo prius quod partes quæ componunt aliquod totum, tribuunt toti quod componunt illam limitationem quam habent ex natura sua; & ratio huius rei est, quia partes causant totum quod componunt per intimam suiipsius communicationem.

Suppono secundò, quod existentia substantialis dicit intrinsecè & essentialiter incommunicabilitatem passiuam, seu repugnantiam ad hoc, vt vniatur per modum potentiæ passiuę cum altero, ad faciendum vnum per se cum eo, quia cùm existentia substantialis sit vltimus actus pertinens ad lineam substantiæ, debet de necessitate ab intrinseco negare vlteriorem actum à quo perficiatur, & actuetur intra prædicamentum substantiæ, & consequenter debet ab intrinseco negationem vlterioris actus dicere, cum quo possit facere vnum per se: quod si existentia substantialis dicat negationē vlterioris actus substantialis à quo perficiatur, & cū quo possit facere vnum per se: ergo dicit negationem communicabilitatis passiuæ cum altero quocumque, cum quo possit facere vnum per se, & consequenter existentia substantialis est intrinsecè incommunicabilis per modum potentiæ passiuæ, id est, est incommunicabilis, communicabilitate illa quæ conuenit potentiæ.

Suppono tertiò, quod natura substantialis vt indiuidua, est intrinsecè incommunicabilis per modum actus, id est, incommunicabilis est communicabilitate illa, quæ conuenit actui seu formæ: & ratio est, quia gradus indiuidualis materialis, at omnes alios gradus, & propterea in rebus materialibus à materia, & in Angelis à natura Angelica, quatenus illa dicit negationem essendi in materia desumitur, vnde sicut materia, & natura Angelica, non possunt quidquam actuare aut informare intra genus substantiæ; ita natura vt indiuidua, dicit in eis negationem communicabilitatis per modum actus vel formæ, seu repugnantiam ad hoc vt vniatur cum altero per modum formæ vel actus, cum quo faciat vnum per se, & consequenter naturà substantialis vt indiuidua est intrinsecè incommunicabilis per modum actus.

47. His positis probatur minor dupliciter. Primò, quia suppositum debet habere duplicem illam incommunicabilitatem à partibus ipsum intrinsecè componētibus, quia totum quod habet compositum, habet illud à suis partibus: atqui suppositum non potest habere duplicem illam incommunicabilitatem ab vllis partibus intrinsecè illud componentibus, præterquam à natura & ab existentia substantiali indiuidualiter sumptis, & vnitis ad inuicem secundùm istam considerationem: & probatur, quia partes debent

formaliter habere illud quod toti tribuunt, cum totum causent per formalem & intrinsecam suipsius communicationem: ergo cum duplex illa incommunicabilitas supra dicta conueniat formaliter naturæ indiuiduæ & existentiæ per se, vt ostensum est, spectabit eas tribuere intrinsece toti, quod componunt duplicem illam incommunicabilitatem: per quod etiam euidenter ostéditur, quod illa subsistentia Caiet. non potest constituere vltimate suppositum, cum secundum ipsum, eiusque sequaces, non reddat totum, quod componit incõmunicabile per modũ potentiæ cum altero, sed potius cõmunicabile illud reddat existentiæ per se, cum qua facit vnum simpliciter & per se.

Quod si quæras, quare potius existentiæ per se vt indiuiduatæ, quam naturæ indiuiduæ tribuatur ratio constitutiua suppositi.

Respondeo, ideo esse quia suppositum debet esse id quod est perfectissimum, & cõpletissimum in toto genere substãtiæ (vt vidimus ex D.Th.) & quia existentia per se est actus perfectissimus, qui fit in toto genere substantiæ, ideo tribuitur existentiæ per se, quod sit vltima ratio constitutiua suppositi. Secundo quia existẽtia per se, est illud quod vltimo aduenit: vnde cum vltima ratio constitutiua tribuatur vltimæ rationi, hinc fit quod tribuatur adhuc ei proper istam rationem, quod sit suppositi vltimate constitutiua. Tertiò, quia licet existantia substantialis non dicat secundum se negationem cõmunicabilitatis actiuæ, cum sit per modum actus valde cõmunicabilis; tamen quatenus indiuidua, & vnita naturæ indiuiduæ, limitatur & redditur formaliter incommunicabilis per modum actus cuicumque alteri naturæ substãtiali; hæc est enim natura partium, quæ intrinsece per modum formæ, & potentiæ passiuæ aliquod totũ componunt, vt non solum limitationem quam habent toti tribuãt, sed etiam sibi eam ad inuicem communicent: & in hoc fundatur sententia illa adeo recepta cõmuniter in Schola D. Th. quod materia non potest duas formas substantiales simul recipere, nec vna forma duas materias informare, quia sicut forma substantialis, & specifica, ab altera forma specifica informari non potest; ita recepta in materia tribuit illi hanc limitationem, vt aliam formam non possit recipere: & sicut materia non potest informare (cum sit pura potentia,) ita tribuit formæ, quam recipit, incapacitatem & repugnantiam, vt possit alteram materiam informare: licet ergo existentia secundum se non sit incommunicabilis, per modum actus & formæ, imo potius valde communicabilis, tamen recepta in natura indiuidua, repugnantiam accipit ab ea communicandi se alteri naturæ per modum actus & formæ, quia sicut natura non potest alteram naturam actuare, ita hanc limitationẽ tribuit existentiæ quam recipit; & vice versa licet natura dicat communicabilitatem per modum potentiæ, quia tamen existentia per se (vt pote vltimus actus substantiæ) dicit negationem huius communicabilitatis, ideo fit quod communicata naturæ indiuiduæ reddat etiam illam incommunicabilem per modum potentiæ cuicumque alteri ad faciendum vnum per se cum eo. Et hæc sufficiant pro prima pobatione illius minoris, ad secundam accedamus.

48. Probatur secundò, eadem minor, illud quod constituit suppositum in esse suppositi debet ab eo vt tali excludere omnem communicabilitatem parti Physicæ & Metaphysicæ conuenientem: sed subsistentia illa Caiet. non excludit à toto quod constituit omnem communicabilitatem parti Physicæ aut Metaphysicæ conuenientem, bene autem existentia per se coniuncta cum natura indiuidua: ergo. Maior patet ex suppositione prima, & ex quæst. preced. vbi sæpius retulimus ex D. Th. suppositum significare aliquod totum perfectum, atque completum dicens negationẽ cuiuscumq; communicabilitatis per modum partis.

Minor autem probatur, quia natura terminata per illam subsistentiam Caiet. habet adhuc capacitatem ad hoc, vt coniungatur cum existentia & communicetur illi ad faciendum vnum simpliciter, & per se cum ea; ergo cum natura sic terminata habeat rationem vnius partis in illa compositione, & existentia rationem alterius partis, subsistentia illa Caiet. non excludet à toto, quod constituit communicabilitatem, per modum partis, quia nullus potust negare quin suppositum illud Caiet. non faciat veram compositionem Metaphysicam & & per se cum existentia: at quando existentia per se cõiungitur cum natura indiuidua, iam totum ex illa natura indiuidua & existentia resultans redditur cuicumque alteri omino incommuuicabile, taliter quod implicat ipsum facere vnum simpliciter & per se cũ quocũq; alio, quia cum existentia per se sit vltimus actus naturæ substantialis, eo ipso quod natura sit terminata per existentiam, eo ipso repugnat quod ab vlteriori actu terminetur & actuetur; alioquin existentia esset simul vltimus actus, & non vltimus actus, vltimus terminus, & non vltimus terminus.

Confirmatur, quia negatio repugnantiæ, & incapacitatis quam habet aliquid ad se communicandum alteri, cum quo faciat vnum per se, fundatur (vt diximus quæst. 2. huius disp. n, 14.) in aliqua realitate positiua, cui repugnat aliud positiuum quod negat talis negatio: ergo negatio communicabilitatis absolutæ & omnimodæ. quam ab intrinseco & essentialiter dicit suppositum, vt vidimus prima suppositione, debet fundari in vltima realitate naturæ substantiali cõueniẽti, cũ qua vltimate natura substãtialis faciat vnũ simpliciter, & per se: quia antequã natura vniatur cũ illa vltima realitate sẽper dicit cõmunicabilitatẽ cum tali realitate, ad hoc vt vnum per se faciat cum ea; & cõsequenter vt dicat absolutam & omnimodam incõmunicabilitatẽ, debet necessario habere vnitã sibi vltimã illã realitatẽ cum qua vltimo facit vnũ simpliciter & per se: atqui existentia per se est vltima realitas, cũ qua natura substantialis facit vnũ simpliciter, & per se, quia existẽtia est vltimus actus simpliciter, per se coueniens naturæ, post quẽ actus omnes, qui superueniunt, sunt omnino naturæ accidentales: ergo existentia per se, est vltima realitas faciens vnum simpliciter & per se cum natura substantiali vt indiuidua, & ad quam consequenter debet sequi negatio omnimodæ communicabilitatis cum quocumque altero, ad hoc vt faciat vnum simpliciter & per se cum eo.

49. Dices quod negatio communicabilitatis per modum partis quæ conuenit supposito, est solum negatio communicabilitatis per modum partis Physicæ & non per modum partis Metaphysicæ, qualem communicabilitaté suppositum habet de facto, quando vnitur cum existentia, & vna cum ea facit vnum simpliciter in ordine existendi.

Deinde ad confirmationem respondebis, quod illa negatio communicabilitatis absolutæ, quam dicit suppositum, est solum negatio communicabilitatis cum altero supposito, non autem cum existentia per se.

Contra primam solutionem, sic argumentor; negatio communicabilitatis per modum partis, quæ conuenit supposito, est negatio communicabilitatis alicuius conuenientis partibus quibuscumque, & maxime iis ex quibus intrinsece componitur, quia per hanc negationem cõmunicabilitatis distinguitur suppositum, non solum à partibus quæ sibi extrinsecæ sunt, sed etiam ab iis, ex quibus per se constituitur: atqui si suppositũ diceret solum negationem communicabilitatis, parti Physicæ conuenientis, & non parti Metaphysicæ, incommunicabilitas suppositi non distingueretur ab incommunicabilitate partibus suis conuenienti. Quia partes ex quibus componitur suppositũ in sentent. aduersariorum, sunt subsistentia & natura: ergo cum natura & subsistentia dicant negationem communicabilitatis per modum partis Physicæ, vniuntur enim solum ad cõficiendũ vnum tantum Metaphysice, quælibet pars suppositi gaudebit eadem incommunicabilitate, qua & suppositum & per hoc solutio data confirmationi nostræ euertitur. Quia natura vt indiuidua, immo & anima rationalis (quæ sunt partes suppositi) dicunt etiam negationem communicabilitatis alteri supposito, præterquam proprio: ergo cum suppositum distinguatur (vt dictum est) à partibus, & à quacumque ratione incõpleta per aliquam negationem communicabilitatis, & animæ rationali naturæque indiuidualiter sumptis conueniat incommunicabilitas cuicumque alteri supposito præterquam proprio, non poterit prædicta incommunicabilitas esse suppositi propria, ipsiusque constitutiua.

Confirmatur, quia forma & natura, tum specifica, tum indiuidualis, dicunt communicabilitatem cum existentia, vt faciant vnum simpliciter cum ea: ergo cum suppositum neget communicabilitatem partis, non debet dicere hanc communicabilitatem per modum partis cum existentia, aliàs non erit incommunicabile per modum partis, nec communicabilitatem, quam suæ partes dicunt, negabit.

50. Dices Verbum diuinum vniri humanitati Christi, & cum ea compositionem facere, & consequenter suppositum non dicere negationem communicabilitatis per modum partis.

Respondeo primò, quod Verbum diuinum in illa compositione non habet rationem partis, sed puri termini, vt communiter etiam asserunt Theologi 3. p. q. 2. art. 4. & ratio huius rei est, quia pars dicit essentialiter rationem incompleti, vnde cum Verbum diuinum sit perfectissimum, & completissimum sine humanitate, hinc fit quod rationem partis

partis in illa compositione non habeat, sed rationem termini pure perfectiui, & nullo modo perfectibilis; quia suppositū est, quid perfectissimum & completissimum à nullo alio perfectibile; & sic contra rationem suppositi non est, si Verbum diuinum vniatur alicui naturæ per modum perfectiui, bene autem si vniatur per modum perfectibilis ab alio. Vide D.Th. in tertium ad Annibald. dist. 5. q. vnica. art. 4. ad 4.

Respondeo secundò, quod licet Verbo diuino non repugnet vniri alteri naturæ per modum perfectiui propter ipsius infinitatem, hoc tamen repugnat supposito creato & finito. Vide quæ dicta sunt superius suppositione secunda, & quæ dicentur infra parag. vlt. coroll. 2.

Expenduntur aliæ duæ rationes.

§. III.

PRobatur secundo nostra conclusio. Illud quod constituit totum simpliciter in aliquo genere, debet à toto quod constituit excludere rationē partis respectu alterius eiusdem generis: sed subsistentia, seu suppositalitas constituit, & complet totum simpliciter in genere substantiæ: ergo debet excludere à supposito quamcumque rationem partis, & vnionis cum altero eiusdem generis, cum quo facere possit vnum per se: sed illa subsistentia Caiet. non constituit suppositum tale, imo reddit illud communicabile existentiæ cum qua facit vnum per se: ergo, &c. Probatur maior, quia totum simpliciter est illud, cui non potest fieri additio in illo genere, in quo est totum simpliciter, alioqui certe non esset totum simpliciter in illo genere, sed totum tale, genericum scilicet, vel specificum: minor autem est certa, quia suppositum est totum simpliciter & per antonomasiam in genere substantiæ, & propterea quotiescumque aliqua significantur per modum totius vt genus, species, &c. significantur per modum suppositi, id est, in concreto: at si non includeret existentiam, non posset dici totum simpliciter & per antonomasiam, quia totum includens existentiam esset eo perfectius: ergo vt suppositum sit simpliciter totum, debet necessario includere existentiam, alioquin si non includeret eam, haberet simpliciter rationem partis Metaphysicæ in genere substantiæ: Illud enim habet rationem partis simpliciter in aliquo genere, quod cum alio eiusdem generis constituit totum simpliciter: atqui suppositum in illorum sentent. facit vna cum existentia per se, vnum simpliciter, quia vel facit vnum simpliciter & vnum per se, vel vnum per accidens, non vnum per accidens, cum vnum per accidens confletur ex diuersis generibus: ergo vnum simpliciter, & vnum per se.

Deinde eo modo facit vnum per se cum re quam terminat, quo dat illi esse. Atqui existentia non dat rei quam terminat esse accidentale: ergo non facit cum ea vnum accidentale, sed vnum simpliciter & per se: at nisi suppositū includat existentiam habebit simpliciter rationem partis, & consequenter vt illam imperfectionem à se excludat, debet necessario per existentiam substantialem intrinsece constitui.

Confirmatur, quia totum est illud

cui nihil deest: ergo totum simpliciter in aliquo genere est illud, cui nihil deest in illo genere; sed donec substantia includat existentiam substantialem, deest sibi semper aliquid sui generis, imò deest sibi quod est perfectius in toto genere substantię: ergo donec habeat & includat existentiam, non habet simpliciter rationem totius & perfecti in illo genere substantiæ: ergo cum suppositum dicat simpliciter rationem totius in genere substantiæ, debet omnia illius generis includere à primo gradu vsque ad vltimum terminum; alioqui certe si quid non includeret illius generis, non esset totum; totum enim dicit omnia: ergo totum alicuius generis omnia quæ sunt in illo genere; ergo suppositum dicit & includit existentiam substantialem, cum illa pertineat ad genus substantiæ.

Confirmatur, quia existentia est vltimus terminus: ergo totum non est completum, nec consequẽter totum, nisi habeat & includat existentiam.

Dices, quod existentia est vltimus terminus extrinsecus, at subsistentia est intrinsecus, & hic sufficit vt dicatur substantia completa intrinsece, licet non sit completa & terminata extrinsece nisi adueniente existentia.

Sed contra, quia illud ad quod per se primò ordinatur substantia, & quod intra genus substantiæ clauditur, non potest dici terminus extrinsecus substantiæ: sed substantia per se primo ordinatur ad existentiam per se, (cum per ordinem ad illam definiatur,) & existentia per se clauditur intra genus substantiæ: ergo debet dici terminus intrinsecus, & non extrinsecus substantiæ, maior est certa, minor constat quantum ad primam eius partem: secunda autem pars, quod scilicet existentia per se claudatur intra genus substantiæ, iam ostensa est quæst. præced. ex D. Th. Opusc. 48. in prima classe authoritatum eius, statim in initio: potestque probari, quia vt dictum est sæpius, existentia per se facit vnum simpliciter, & vnum per se cum substantia; vnum autem per se non fit nisi ex iis quæ sunt eiusdem generis: ergo. Deinde substantia per hoc distinguitur ab accidenti, vt tradunt N. Complut. in sua Physica disp. 6. q. 1. & disp. 10. q. 4. parag. 2. quod substantia essentiam & definitionem suam habet per ordinem ad ea quæ sunt sui generis, accidens verò è conuerso: & propterea substantia dicitur ens per se, accidens verò entis ens: ergo cum substantia definiatur per ordinem ad existere, per se debet existentia per se esse terminus intrinsecus substantiæ, & recludi intra illud genus.

Si dicant quod hoc nõ sufficit ad rationẽ termini intrinseci, sed requiri vlterius, quod fluat ex principiis naturę.

Respondeo hoc etiã competere existẽtiæ, quia vt vidimus disp. 7. quæst. vltima, esse seu existentia fluit dispositiue, & in genere causæ materialis ab essentia, & quod est magis in genere causæ formalis in sent. aduersariorũ asserũt enim existẽtiã, esse effectũ formalẽ, (licet secũdariũ) formę.

52. Deinde ex Cabrera 3. p. q. 4. ar. 2. disp. 7. & cõmuniter ex aliis eiusdẽ sententiæ, ideo subsistentia fluit ex principiis intrinsecis naturæ, & dicitur naturalis naturæ substãtialis, quia naturaliter inclinatur natura substãtialis ad subsistentiã recipiendam ab extrinseco principio actiuo, eo modo, (inquit Cabrera) quo motus cæli di-

citur cælo naturalis, quia naturalem habet inclinationem ad hoc vt recipiat illum à principio extrinseco, nō autem quod natura sit principium actiuū dimanatiuū subsistentiæ: ergo cū substātia habeat naturalē inclinationem ad hoc, vt recipiat esse à principio extrinseco, existentia per se erit connaturalis terminus substantiæ.

Confirmatur, quia ex Aristotele 5. Metaph. lect. 10. apud S. Th. terminus dicitur, quod est cuiuslibet vltimum: at subsistentia illa Caiet. non est id quod est vltimum totius substantialis, cum post eam sequatur adhuc existentia per se: ergo.

Confirmatur, quia vel subsistentia illa Caiet. dicetur terminus intrinsecus naturæ substantialis, quia est intra rationem naturæ substantialis, vel quia est valde intima. Primum dici non potest, tum quia hoc tribuitur à D. Th. in 1. dist. 23. q. 1. art. 1. formæ substantiali; tum quia certum est hoc non posse cōuenire subsistentiæ, cum subsistentia sit extra rationem specificam naturæ substantialis. Si autem secundum asseratur, non video quomodo in sent. D. Th. existentia possit dici terminus extrinsecus, cū ex S. D. locis cit. disp. 7. n. 5. & disp. 5. n. 18. esse sit intimius omnibus aliis rebus.

Probatur tertiò, quia si de ratione subsistentiæ, esset reddere naturam capacem existentiæ (vt ait aduersa sent.) sequeretur, quod natura substātialis nō haberet immediatā capacitatē ad existentiā, & sic natura substantialis, non ita immediate ordinaretur ad existētiā sicut accidēs, & cōsequēter nō esset ens ita perfectū, ac accidēs, quia illud quod immediatius ordinatur ad esse, est perfectius ens cū ex ordine ad esse quælibet res dicatur ens, & cōsequenter illud quod immediatius ordinabitur ad esse, erit magis ens, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: ergo cū essētia accidētis immediatè existentiā recipiat, essentia accidētis erit magis ens & magis completa, quam essentia substantię, quæ vt recipiat existentiam, exigit compleri per subsistentiam illam Caietani.

Cabrera 3. q. 1. 4. art. 2. disp. 3. §. 5. ad 2. non veretur cōcedere, quod essentia accidentis est magis completa, in suo genere, quàm essentia substantiæ. Sed certe ista solutio indigna est, cui respondeatur, quia ex ea sequitur quod accidens sit ens perfectius quàm substantia, & quod potiùs deberet dici ens simpliciter, quàm ipsa.

Cōfirmatur ratio præced. illud quod est ratio recipiendi esse, non habet aliquid aliud quod sit sibi ratio illud recipiendi: sed forma est ratio materiæ recipiendi existentiam, & propterea materia etiam de potentia absoluta, non potest existere sine forma, quia forma est ratio formalis, sub qua materia tendit immediatè ad esse: Ergo forma non indiget subsistentia vt recipiat esse: sicut enim quia lux est ratio visui tendendi in obiectum, ideo non eget aliquo alio quod sit ei ratio tendendi in ipsum, alioqui certe daretur processus in infinitum. Ita quia forma est materiæ ratio recipiendi existentiam, propterea non debet aliquid aliud esse materiæ ratio recipiendi ipsam, & ideo etiam D. Th. 2. contra Gentes c. 54. non recurrit ad subsistentiam Caiet. vt substantia esse recipiat, sed dicit formam esse complementum ipsius vt recipiat esse eo modo quo diaphaneitas complet aërem vt immediate lucem recipiat.

Confirmatur secundò, quia potentia receptiua definitur per ordinem ad actum quem immediate recipit: ergo cum substantia definiatur per ordinem ad esse, (definitur enim ens cui debetur esse per se) debet substantia esse immediate receptiua, secundum suam essentiam, existentiæ, vt etiam dicit expresse D. Th. in 1. d. 3. q. 11. art. 2. ad 2. locum retulimus suprà disp. 6. q. 2. ergo non debet dari illa subsistentiæ Caiet. vt substantia reddatur capax receptionis existentiæ.

Ratione Theologica eadem veritas demonstratur.

§. IV.

53. Probatur quartò, si suppositum constitueretur formaliter per illam subsistentiam Caiet. sequeretur quod DEVS posset supplere existentiam creatam in supposito creato, & vna cũ illo facere vnũ per se simpliciter: at implicat quod DEVS possit facere vnum per se cum supposito creato, quia suppositum dicit negationem communicabilitatis, cum quocumque aliò, cum quo faciat vnum per se, vt sæpius dictum est: & propterea etiam D. Th. sæpissime negat, posse esse duas hypostases, aut duo supposita in Christo, quia alioquin (inquit) vnio illa esset accidentalis, & non substantialis & per se: ergo. Probatur sequela mai. illud quod nullam includit imperfectionem potest suppleri à Deo; sed existentia suppositi creati ex se, & ex proprio genere nullam includit imperfectionem: ergo potest suppleri à Deo in aliquo supposito creato; sed ex suppositione quod DEVS per suam existentiam suppleret existentiam alicuius suppositi creati, Deus faceret cum tali supposito creato vnũ per se: & probatur quia existentia Dei faceret eamdem vnionem cum illo supposito, quam faceret propria existentia, sicut de facto iam in Christo existentia, & subsistentia Verbi faciunt eamdem vnionem cum humanitate Christi, quam fecissent propria subsistentia & propria existentia: ergo cum existentia creata faciat cum proprio supposito vnionem per se & subsistantialem, existentia Dei in illa suppositione eamdem faceret vnionem cum tali supposito.

Sed dices, de ratione suppositi esse, quod excludat communicabilitatem cum alio supposito: at hoc ipso quod DEVS per existentiam diuinam, suppleret existentiam creatam, deberet tale suppositum creatum vniri cum vno, vel tribus suppositis diuinis; ergo non potest Deus supplere existentiam creatam, nisi etiam suppleat & subsistentiam.

54. Sed contra quia suppositum creatum dicit solũ negationem communicabilitatis, & vnionis per se cum supposito diuino in illo ordine in quo supponitur iam esse vnum per se: atqui ex vi suppositalitatis Caiet. suppositum creatum constituitur solum vnum per se in ordine subsistendi, & non in ordine existendi: ergo non repugnat, quod suppositum creatum faciat vnum per se simpliciter cum supposito diuino in ordine existendi, licet repugnet quod faciat vnum per se cum illo in ordine subsistendi. Maior patet ex ipsis terminis & potest ostẽdi euidenti inductione; vnitas enim atoma

ſpecifica excludit] ſolum à re quam conſtituit communicabilitatem cum alia ratione atoma, qua cum faciat vnum per ſe in illo ordine, non autem communicabilitatem cum alia ratione indiuiduali, qua cum faciat vnum per ſe indiuiduum, & vnitas indiuidualis excludit ſolum ab indiuiduo communicabilitatem & vnionem per ſe cum alia ratione indiuiduali, non autem communicabilitatem & vnionem per ſe cum alia ratione, qua cum faciat vnum per ſe in ordine ſubſiſtendi ſeu vnum ſuppoſitum, & ſimiliter vnitas ſuppoſiti quæ conſtituitur per illam ſubſiſtentiã Caiet. non excludit à ſuppoſito communicabilitatem & vnionem per ſe cum exiſtentia, etiam in ſententia illius: ergo cum illa exiſtentia nullam includat imperfectionem ex genere ſuo, poterit æque ſuppleri à Deo, poſita etiam ſubſiſtentia Caiet. ſicut poteſt ſuppleri ſubſiſtentia creata poſita ratione indiuiduali; quia ſicut, quantum eſt ex ſe, ſuppoſitum hoc creatum hanc exigit connaturaliter exiſtentiam creatam & non aliam, ita & natura indiuidua ſubſtantialis, hæc verbi gratia humanitas hanc ſubſiſtentiam creatam & non aliam ſaltem connaturaliter: ergo ſicut non obſtante exigentia connaturali quam habet natura indiuidua ſubſiſtentiæ huius, poteſt ſuppleri à Deo talis ſubſiſtentia creata, quia ex genere ſuo nullam includit imperfectionem: ita licet ſuppoſitum hoc creatum hanc exigat exiſtentiam creatam, poterit tamen ſuppleri à Deo, quia exiſtentia nullam inuoluit imperfectionem, quantum eſt ex ſe, & ex genere ſuo. patet iſta conſequentia, quia ſi qua eſſet repugnantia, quare ſuppoſitata natura per talem ſubſiſtentiam, non poſſet per exiſtentiam diuinam exiſtere, & facere vnum per ſe cum illa in ordine exiſtendi, eſſet quia ſubſiſtentia eſſet ratio immediata recipiẽdi exiſtentiam: at etiamſi ratio indiuidualis ſit naturæ indiuiduali ratio immediate recipiendi ſubſiſtentiam, tamen poteſt ſuppleri à Deo vt patet in humanitate Chriſti, ergo exiſtentia in humanitate Chriſti poſſet à Deo ſuppleri, etiam ſi terminata eſſet humanitas ipſius per illam ſubſiſtentiam Caiet.

55. Sed probatur vlterius eadem maior, ſic vnitas per ſe, ſolum dicit ab intrinſeco negationem communicabilitatis, cum alia ratione, cum qua faciat vnum per ſe in eodem genere vnitatis: ergo vnitas ſuppoſiti creati, dicet ſolum negationem communicabilitatis & vnionis per ſe cum alia ratione cum qua faciat vnũ per ſe ſuppoſitum; negatio enim quam dicit vnitas, dicit ſolum diuiſionẽ & excluſionem ab altero, ſeu quod non ſit alterum eiuſdem rationis cum poſitiuo, in quo fundatur talis negatio, & ſic vnitas indiuidualis, dicit ſolum excluſionem alterius vnitatis indiuidualis, non excluſionem vnitatis ſuppoſitalis; ergo vnitas ſuppoſitalis dicet excluſionem ſolum alterius vnitatis ſuppoſitalis, ſeu alterius rationis cum qua faciat vnum per ſe, ſuppoſitum, non vero excluſionem vnitatis exiſtentiæ, cum qua non debet facere vnum per ſe in ordine ſuppoſitandi ſed in ordine ſolum exiſtendi; vnde licet vnitates poſteriores dicant excluſionem & diuiſionem ab eo, à quo diuidunt & ſeparant vnitates priores, quia poſteriora priora includunt, & inferiora ſuperiora, vt vnitas indiuidua ſpecifi-

cam & specifica genericam, tamen priores vnitates non excluduntur ab iis, à quibus separant posteriores vnitates: & sic licet per vnitatem suam specificam homo excludatur à bruto, & ab aliis omnibus à quibus excluditur & animal, & viuens, & corpus & substantia, & propterea excluditur ab eo ratio insensibilis, ratio incorporei & pure spiritalis, ratio accidentis; tamen animal non separatur ab iis à quibus separat homo, & propterea animal potest facere vnũ per se cum bruto, quod non potest præstare homo & vnitas eius specifica: ita similiter, licet suppositum habeat repugnantiam cum iis omnibus à quibus separantur, & quibuscum habent repugnantiam vnitates superiores, tamen non habet repugnantiã adhoc vt vniatur, & coniungatur cũ eo, cum quo non potest coniungi vnum per se existens, in illa sententia quæ ponit duplicem esse hanc vnitatem, sicut dicunt aduersarij; & ita & suppositum præcise sumptum non habebit repugnantiam vnionis cum supposito Dei, in ratione existendi; licet habeat repugnantiam vnionis cum eo, in ratione subsistendi, seu suppositandi: sicut enim vnitas numerica, quã habet humanitas Christi, licet afferat humanitati repugnãtiam, vt vniatur cum natura diuina, ad hoc vt vnam per se numero naturam faciat cum ea, quia iam talis est ante vnionem cum Deo, non tamen tribuit ei repugnantiam adhoc, vt vniatur cũ Deo in ratione suppositandi, & in ratione existẽdi, seu adhoc vt faciat vnum suppositum, & vnum per se existens cum eo: ita licet ratio suppositalis, seu subsistẽtia Caiet. tribuat supposito repugnãtiam, adhoc, vt vniatur cum Deo ad faciendum vnum per se suppositũ cum eo, quia ante vnionẽ iam supponitur esse vnũ suppositum, tamen illa vnitas suppositalis, nõ impediet suppositũ creatũ, quominus in ordine existendi possit vniri cũ Deo, & facere vnum per se cũ eo in illo ordine: ergo cum suppositũ dicat negationem vnionis, & cõmunicabilitatis cum quocũq; alio, cum quo postea faciat vnũ per se, non poterit cõstitui per illã Caiet. subsistentiam, sed per existentiam substantialem; ex suppositione enim quod existentia substantialis, vniatur substãtiæ indiuiduæ, resultat statim ex illa vnitate, totum aliquod substantiale omnino incõmunicabile, & repugnãtiam habens ad faciendum vnum per se cum quocumque alio, vt patet euidenter ex ratione prima, & ex iis omnibus quæ tam in præsenti, quam in præced. quæstione dicta sunt.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. IV.

56. OBiicitur si existentia est de ratione intrinseca suppositi, sequitur quod ista propositio Petrus est existens, est propositio æternæ veritatis; ergo ista etiã erit vera, quod ab æterno Petrus existit, quia facere existere, est effectus formalis existentiæ, & consequenter, si ab æterno existentia conuenit Petro, etiam existet ab æterno.

Resp. concedendo, antecedens, si ly existens sumatur nominaliter, seu in in actu signato, & vt absoluit à tẽpore, non autẽ si ly existẽs sumatur participialiter, seu verbaliter & in actu exercito, quia nulla prædicata, quantumcũque sint etiam essentialia, pos-

sunt conuenire essentialiter vlli creaturæ, si cõsiderentur in actu exercito, & vt verbaliter & participialiter sumuntur; quamuis enim v.g. viuens sit prædicatũ essentiale hominis, tamen non est verũ quod homo sit viuens ab æterno, si viuẽs sumatur in actu exercito, seu participialiter, sed solum si nominaliter & in actu signato sumatur: ex quo euidenter apparet negandam esse absolute consequentiam, quia ly existit, est verbum, & consequenter verbaliter & in actu exercito significat existentiam. Et ad probationẽ consequenter respondeo, quod facere existere, est solũ effectus formalis existentiæ in actu exercito cõsideratæ, illud enim quod existentia habet pro effectu suo formali, si consideretur in actu signato, est constituere rem existentẽ in actu signato, & secundum hanc vltimam considerationem pertinet ad essentiam suppositi, non autem secundum primam, secundum quam de nullius creaturæ essentia potest esse.

Et si dicas quod existentia poterit esse de natura specifica alicuius creaturæ, si potest ad rationem suppositi intrinsece pertinere.

Respondeo negando illã sequelam, quia sicut subsistentia in sent. aduersar. est de intrinseca ratione suppositi reduplicatiue sumpti, & tamen non potest esse de natura specifica vllius creaturæ; ita neque existentia substantialis in nostra sententia.

57. Obiicitur, debet dari in natura aliquis terminus qui sit intrinsecus ipsi: ergo cum ex D. Tho. plerisque in locis existentia sit quid accidentale rei, præter existentiam dabitur in natura rei subsistentia per quam intrinsece terminabitur.

Confirmatur, quia in quantitate continua, præter existentiam datur punctum, per quod terminatur intrinsece: ergo similiter in substantia præter existentiam debet dari subsistentia, per quam intrinsece terminetur.

Respondeo ex D. Tho. cap. 5. de ente & essentia quodlib. 2. quæst. 2. art. 4. ad 1. & alibi sæpius quod ideo existentia dicitur quid accidentale rei, quia existentia est extra essentiam & naturam specificam creaturæ, & sic in nostra sententia existentia non est magis extrinseca rei quam subsistentia in eorum sententia, imo omnis connaturalitas quam ponunt in natura respectu subsistentiæ, tribuitur etiam à D. Tho. eidem naturæ respectu existentiæ, & propterea sicut Caiet. ponit quod subsistentia constituit suppositum per modum termini, ita D. Tho. 3. p. quæstio. 19. articulo primo ad 4. dicit quod esse per se pertinet ad suppositi constitutionem per modum termini naturæ.

Resp. secundo, ex D. Tho. in 1. sent. dist. 23. qu. 1. a. 1. in corp. & 2. contra Gent. c. 54. quod forma est terminus intrinsecus & complementum intrinsecum substantiæ; vnde sicut in albedine aliisque qualitatibus non datur alius terminus intrinsecus essentiæ præter differentiam ipsius, ita nec in substantia, sed ipsamet forma, vnde petitur eius differentia, est vere terminus ipsius intrinsecus.

Respondetur autem ad id quod obiicitur de quantitate, non esse arguendum ex iis quæ conueniunt alicui determinato generi, ad concludendum aliquid simile de iis, quæ sunt alterius generis; & propterea licet indiuisibilia terminatiua con-

ueniant quantitati, non tamẽ licet arguere quod similia terminatiua conueniant aliis accidentibus; ergo similiter non licebit ex iisdem arguere ad concludendum aliquid simile reperiri in substantia quod ei correspondeat.

Si autem quæras, cur assignentur positiua terminatiua in quantitate distincta ab esse & essentia quantitatis, licet similia terminatiua in substantia aliisque accidentibus non assignentur.

Respondeo ex PP. N. Complut. in Physica disp. 25. quæst. 1. §. 2. 3. 4. in respons. ad 1. hoc ideo esse, quia quantitates non possunt se inuicem tangere immediate, nisi in aliquo indiuisibili terminatiuo, & quia de necessitate corpora debent se inuicem tangere media quantitate, vt vnum alterius influentias recipere possit; ideo fit quod prouisa sint à natura quantitati indiuisibilia terminatiua: at nihil est, prorsus in aliis entibus, quod inducat ad admittenda similia terminatiua & consequenter inutiliter omnino admitterentur in eis.

58. Obiicitur. terminus qui generationis, est suppositum: sed totum resultans ex vnione essentiæ & existentiæ, non potest esse terminus qui generationis: ergo nec suppositum: maior videtur certa, pro qua poterunt videri N. Complut. in lib. de gen. disp. 2. q. 3.

Minor autem probatur, quia existentia non potest attingi, tanquam à causa principali, ab vlla creatura, in sententia S. Tho. ergo existentia vnita cum essentia, non potest esse terminus generationis.

Respondeo primo, secundum ea quæ dicta sunt disput. 7. quæst. 2. satis probabile esse, quod entitas existentiæ particularisatæ producitur principaliter à causa secunda.

Respond. 2. quod licet entitas existentiæ non possit produci principaliter à causa secunda, vt ostensum est ibid. tamen vnio eius cum essentia potest principaliter ab ea attingi, vt dictum est eadem disp. quæst. 1.

Et si dicas hoc non sufficere, sed suppositalitatem debere à generatione produci.

Respondetur hoc non esse necessarium, quia subsistentia hominis constituit suppositum eius in sentent. aduersariorum, & tamen entitas subsistentiæ humanæ non producitur per generationem hominis, cum sit spiritalis sed per creationem; vnde sicut in sent. aduersariorum, vnum suppositum humanum dicitur aliud suppositum generare, quamuis nihil attingatur à generatione hominis, nisi vnio subsistentiæ cum natura seu essentia hominis: ita, vt in nostra sententia, generatio dicatur attingere suppositum, non est necesse, quod generatio producat existentiam, sed sufficit, quod attingat vnionem ipsius cum natura indiuidua. Sed quid immoramur, nonne verum est, quod terminus qui generationis accidentalis, est suppositum? Sicut enim omnis actio est à supposito, tanquam à principio quod, ita & ad suppositum terminatur, tanquam ad terminũ ad quem, & tamen suppositalitas non producitur in generatione accidentali, sed sola forma accidentalis vnitur cum supposito: ergo non requiritur quod suppositalitas producatur per illam actionem, cuius suppositum dicitur esse terminus qui.

Obiicitur, illud per quod constituitur

tuitur substantia in ratione primæ substantiæ, est illud, per quod constituitur in ratione suppositi: atqui substantia non potest constitui in ratione primæ substantiæ per existentiam per se, quia quicquid ponitur in prædicamento præscindit ab existentia: ergo &c.

Respondeo illud quod ponitur in prædicamento, præscindere quidem ab existentia in actu exercito, non tamen ab existentia in actu signato considerata. Vnde respondetur in forma ad argumentum distinguendo maiorem, si per eam intelligatur, illud constituere suppositum in esse suppositi, quod constituit primam substantiam secundum rationem completam & vltimo terminatam substantiæ primæ, concedenda est; si autem intelligatur per eam illud constituere suppositum, quod constituit substãtiam primam, secundum aliquam eius rationem solum incompletam, & non vltimo terminatam, neganda est: & hoc euidẽtissime patet in humanitate Christi, quæ præcisa à verbo, est sine dubio singularis, & consequenter prima substantia, & non secunda, & tamen non est suppositum, quia scilicet, si consideretur præcise secundum se, non est vltimo terminata, atque completa.

Vel potest secundo responderi cũ N. Complut. in Logica disp. 12. qu. 4. n. 32. res collocari in prædicamento non ratione hypostaseos, sed ratione naturæ; & propterea dicũt ibid. cum communi Thomistarum schola Christum poni, in prædicamento ratione scilicet naturæ humanæ.

50. Obiicitur, suppositum debet constitui per aliquid, quod sit formaliter incommunicabile; ergo cum nihil sit magis communicabile existentia, existentia non erit constitutiua suppositi.

Respondeo quod existentia est quidem valde communicabilis per modum actus, sed per modum potentiæ est omnino incommunicabilis cuicumque alteri, quia cum sit vltimus & perfectissimus actus, vlteriori consequenter actu actuari non potest, vnde cum suppositũ sit etiam id, quod est perfectissimum, actualissimum & completissimum in toto genere substantiæ, si quam includit incommunicabilitatem, maxime debet eam includere quæ est per modum potentiæ, & consequenter hanc incommunicabilitatem mutuari debet ab vltimo actu substantiæ, qui est existentia substantialis.

Respondeo secundo, quod licet existentia substantialis sit secundum se valde communicabilis per modum actus, tamen quando indiuiduata est, & vnita naturæ indiuiduæ, omnino incommunicabilis est cuicumque alteri ad faciendum vnum per se cum eo, & per hanc incommunicabilitatem formalem constituit suppositum formaliter.

Respondeo tertio, quod incommunicabilitas quæ cõstituit suppositum est incommunicabilitas subsistentis seu existentis per se in natura indiuiduali, & hic modus incommunicabilitatis conuenit formaliter supposito ab existentia per se quatenus indiuidua, seu quatenus coniungitur cum natura indiuidua, & quatenus illam vt sic terminat: licet enim incapacitas illa & repugnantia subsistendi in alia natura substantiali, quam existentia vt indiuidua supposito tribuit, proueniat radicaliter à natura indiuidua, formaliter tamen proue-

nit ab existentia per se quatenus indiuiduata, sicut à pari indiuiduatio quæ est in natura indiuidua, licet radicaliter à materia proueniat, formaliter tamen est ab ipsa forma vt indiuidua.

60. Vltimo possunt sic ad hominem argumentari contra nos: illud quòd deest in humanitate Christi, debet formaliter suppleri à Deo, per aliquid, quod sit eiusdem rationis cum eo, quod deest: sed per nos, illud quod deest, est existentia per se, cum illa ex nobis sit, quæ formaliter constituit suppositum: ergo illud, per quod Deus supplebit suppositalitatem creatam, deficientem in humanitate, erit existentia diuina: ergo cum existentia sit solum vnica in diuinis, & communis tribus personis, in scholâ D. Tho. supplebit Deus suppositalitatem creatam humanitatis, per aliquid commune tribus personis, & sic tres personæ erunt incarnatæ.

Respondeo quod debent sicut & nos simili argumento respondere, possumus enim arguere sic ad hominem contra eos. Illud quod deest in humanitate Christi, debet suppleri à Deo, per aliquid quod sit eiusdem rationis cum eo, quod deest: sed ex ipsis deest in humanitate Christi subsistentia creata, quæ est absoluta: ergo debet suppleri à Deo, per subsistentiam eius absolutam, quæ est etiam communis tribus personis, sicut & existentia. Sicut ergo respondebunt huic argumento, illud quod suppletur formaliter à Deo; esse personalitatem, & consequenter debere suppleri, per id, quod formaliter constituit personam in diuinis, non autem per subsistentiam absolutam, quia licet in creatis, subsistentia absoluta constituat, personam, non tamen in diuinis: ita similiter respondeo argumento facto ab ipsis contra nos, quod illud, quod primario suppletur à Verbo diuino, est personalitas, & quia persona constituitur vltimate in diuinis per relationem & non per existentiam per se, (licet in creatis hoc fiat) quia in creatis existentia considerata vt indiuidua, seu vt naturæ indiuiduæ vnita, est id, quod vltimo aduenit, non autem in diuinis, vbi existentia est de primario & intrinseco conceptu essentiæ diuinæ; propterea Verbum diuinum non debet supplere personalitatem humanam per existentiam, sed per relationem personæ suæ constitutiuam.

61. Respondeo secundo, concedendo maiorem, & disting. minorem, existentia per se deest in humanitate Christi, secundum quod existentia per se consideratur, secundum formalitatem modumque indiuiduationis & incommunicabilitatis subsistendi, quam dicit, itaut talis modus existendi per se incommunicabiliter, sit id, quod veluti primario consideratur deesse in humanitate Christi, & ex consequenti veluti, minus principaliter, eadem existentia secundum quod respicit gradus communes & vniuersales, concedo: itaut existentia considerata absolute secundum entitatem existentiæ, sit illud, quod deest primario, & magis veluti principaliter, nego: quia licet secundum istam considerationem existentia creata de facto desit in humanitate Christi, tamen illud, quod primario concipitur deesse, non est existentia hoc modo considerata, quia secundum istam

considerationem præscindit ab indiuiduatione, & à modo existendi incommunicabiliter; vnde cum illud quod magis primario, & principaliter deest in humanitate Christi, sit ratio vltimate suppositi, seu personæ constitutiua, & suppositum creatum constituatur vltimate per illum modum incommunicabiliter & indiuidualiter existendi per se, oportet, quod in incarnatione Verbum diuinum, suppleat illum modum particulariter, & incommunicabiliter existendi, per illud, per quod, modo quodam particulari, & incommunicabili existit in natura diuina; & quia Verbum habet hoc per relationem: ideo per relationem debet prius naturam humanam terminare; & quia modus incommunicabiliter existendi, qui deficit primario: in humanitate Christi, nihil est aliud, quam indiuiduatio formalis ipsius existentię, seu existentia, vt indiuidua, quæ ad defectum rationis suæ particularis, debet secundum suam entitatem necessario deesse in eadem humanitate, quia deficiente ratione particulari, debent de necessitate, & aliæ rationes communes deesse, sicut & entitas particularis, in qua fundantur: hinc fit, quod verbum etiam suppleat illam entitatem existentiæ creatæ; per existentiam absolutam Dei, non quocumque modo consideratam, sed quatenus talis existentia Dei, est veluti Verbi diuini propria, & per modum particulariter, seu incommunicabiliter existendi ipsius determinata & modificata. Ex quibus poteris euidenter colligere, mirabilem analogiam, proportionem, atque similitudinem, quę in nostra sententia reperitur inter rationes constitutiuas personarum creatarum, atque diuinarum; quia sicut existentia per se, constituit personam diuinam secundum aliquam rationem inadæquatam personæ, id est secundum rationem subsistentis, quam includit persona intrinsece; ita existentia per se in creatis constituit personam secundum eandem rationem subsistentis; & sicut modus particulariter, & incommunicabiliter existendi in natura diuina, conueniens cuilibet personæ diuinæ in particulari, constituit vltimate personam, secundum scilicet rationem distinctionis, & incommunicabilitatis, quam persona dicit; ita & modus particulariter, & incommunicabiliter existendi in tali natura, personam creatam vltimate constituit; & sicut ille modus incommunicabiliter existendi, est ille, secundum quem in diuinis, vna persona, diuerso modo ab aliis personis, communicat & existit in natura diuina, ita similiter in creatis, idem modus incommunicabiliter existendi, est ille, secundum quem vna persona communicat & existit in aliqua natura diuerso modo ab eo; secundum quem alia persona communicat & existit in eadem natura.

Aliqua Corrollaria deducuntur ex supradictis.

§. *Vltimus.*

62. EX his omnibus possumus aliqua Corrollaria deducere. Primum est quod hypostasis, subsistens, suppositum, res, naturæ, persona, ista omnia sunt vnum & idem in natura rationali; si sumantur secundum id quod formaliter significant: significant enim totum omnino completum & perfectum in genere substantiæ, sed quia illud totum diuersas habet habitudines, ideo diuersis nominibus nuncupatur; secundum enim quod comparatur ad accidentia quorum subiectum est, vocatur hypostasis, id est substantia prima; secundum quod habet esse per se vocatur subsistens; si consideretur vt determinat naturam communem dicitur res naturę illius, id est aliquid naturæ illius; si consideretur secundum quod subiicitur naturæ communi per relationem rationis quam habet ad eam, vocatur suppositum; & tandem persona secundum quod tale subsistens existit in natura rationali; vnde licet omnia ista nomina idem significent secundum id ad quod significandum sunt imposita, exprimunt tamen diuerso modo tale subsistens secundum diuersas eius proprietates; imo D. Th. notat quæst. 29. 1. p. articulo 2. in corpore & in primum dist. 23. quæstio. prima articulo 2. in corpore & alibi passim quod Boëtius appropriat quædam ex prædictis nominibus, non solum subsistenti completo, sed parti subsistentis, sumendo illa nomina secundum quod significant radicem & fundamentum vnde desumitur id quod significant; & sic quia à materia & potentia, suppositum habet subesse accidentibus, ideo materiam primam vocat hypostasim; & quia forma secundum primum gradum substantiæ, est prima ratio & fundamentum accipiendi esse per se, ideo vocat subsistentiam formam, sumendo scilicet subsistentiam pro fundamento accipiendi esse per se, quod est in supposito. poteris videre D. Tho. in primum sentent. dist. 26. qu. prima, articulo primo ad 3. & dist. 23. qu. 1. articulo 2. ad 4. in tertium dist. 6. qu. 1. articulo primo in corpore, & quæst. vnica de vnione verbi articulo 6. in corpore, vbi prædicta nomina explicat, & alia quædam quæ significant singulare, non solum in genere substantiæ, sed etiam in aliis generibus, vt indiuiduum singulare, & particulare, dicit enim, quod indiuiduum significat aliquam rem singularem, inquantum est in se indiuisa, particulare vero, inquantum partem naturæ communis accipit, & tandem singulare, inquantum est diuisa ab aliis, & propterea, inquit, singulare est idem atque diuisum. Si vis videre plura ad intelligentiam istorum omnium lege S. Doctorem locis cit. supra & Flandriam 5. Metaph. quęstio. 8. articulo 2.

63. Secundum Corollarium est, quod natura & suppositalitas, in creatis, alio modo comparantur inter se, quam in diuinis; ita enim comparantur inter se in creatis, vt se inuicem limitent, ac determinent, quia cum esse recipiatur in natura

per modum informantis eam, & natura recipiat esse, vt potentia quædam passiua illius, propterea limitant se inuicem, tribuuntque sibi inuicem incapacitatem communicandi se alteri, cum quo faciant vnum per se. Ex quo adhuc procedit, quod non solum suppositum creatum, secundum rationem suppositalem consideratum, sed etiam secundum ea omnia, quæ inuoluit, & includit, sit cuicumque alteri supposito incommunicabile: etenim esse creatum ita supposital naturam, vt reddat eam incapacem alterius suppositalitatis, & natura ita recipit esse, vt recipiendo limitet ipsum, reddatque illud incommunicabile per modum actus & termini, cuicumque alteri naturæ, quia quælibet pars, proprias imperfectioues alteri cōparti tribuit, atq; cōmunicat, & sic post vnionem esse & naturæ, nec natura creata potest alteri per modum potentiæ communicari, cum quo faciat vnum per se, nec existentia creata per modum actus: at suppositalitas diuina, ita naturæ diuinæ vnitur, & ita illam suppositat, vt licet reddat suppositum diuinum, cuicumque alteri supposito incommunicabile, si consideretur formaliter secundum rationem suppositalem, non tamen naturam diuinam: natura enim diuina, ita ab vno supposito suppositatur, vt tamen alteri supposito non reddatur incommunicabilis. Similiter natura diuina ita se supposito communicat, vt non tollat ab eo vim communicandi se secundario alteri naturæ creatæ, & hoc quia vniuntur, sic ad inuicem, vt non se inuicem limitent, aut restringant, cum nec suppositalitas diuina terminet naturam diuinam per modum actus informantis, sed per modum puri termini subsistentis; nec natura diuina vniatur supposito suo per modū potentiæ receptiuæ, sed per modum puri terminabilis, & adhuc eminentissimi, & à se perfectionem termini sui non excludentis. Et ideo licet suppositalitas constituat verè suppositum in diuinis, reddatque consequenter illud alteri eiusdem rationis, alteri scilicet suposito incommunicabile, si consideretur totum suppositum cathegorematice; tamen non reddit naturam diuinam alteri supposito, quo cum faciat vnum per se, incommunicabilem, quia terminat illam per modum puri termini subsistentis: ex quo fit quod totum effectum suum (vt dicebamus quæst. secunda huius disp. n. 13.) reuocet ad se, seu. supra seipsum, & supra suppositum cathegorematice consideratum, nec eum supra naturam vllo modo effundit, quia vt suppositum consideratum cathegorematice reddat incommunicabile, sufficit, quod secundum aliquid illius reddat illud incommunicabile, non secundum ea omnia quæ [illegible] includit. Similiter quia natura diuina se communicat supposito suo per modum puri terminabilis, & nullo modo per modum potentiæ limitantis terminum suum, propterea relinquit illum in sua infinitate, & incapacitate consequenter terminandi infinitas naturas, si illę abiles essent: vnde si alicui rei non est communicabilis, ideo est, quia illa res non est capax ad hoc, vt ab illo termino terminetur, quia scilicet iam terminata est per alium terminum limitatiuum, & reddentem eam incapacem per informationem suam, alterius perfectiui, quo cum faciat vnum per se.

Ex iis sequitur, quod incommunicabile positum in definitione suppositi, debet appellare supra suppositum cathegorematice consideratum, si extendatur vsque ad suppositum diuinum, vel suprà suppositum secundum rationem formalem suppositandi, itavt suppositum dicatur alteri supposito incommunicabile, ad faciendum vnum per se cum eo, quia secundum rationem suppositandi alteri supposito est prorsus incommunicabile, licet secundum aliquid quod includit intrinsece alteri supposito dicatur communicabile, & de facto communicetur, sicut accidit in natura diuina, quæ licet suppositata ab vno supposito, communicabilis tamen est aliis suppositis diuinis, non quidem secundum rationem suppositandi qua suppositatur, sed secundum se: vnde licet in creatis suppositalitas creata reddat alteri cuicumq; suppositalitati naturã quam terminat incõmunicabilem, & natura suppositalitatem cuicumque alteri naturæ, non tamen in diuinis: incommunicabilitas enim quæ est in suppositis diuinis, non prouenit ex eorum limitatione vt accidit in creatis, sed ex sola oppositione relatiua: ex quo fit quod suppositum diuinum sit solum, quantum est ex se incommunicabile rei, cui opponitur relatiue, non autem alteri, cui relatiue non opponitur: vnde cum suppositum diuinum non reddat essentiam diuinam alteri supposito relatiue oppositam, non reddet quoque eam alteri supposito incommunicabilem; imo cum suppositum diuinum non opponatur relatiue vlli rei creatæ (non potest enim realiter referri ad creaturas) sequitur, ipsum nullo modo esse incommunicabile cuicumque naturæ creatæ, & consequenter subsistentiam posse ab illo suppleri, vbicumque illa defecerit. Dico magis, ex eodem principio sequi, suppositum diuinum non esse, (quantum est ex se) incommunicabile alteri supposito creato, cum nullam exerceat oppositionem relatiuam cum eo; & ideo si non est ei communicabile, repugnantia non oritur ex parte suppositi diuini, sed ex parte suppositi creati, quod cum vltimò termino sit terminatum, implicat consequenter aliquo alio termino vlterius terminari. Deinde ex eo, quod suppositum creatum, est iam vnum per se completum, atque perfectum, & per consequens incapax vnionis cum quocũque altero, à quo perficiatur taliter quod faciat vnũ per se cũ eo.

65. Tertium Corrollarium est, quod licet non repugnet naturam creatam terminatam per vnam personalitatem diuinam, ab aliis duabus personalitatibus diuinis rursus terminari; tamen implicat, quod semel terminata per propriam suppositalitatem creatam, vlterius terminetur alia quacumque suppositalitate etiam diuina. Hoc Corrolarium est contra Cabreram 3. p. quæst. 4. art. 2. disp. 3. paragr. 9. art. 2. num. 104. vsque ad 114. vbi, hoc asserit, licet num. 99. & 100. teneat si daretur natura existens sine propria subsistentia sicut dicit Caiet. posse fieri, vt ipse Cabrera refert disp. 6. in art. 2. eiusdem quæst. 4. quod tunc eo casu, non posset talis natura assumi à Verbo aut ab altera persona. Ex quo interim nota ex istis etiam aduersariis per

existentiam reddi naturam magis incommunicabilem, quam per subsistentiam, & consequenter debere potius per eam constitui suppositum quam per illam subsistentiam Caiet.

Sed probatur Corollarium nostrum, quia natura terminata per propriam suppositalitatem seu existentiam per se, limitatur & determinatur ad proprium modum incommunicabilitatis, quam habet suppositalitas creata, quia vt diximus num. 63. ex vi informationis, qua suppositalitas creata informat naturam, facit illam à se dependentem, & communicat illi consequenter imperfectionem, quam habet: quæuis enim causa effectui suo communicat illud quod habet vt quo (si sit causa intrinseca:) vnde cum creata suppositalitas, etiam in sentētia ipsius Cabreræ, habeat quod sit incōmunicabilis; ipsi quoque supposito diuino, & ab eo non possit terminari, hanc imperfectionem communicabit naturæ, quam informat, & consequenter natura creata semel terminata suppositalitate propria non poterit vlterius actuari à subsistentia, non solum creata, sed etiam diuinæ. Itavt faciat vnum per se cum illa: at cum subsistentia diuina sit subsistens, non autem informans, non effundit se consequenter, nec illud quod habet, supra naturam quam terminat, sicut facit terminus informans, sed totum, quod habet, in seipsum reducit ac reuocat, & propterea non reddit naturam illam creatam, quam terminat, alteri supposito diuino incōmunicabilem & consequenter natura creata suppositata per vnam personam diuinam, poterit adhuc per alteram suppositari.

Secunda ratio est, quia suppositum diuinum est relatiuum, relatiuum autem coexigit aliud relatiuum, vnde tantum abest quod excludat à natura, quam terminat, aliud relatiuum, quin potius coexigit aliud, vt diximus quæst. 2. huius disput. n. 13. art. primo: atqui suppositalitas creata est absoluta, ergo per eam suppositum reddetur cuicumque alteri absolute incommunicabile.

Tertia ratio est; quia existentia per se, (vt dictum est, quæst. 3. & 4.) constituit suppositum creatum: ergo cum natura terminata per existentiam, non possit alia existentia terminari, secundum Cabreram, non poterit consequenter terminata per suppositalitatem creatam, vlterius terminari persona etiam diuina, quia non posset terminari personalitate illa diuina, quin personalitas illa diuina, simul communicaret illi suum esse; vnde sicut nulla res potest habere duplex esse per se, seu duplex esse simpliciter, ita nec duplici personalitate gaudere; & propterea ipsemet Cabrera fatetur, quod si natura creata, iam personata propria personalitate, personaretur adhuc diuina, deberet talis natura amittere suum esse creatum, vt reciperet esse diuinum, media personalitate diuina, qua terminaretur.

Confirmatur; quia existentia est vltimus terminus naturæ, vltimumq; eius complementum: ergo natura per eam terminata, non potest vlterius alicui alteri communicari, aliàs sequeretur eam esse vltimo terminatam, & non vltimo terminatā, vltimo cōpletam, & non vltimo completam.

66. Quartum Corrolarium est, quod indiuiduum est duplex. Alterum, quod se tenet ex parte naturæ, & vocatur indiuiduum naturæ; alterum, quod se tenet ex parte modi essendi, quod potest vocari indiuiduum modi essendi.
Indiuiduum naturæ est illud, quod determinat & particularisat naturam, sicut esset, v.g. hæc humanitas: cum enim humanitas significet naturam humanam, particula ista, hæc, quæ est particula & signum determinans, particularisat naturam humanam, & reddit illam indiuiduam ex parte naturæ. Indiuiduum verò modi essendi est v. g. Petrus, qui quidem significat indiuiduum; sed vt tale indiuiduum, est indiuiduum modi essendi, seu subsistentis in natura indiuidua, & sic illud quod primario Petrus significat, est indiuiduum modi essendi, seu existens per se quatenus illud est indiuiduum & incommunicabile; hæc autem diuisio indiuiduationis est D. Th. sub expressis terminis in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 1. in respons. ad 2. quæst. 3. accipe eius verba: *Ad tertium dicendum est, quod duplex est singularitas; singularitas scilicet naturæ, vt hac humanitas, & singularitas subsistentis in natura, vt hic homo.* Vide etiameum quæst. 9. de potent. art. 6. in corp. & 1. p. quæst. 30. art. 4. in corp. vbi dicit quod persona significat indiuiduum veluti vagum, sed vt indiuiduum vagum, est indiuiduum modi essendi, non autem vt est indiuiduum vagum naturæ, quod, ly aliquis homo, significat; ita autem comparantur ista duo indiuidua inter se, vt vnum sit complementum respectu alterius, indiuiduum enim naturæ complectur omnino in esse indiuidui, & incommunicabilis, per indiuiduum modi essendi, cum enim indiuiduum significet id, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio, & natura indiuidua, indiuiduatione se tenente ex parte naturæ solum, sit adhuc communicabilis existentiæ, inde fit, quod non dicatur omnino, & complete indiuidua, seu incommunicabilis, donec sit vnita & coniuncta existentiæ indiuiduæ, & ex tali vnione recipiat indiuiduationem modi essendi, ex defectu cuius, natura aliquando non dicitur indiuidua, licet indiuiduationem illam habeat, quæ se tenet ex parte naturæ. Vide D. Th. in 2. dist. 2. quæst. 2. art. vlt. in corp. & 3. p. quæst. 50. art. 3.

QVÆSTIO V.

Vtrum existentia substantialis quam addit suppositum supra naturam indiuiduam substantiæ, pertineat solum extrinsece, an verò intrinsece ad rationem eius constitutiuam.

Resoluitur quæstio petita ab auctoritate

§. I.

67. HVic quæstioni per præcedentes sufficienter satisfactum est: sed quia aliqui sunt qui acriter tuentur secundum mentem D. Th. suppositum supra naturam indiuiduam addere solum extrinsece existentiam, ideò vt mens D. Th. aperiatur, & quibusdam eius authoritatibus satis fiat, quæ nonnihil difficultatis primò aspectu præ se ferre videntur, ex professo eá instituimus,

Prima

Prima ergo sententia est eorum, qui (licet non admittant subsistentiam Caietani) dicunt tamen existentiam substantialem esse solum extrinsecam supposito, & propterea suppositum constitui formaliter & intrinsecè per gradum indiuidualem naturæ substantialis, prout connotat existentiam tanquam actum extrinsecum. Hęc sententia ab aliquibus Capreolo tribuitur, sed immeritò vt statim videbitur.

Secunda sententia & vera est, existentiam substantialem, prout gradum indiuidualem naturæ substantialis respicit, & cum ea prout sic, coniungitur, non solùm extrinsecè, sed intrinsecè ad rationem suppositi pertinere. Hanc sententiam satis fusè in quæst. præced. propugnauimus, & propterea in sola confutatione 1. sententiæ in hac quæst. nobis erit immorandum.

Et primò quidem ostendamus, tum Capreolum tum D.Th. non esse huius sententiæ, sed nostræ. Incipimus à Capreolo, cuius accipe verba *in 3 dist. 5 q. 3 sub finem; Sicut album, inquit, est duplex, denominatiuum, scilicet, & formale, ita etiam persona vel suppositum potest dici dupliciter. Primo modo denominatiuè, & sic suppositum dicitur illud indiuiduum quod per se subsistit: Secundo modo formale, & sic suppositum dicitur compositum ex tali indiuiduo, & ex sua subsistentia per se.* Quam quidem subsistentiam per se, paulò ante dixerat esse existentiam per se. Ex quibus verbis euidens est Capreolum sentire, quod existentia per se, est de intrinseca ratione suppositi, si reduplicatiuè & formaliter sumatur, eo modo quo albedo dicitur esse de intrinseca ratione albi, si album reduplicatiuè sumatur; quando ergo paulò superius dixit, suppositum esse indiuiduum stans sub tali esse, non autem compositum ex esse & essentia, intendebat loqui, (vt seipsum verbis statim allatis explicat) non de supposito reduplicatiuè & formaliter sumpto, & secundùm id quod de formali importat: sed de supposito denominatiuè sumpto, id est, de subiecto de quo dicitur denominatiuè seu accidentaliter suppositum, seu suppositalitas in concreto, (sic enim Capreolus ly denominatiuè sumit,) vt patet exemplo, quod affert de albo denominatiuè sumpto, quod nihil aliud est, quàm subiectum, de quo albedo in concreto sumpta, denominatiuè & accidentaliter prædicatur: vnde cùm subiectum, de quo denominatiuè, & accidentario, suppositalitas in concreto prædicatur, sit indiuiduum, (existentia enim est extra conceptum naturæ indiuiduæ, & consequenter accidentaliter prædicatur de ea,) propterea dixit Capreolus loco prællegato, suppositum esse indiuiduum, stans sub existentia.

Confirmatur, existentia per se ex Capreolo, est actus personalis & suppositalis: ergo cùm suppositum constituatur intrinsecè per actum suppositalem, suppositum constituetur per existentiam per se, tanquam per actum intrinsecum. Antecedens est Capreoli ibidem paulò ante verba ex ipso à nobis relata, vbi hæc habet. *Licet substantia prima non subsistat per essentiam propriam, tanquam per actum subsistendi, qui est esse, cum quadam negatione essendi in alio, subsistit tamen per eam, tanquam per rationem proximam principiatiuam actus subsistendi, suppositandi, & personandi.*

Sed accedamus ad authoritates diui

Gg

Thomæ, & primò quidem videatur insignis ille locus Opusc. 48. tract. 2. de Prædicamentis capite secundo sub finem, quem quæst. 3. disput. 10. huius num. 22. in confirmat. nostræ sentent. retulimus: etenim D. Thomas asserit expressè in isto loco componi suppositum ex esse & essentia, tanquam ex actu & potentia sua, & tanquam ex duobus principiis quibus formaliter constituitur: ergo cum nulla res completa & perfecta constituatur solùm intrinsecè per id, quod habet rationem potentiæ in ipsa, sed maximè per actum suum, existentia substantialis ingreditur formaliter intrinsecam rationem suppositi.

Probatur secundò ex aliis locis, in quibus ibidem ostendimus subsistentiam & existentiam per se esse vnum & idem: ergo cùm subsistentia sit de ratione intrinseca suppositi, (& propterea à diuo Thoma in primum distinctione 23. quæstione prima, articulo secundo definitur suppositum. subsistens distinctum in natura, quod etiam non renuunt saltem ex aduersariis aliqui, qui propterea subsistentiam cum essentia substantiæ confundunt) debet necessariò dici, quod existentia per se sit de ratione intrinseca suppositi, modo à nobis quæst. præced. explicato.

Probatur 3. ex illis locis, in quibus ostendimus ex mente D. Th. suppositum dicere id quod est perfectissimum & completissimum in genere substantiæ: ergo cùm ex Opusc. iamiam cit. & ex probatis à nobis quęst. præced & disp. 6. qu. 2. existentia per se pertineat ad genus substantiæ, tanquam id, quod est perfectissimum & nobilissimum in toto illo genere, vtpote actualitas omnium, vt ex D. Th. retulimus, esse per se pertinebit ad rationem constitutiuam suppositi; quia sine existentia totum genus substantiæ est imperfectum & incompletum.

Probatur 2. ex aliis locis, in quibus dicit D. Th. humanitatem Christi esse indiuiduam secundùm se, quæ tamen non est persona: ergo persona & indiuiduum non sunt vnum & idem, consequẽtia est aperta. Antecedens probatur ex qu. 9. de Potentia art. 2. in argument. 13. nam cùm sibi obiecisset quod in Christo videntur esse duæ personæ, quia humanitas Christi est naturæ rationalis indiuidua substantia, respondet eam non esse personam; *Quia non quacumque indiuidua substantia facit personam vel hypostasim, sed ea quæ est completa, & per se existens.* Quibus verbis euidenter ostendit Christi humanitatem esse indiuiduam, & existentiam substantialem esse constitutiuam suppositi: deinde quęst. vnica de vnione Verbi, art. 2. ad 14. *Propriorum* (inquit) *accidentium, indiuiduatio sufficienter probat indiuiduationem humanæ naturæ in Christo, non autem, quod habet rationem personæ vel hypostasis* In 3. dist. 6. q. 1. art. 1. in corp. Item quæstiunc. 3. & ad illius quæst. argumenta sæpius id repetit, quod natura, scilicet humana in Christo præcisè sumpta, sit indiuidua, licet non sit subsistens, nec consequenter persona, & tandem tertia parte, quæstione secunda, art. 2. ad. 3. loquens de humanitate Christi dicit. *Licet ergo hæc humana natura sit quoddam indiuiduum in genere substantiæ, quia tamen non per se separatim existit, sed in aliquo perfectiori, scilicet in persona Verbi: consequens est, quod non habeat personalitatem propriam.*

Dices, quod D. Thomas in 3. dist. 5.

quæst. 3. art. 2. ad 1. explicat D. Damasc dicentem, Verbum diuinum assumpsisse naturam humanam in atomo, secundum istum sensum *quod humana natura postquã vnita est fuit in atomo, in persona Verbi, non quod ante vnionem praextiterit in atomo:* ergo per ista verba videtur sentire D. Th. quod humanitas Christi non erat atoma, nec indiuidua ante vnionem, sed quod facta est in indiuiduo, seu indiuidua post vnionem cum Verbo.

69. Respondeo negando consequentiã iste enim modus explicandi D. Th. est omnino contra eius mentem. Vt ergo sensum eius intelligas, oportet scire, quod S. Doctor facit sequens argumentum contra se. Ex Damasc. lib. 3. de fide cap. 11. Verbum diuinum assumpsit naturam humanam in atomo, id est, in indiuiduo: ergo cum indiuiduum sit persona, Verbum diuinum assumpsit personam; ex quo argumento patet, quod intentum D. Th. in respons. ipsius, debet esse declarandi, quod humanitas ante vnionem, non est persona. Respondet ergo sub his terminis D. Th. *quod humanitas non praexistit ante vnionem, sed postquam vnita est, fuit in atomo, seu persona Verbi.* Quasi diceret, quod humanitas Christi non est persona ante vnionem, quia licet pro illo priori concipiatur indiuidua, & singularis, tamen quia pro illo instanti rationis, non est existens per se, seu vnita existentiæ per se (quæ est personæ constitutiua;) ideo persona non est pro illo priori, sed potius, per vnionem, vnita est in persona, quia vnita est in aliquo atomo subsistenti, seu existenti per se, quod est Verbum diuinum.

Ex quo patet D. Th. non negare absolute, quod humanitas Christi ante vnionem non esset indiuidua & in atomo, sed quod negat, est, eam non fuisse subsistentem, seu existentem per se in atomo & indiuidualiter, quod tamen fieri debuisset; vt argumentum posset concludere eam fuisse personam ante vnionem. Et quod iste sit legitimus D. Th. sensus, probatur ex eodem S. Doctore in 3. respondens enim ad eamdem obiectionem S. Damasc. habet ista verba, *Ad primum* (inquit) *dicendum quod Damas. intendit dicere, quod assumpsit naturã humanam particularem non autem subsistentem, sed quod in ea natura diuina subsistit.* Et ad secũdum cũ sibi obiecisset, quid quid est vel esse vniuersale, vel particulare seu indiuiduum, & naturã humanã Christi non esse vniuersalem, & consequenter indiuiduam esse, & particularem, respondet, *ad 2. dicendum quod natura humana Christi est particularis, & indiuidua, non tamen subsistens:* ex quibus verbis D. Th. satis euidens est, numquam mentem eius fuisse negare humanitatem Christi fuisse indiuiduam, nam non solum locis iam iam cit. sed & in eodem art. in corp. illud idem asserit, imo dicit bene magis; asserit enim posse dici, duo esse indiuidua in Christo, ex quo efficacissime ostenditur, quod indiuiduum & suppositum non sunt idem, alioquin sicut D. Th. admittit duo indiuidua in Christo, ita & duo supposita deberet admittere.

Resolutio quæstionis petita à ratione.

§. II.

70. SEd veniamus ad rationes, & primo quidem refutatur ista sententia iisdem argumentis, quibus sent. Scoti & Durandi, q.1.& 2. refutauimus (quia in eadem inconuenientia incidit, vt intuenti statim apparebit,) sed vlterius adhuc in eam sic arguo.

Illud quod intrinsece cõstituit suppositũ in ratione suppositi, debet esse tale, vt communicet formaliter & intrinsece rei quam cõstituit, repugnãtiam intrinsecam cõmunicationis, & vnionis per se cum altero supposito: sed ratio indiuidualis nõ potest præstare talẽ repugnantiam indiuiduo quod constituit: ergo impossibile est quod ratio indiuidualis sit intrinsece cõstitutiua suppositi, aut quod indiduum, quod constituit, sit suppositũ, sed præter indiuiduum debet necessario aliquid aliud intrinsecũ addi, quod ad rationem intrisecã suppositi pertineat. Maior est certa. Quia negatio cõmunicationis, quã dicit suppositũ cum alio supposito, fundatur formaliter in aliquo positiuo, intrinseco ei, quod quidẽ habeat essentialẽ repugnantiã ad faciendũ vnum per se cum altero supposito in ordine suppositãdi: quia sicut negatio, quã dicit v.g. humanitas ad faciẽdũ vnũ per se cum equo, aut cum quacũque alia specie, in ratione specifica, fundatur formaliter in aliquo positiuo, scilicet in rationalitate, quæ cũ sit vltima & atoma differẽtia speciei, propterea intrinsecã habet repugnantiã ad faciẽdũ secundũ rationem specificã vnum per se cũ equo & eius irrationalitate, aut cum quacumque altera specie atoma: ita similiter negatio quam dicit suppositum ad faciendum in ordine suppositandi vnum per se cum alio supposito, debet fundari formaliter in aliquo positiuo, quod sit veluti differẽtia intrinseca suppositi, & vltimo eius constitutiua, per quam suppositum dicat intrinsecam & essentialem repugnantiam ad faciendum secundum rationem suppositi vnum per se cum altero supposito: & hinc est ortum axioma communiter receptum, quod ex duobus entibus per se non potest fieri aliquid vnũ per se, in eo scilicet ordine in quo quodlibet ex eis est vnũ per se. Vide D.Th. in dist.25.q.1.a.2.ad 1.

Minor autẽ, quod scilicet differẽtia indiuidualis nõ possit prædictam repugnantiã indiuiduo præstare probatur. Quia humanitas Christi habet differentiã indiuidualẽ, & est vere indiuiduum, & tamen cõmunicatur adhuc de facto supposito verbi diuini, & cum eo facit vnũ per se in ratione suppositi: ergo differentia indiuidualis nõ erit vltima ratio intrinsece cõstitutiua suppositi, sed præter eam debet necessario aliqua alia realitas addi quæ sit ei intrinseca, per quam indiuiduum repugnantiam illam acquirat, & cum in illa sent. non sit aliquid aliud post indiuiduum in genere substantiæ præter existentiam substantialem, debet necessario existentia substantialis, eo modo quo quæst. præced. explicatum est, pertinere ad rationẽ intrinsecã suppositi.

Dices quod ideo differentia indiuidualis, quæ est in humanitate Christi, non constituit illam in ratione personæ, quia humanitas Christi non est per se subsistens.

7. Contra ergo ratio subsistentis seu existentis per se (quod est vnum & idem vt diximus) erit intrinseca ratio vltimo constitutiua personæ, nec subsistens & indiuiduum erunt vnum & idem, sed vnum ab alio realiter distinguetur, quandoquidem ab inuicem separari possunt, quod est signum euidens distinctionis realis.

Confirmatur. quia in illa sentent. secundum explicationem saltem eorum qui dicunt, quod subsistentia realiter identificatur cum essentia, non potest euitari, quin in Christo sint duo supposita & duæ personæ; & probatur, quia suppositum, ex D. Tho. in primum dist. 23. qu. 1. art. 2. nihil est aliud quam subsistens distinctum in natura: at in humanitate Christi præcisa à Verbo, illa omnia reperiuntur, primo enim est subsistentia, quia in illa sent. quam impugnamus, subsistentia, seu subsistens, dicit solum substantiam per modum essentiæ completæ: at humanitas Christi habet suam essentiam omnino perfectam & completam, nihil enim deest ipsi de pertinentibus ad essentiam eius: ergo humanitas Christi est vere subsistens in illa sent. Deinde humanitas Christi habet etiam distinctionem in natura cum præcisa à verbo sit particularis & indiuidua: ergo cum per rationem indiuidualem distinctio fiat in natura, quia per eam vna natura numerice ab alia distinguitur, humanitas Christi erit vere subsistens distinctum in natura: quod autem natura humana Christi sit indiuidua præcisa à personalitate verbi pluribus ostendimus supra ex D. Tho. & probatur adhuc euidentissime, quia natura humana Christi præcisa à verbo distinguitur numerice à quacumque alia natura: ergo cum gradus indiuidualis numerice distinguat vnam naturam ab altera, natura humana Christi habebit vere gradum indiuidualem, & consequenter erit, præcisa à verbo, indiuidua. Præterea quid est esse indiuiduum, nisi esse radicem talis quantitatis: at humanitas Christi est radix talis quantitatis, à verbo præcisa, & propterea si separaretur ab eo propriæque personalitati vniretur, esset vere radix eiusdem quantitatis, & non diuersæ: ergo præcisa à verbo est vere indiuidua. Tandem ostenditur hoc euidentissime, quia gradus qui sequitur post gradum specificum, est gradus indiuidualis: atqui humanitas Christi præcisa à verbo, habet talem gradum: ergo. Maior est certa, minor etiam est euidens, quia antecedenter adhoc quod verbum vniatur ei, distinguitur ab aliis humanitatibus; ergo cùm non distinguatur ab eis per gradus genericos & vniuersales, sed potius cum eis in prædictis gradibus conueniat, debet necessario ab ipsis, distingui per gradum indiuidualem vel oportet præter gradũ indiuidualem & specificum admittere aliquem alium gradum, per quem humanitas Christi possit ab aliis humanitatibus distingui, quod hactenus est inauditum. Deinde hoc admisso deberet semper talis gradus esse indiuidualis, quia ex hypothesi per talem gradum humanitas Christi ab aliis humanitatibus diuideretur, ergo talis gradus esset indiuidualis, & per illum humanitas Christi indiuidua constitueretur, cum indiuiduũ, sit illud quod est in se, & in natura sua indiuisum & diuisum ab aliis quibuscũque, etiam eiusdẽ secum na-

turæ specificæ. Dubitari ergo non potest quod humanitas Christi præcisa à verbo non sit natura indiuidua, & cum ostensum sit illam esse subsistentem, humanitas Christi erit subsistens distinctum in natura rationali & per consequens persona. Et sic erunt in Christo duo supposita, quod est contra fidem.

Confirmatur, quia si suppositum constituitur formaliter & intrinsece per gradum indiuidualem, sicut illa sententia prætendit, sequitur quod Verbum diuinum suppleuerit illud quod est imperfectissimum in tota natura substantiali, & illud, quod est limitatiuum intrinsece, seu id quod intrinsece materialisat gradum specificum. Prima pars illius sequelæ est euidens, quia gradus indiuidualis est imperfectissimus omniũ: secunda autem pars probatur, quia quando gradus indiuidualis addit aliquid supra specificum, materialisat & limitat eum, impediendo quominus forma & gradus specificus cõmunicent se per modum formæ & actus alteri materiæ: ergo cũ Deus suppleat id quod pertinet ad intrinsecam rationem illius, quod deest in humanitate, Verbũ diuinum supplebit formaliter aliquid quod dicit intrinsecam imperfectionem, & imperficiet de facto formam, seu naturam humanam vt sic, quia limitabit & restringet eam quatenus illa habet rationem actus & formæ, & quatenus est per modum formæ alteri communicabilis.

Confirmatur, quia gradus indiuidualis exigit idẽtificari realiter cum aliis gradibus, vt PP. N. Complut. ostendunt ex D. Th. in Log. disp. 3. q. 4. nu. 35. ergo gradus indiuidualis essentialiter dicit imperfectionẽ, sicut & quælibet essentia creata, eiusque gradus essentialis; ergo si Deus supplet gradum indiuidualem, supplebit illud quod dicit essentialiter imperfectionem.

Confirm. quia ex Arist. cap. de substantia, destructis primis substantiis, impossibile est aliquid aliorũ amplius remanere; & hoc, tũ quia gradus indiuidualis constituens rationem primæ substantiæ, est fundamentum secundarũ substãtiarum; tum etiã quia idẽ gradus indiuidualis realiter identificatur cũ cæteris gradibus, & propterea illo deficiente debent necessario & alij gradus deficere; ergo si gradus indiuidualis intrinsece rationem suppositi creati constituit, cũ in humanitate Christi deficiat ratio suppositi creati, debet consequenter & ratio indiuidualis suppositi creati cõstitutiua deficere; ergo omnes alij gradus deficient etiam, quia quando vnum realiter, identificatum cũ aliis perit & deficit, debent & alia realiter identificata perire & deficere, vt ostẽdit D. Th. 1. 2. q. 67. ar. 5. vti S. Doctor negat posse deficere gradũ specificũ sine generico, ex eo quod gradus genericus & specificus sunt vna & eadẽ realitas: ergo si ratio intrinsece constitutiua suppositi est realiter identificata cum natura sicut admittit illa sentent. cum deficiat in humanitate Christi ratio intrinsece constitutiua suppositi creati, debent & omnes alij gradus essentiales humanitatis necessario deficere.

73. Confirmatur, quia si gradus indiuidualis constituit suppositum in esse suppositi, sequitur quod in incarnatione vnio sit facta in vnitate naturæ, & probatur quia vnio est facta in eo quod formaliter Verbũ diuinũ suppleuit; atqui in illa sent. sequitur

quòd Verbũ diuinũ suppleuerit rationem formalem intrinsece cõstitutiuá vnitatis numericæ, & probatur, quia gradus indiuidualis constituit intrinsece vnitatem indiuidualem & numericá; atqui debet asseri in illa sent. quod Verbum suppleuit gradũ indiuidualem humanitatis Christi in incarnatione, quia de fide Verbum suppleuit intrinsece rationem personæ.creatæ: ergo Verbum suppleuit illud quod constituit personá in ratione personæ: sed in illa sent.gradus indiuidualis intrinsece personam humanam constituit in esse personę(vt authores illius sent.ingenue fatentur) ergo Verbum diuinum suppleuit rationem indiuidualẽ: ergo vnio facta est in vnitate indiuiduali naturæ.

Confir.quia inter gradũ indiuidualẽ & existentiam, non datur secundũ eos aliquis alius gradus realis (agimus enim contra eos, qui subsistẽtia Caiet. non admittunt:) ergo vel suppositũ debet formaliter & intrinsece constitui pergradũ indiuidualem,vel per existentiam substantialem: atqui in eorum sent.non cõstituitur intrinsece per existentiam substantialem, sed ante aduentum eius suppositum habet ea omnia quæ concurrunt ad intrinsecam eius constitutionem, & existentia substantialis est illi mere extrinseca: ergo debet, intrinsece constitui per gradum indiuidualem vltimate: ergo cum in Incarnatione Verbum diuinum suppleat rationem intrinsecam personæ, de necessitate Verbum debet illum gradum indiuidualem supplere: quia cum eius rationem non solum extrinsecam, sed intrinsecam personæ suppleuerit, debuit non solum supplere existentiam creatam, quæ in eorum sententia solum extrinsece personam constituit, sed maxime gradum indiuidualem & numericum qui intrinsece eam constituit.& cum vnio sit facta in eo quod Verbum suppleuit, vnio erit facta in vnitate indiuiduali & numerica naturæ.

74. Confirmatur quia de fide Verbum diuinum debet supplere in incarnatione rationem intrinsecã personæ: atqui non potest hoc asseri in illa sentent. & probatur,quia Verbũ non potest supplere rationem intrinsecam personæ, nisi suppleat realitatem illam quæ intrinsece personam in esse personæ constituit: atqui in illa sentent. non supplet talem realitatem: & probatur, quia Verbum diuinum non supplet nisi id quod deest in humanitate Christi, neque enim supplẽtur realitates, quæ supponũtur esse,& sunt de facto in ea vt sunt gradus substantiæ, gradus animalis,&c.Sed illa realitas,quæ intrinsece suppositũ in esse suppositi constituit, non deest in humanitate Christi, quia humanitas Christi habet realitatem gradus indiuidualis præcisa à Verbo, cum præcisa ab eo sit indiuidua, vt probatum est: ergo cum realitas gradus indiuidualis cõstituat intrinsece personam secundũ ipsos, realitas intrinsece constitutiua personæ erit adhuc in humanitate Christi, & consequenter à Verbo non supplebitur & sic ratio intrinseca personæ non supplebitur à Verbo: ridiculum est enim dicere, quod Verbum suppleat aliquã rationẽ,& quod non suppleat realitatem illã per quã intrinsece & formaliter talis ratio cõstituitur, per quod præcluditur recursus quẽ possent habere ad existentiã deficientẽ in humanitate Christi, quia verbũ supplet intrinsecã rationẽ

personæ, & non solum rationem extrinsecam ipsius: ergo cum existentia secundum ipsos extrinsece solum personam constituat, non erit satis verbum supplere realitatem existentiæ, sed debebit necessario supplere realitatem intrinsece constitutiuam personæ, & cum illam realitatem non suppleat, erit de facto adhuc in humanitate Christi talis realitas, tribuetque ei rationem personæ creatæ, & sic erunt duæ personæ in Christo.

Quod si dicant realitatem gradus indiuidualis deesse in humanitate: Contra, quia iam ostensum est humanitatem Christi secundum se esse indiuiduam. Deinde ostensum est etiam quod vna ratio realiter identificata cum alia non potest deficere, nisi alia etiam deficiat. Et tandem gratis admisso hoc, incidet, in inconueniens à nobis allatum in præced. confirmatione nostra, quod scilicet vnio erit facta in vnitate naturæ, quia in illo casu Verbum diuinum supplebit rationem quæ constituit vnitatem indiuidualem, & numeri cam naturæ humanę.

Dices suppositum non constitui per indiuiduum quocumque modo consideratum, sed per indiuiduum quatenus connotat existentiam propriam, & sic licet humanitas Christi sit indiuidua, eam tamen suppositum creatum non constituere.

Contra. ergo habemus tandem quod natura humana Christi est formaliter indiuidua, & quod ratio suppositi non constituitur formaliter per indiuiduationem, quod tamen vnguibus & rostris defendit illa sententia.

75. Secundo ex ista solutione habemus, quod humanitas Christi habet omnia realia & omnia positiua quæ concurrunt intrinsece ad rationem constitutiuam suppositi: ergo cum actiones refundantur in rationes reales & positiuas quæ intrinsece concurrunt ad constitutionem suppositi tanquam in principium quod; omnes actiones humanitatis Christi refundentur in ipsam tanquam in principium quod; quia in illa sentent. nulla ex illis realibus rationibus, quæ constituerent ipsam intrinsece in esse principij quod suarum actionum, si Verbo diuino non vniretur, illi deest: ergo cum vnumquodque agat in quantum est actu, si humanitas Christi habeat omnia requisita intrinsece ad agendum per modum principij quod, proculdubio hoc modo concurret ad actiones suas; aliàs Verbum diuinum violentaret illam naturā & impediret eam agere secundum id quod exigit ex vi rationum realium per quas constituitur intrinsece vt sic: ergo cū Verbum diuinum non impediat, quod humanitas Christi concurrat ad actiones suas, secundum id quod exigit ex vi realitatum quas includit, alioquin talis exigentia operandi, quæ nunquam posset in actū reduci, sed semper à verbo impediretur, esset omnino frustranea & inutilis, sicut & realitates per quas talem haberet exigentiam; debet necessario asseri quod humanitas Christi concurrat per modum principii quod ad actiones suas, & consequenter erit suppositum, cum sit suppositi munus hoc modo concurrere.

Confirmatur. quia ratio formalis constituit rem, quam constituit per intrinsecam sui ipsius communicationem, maxime in absolutis: ergo cum omnes rationes formales reales constituentes

constituentes intrinsece humanitatem Christi in esse principij quod actionum suarum sint in ea, de facto eam constituent in esse principij quod, & sic actiones humanitatis Christi non erunt amplius valoris infiniti, quia non refundentur amplius in suppositum diuinum, tanquam in principium quod, quæ est ratio quare sint valoris infiniti, nec dicetur Deus nos redemisse, sed sola humanitas Christi, & tandem alia omnia inconuenientia quæ quæst. 1. & 2. contra sententiam Durandi & Scoti intulimus, ex hac sent. euidentissime inferentur, & maxime illud quod in solo modo loquendi ab hæreticorum sententia videtur hæc differre, & nullo modo in re, quandoquidem omnia realia quæ intrinsece ad rationem personæ creatæ constituendam concurrunt in humanitate Christi admittit, in quo ergo differt in re ab hęreticis, si omnia realia quæ ipsi dicunt esse in humanitate Christi ad constituendam eam intrinsece in ratione personæ, illa quoque admittat; certe solum ab eis in hoc diffrere poterit, quod hæretici asserunt illa omnia realia, quæ sunt in humanitate Christi constituere eam in ratione personæ: authores vero huius sent. easdem realitates non constituere eam in ratione personæ creatæ, quod est in solo modo dicendi differre, & non in re, quandoquidem & illi, & hęretici easdem rationes, easdemque realitates, & non plures alij aliis admittunt: imo vt ibi innuimus, videntur hæretici sublata fide magis conformiter ad rationem loqui, quam authores prædicti, quia admittendo omnes rationes reales intrinsece concurrentes ad constitutionem suppositi, magis est conforme rationi admittere suppositum, quam admittendo omnes illas rationes reales, non admittere tamen per eas constitui suppositum; contra rationem enim videtur esse, omnino, quod ponantur omnia realia intrinsece requisita ad constitutionem alicuius absoluti (sicut est suppositum) & non resultet tale absolutum.

76. Ad illud autem quod dicebatur in prædicta solutione, quod suppositum creatum non constituitur per indiuiduum, nisi inquantum connotat existentiam creatam.

Respondeo, quod satis abunde à nobis impugnatus est iste recursus ad existentiam per confirmationes à nobis allatas antecedenter ad hanc aduersariorum solutionem, & maxime per tres vltimas.

Deinde respondeo, quod indiuiduum humanitatis Christi de facto etiam connotat Verbi existentiam per quam existit: ergo tale indiuiduum semper erit suppositum creatum, licet extrinsecum aliquod connotatum increatum habeat.

Dices ad rationem suppositi creati requiri quod indiuiduum recipiat, non alienam, sed propriam atque naturalem existentiam.

Contra, quia ex ipsis existentia connaturalis & propria, non est ea quæ intrinsece constituit suppositum in esse suppositi: ergo si humanitas Christi habet omnia realia atque positiua quæ pertinent ad intrinsecam constitutionem suppositi creati, vere habebit suppositum creatum; neque enim res denominatur talis ab eo quod extrinsece solum respicit, sed ab eo quod est de intrinseca eius ratione, & propterea licet fides, spes, & charitas respiciant formaliter Deum, non tamen

propterea virtutes illæ denominantur increatæ.

Dices istas virtutes non respicere Deum per modum alicuius potentiæ exigentis actualem vnionẽ cum Dei essentia, & consequenter nõ debere dici quid increatum ab essentia Dei respecta: at suppositum per se & ex natura sua connotat & respicit existentiam per modũ potentiæ actu exigentis actualem vnionem cum ea, & consequenter vbi existentia creata deerit, non poterit amplius illud suppositum dici creatum.

77. Contra, quia lumen gloriæ habet inseparabilem vnionem in intellectu beati cum essentiâ diuinâ considerata in esse intelligibili: & gratia atque charitas vnionem cum tota Trinitate animam Deo gratam inhabitante, & tamen nullus dixerit prædictas qualitates supernaturales esse quid increatũ: ergo licet humanitas Christi connotet existentiam increatam, per quam existat, non tamen desinet esse suppositum creatũ, quia scilicet omnia realia intrinseca, & positiua continet, quæ intrinsece illud constituunt, cum Verbum solá existentiæ creatæ realitatem suppleat, quia sola illa est, quæ deficit, quæ in sententia aduersariorum est solum connotatum aliquod extrinsecum suppositi creati: vnde sicut humanitas Christi semper retinet rationem humanitatis, & huius humanitatis, licet Verbum diuinum suppleat existentiam propriam, quam connaturaliter humanitas connotat, & exigit; ita similiter eadem humanitas rationem suppositi creati retinebit, licet Verbum diuinum suppleat illam eãdem existentiam, quam etiam suppositũ connotat.

Confir. quia suppositum non connotat existentiã per se, nisi ratione essentiæ, & maxime ratione formæ, quia existentia, vt dicit D.Th. opusc. 37. a. 1. & alibi sæpius non descẽdit ad materiam, ex qua gradus indiuidualis sumitur qui suppositum in illa sent. constituit intrinsece, nisi ratione formæ: & conseq. debet existẽtia magis esse intrinseca essentiæ humanitatis, quam supposito, seu indiuiduo: ergo si humanitas Christi retinet semper rationem essentiæ creatæ, etiamsi infirmiorẽ habeat nexum cũ existentia secundũ rationẽ essentię, quã quãdo consideratur in esse suppositi, multo magis eadem humanitas retinebit rationem suppositi creati.

Dices existentiam in actu exercito magis conuenire indiuiduo, seu supposito, quam essentiæ specificæ, licet si in actu signato consideretur, sit è conuerso.

Contra, quia licet daretur hoc ita esse; tamen nihil contra nos, nec contra veritatem & efficaciam discursus præcedentis: naturæ enim rerum non considerantur secundum ea, quæ eis conueniunt in actu exercito (quia esse exercitũ, est mere accidentale respectu rerum creatarum,) sed secundum ea, quæ eis conueniunt in actu signato: ergo licet daretur quod esse exercitum per prius conueniret indiuiduis, quam speciebus, non tamen sequeretur, quod existentia quæ in illa senentia pertinet solum per modum extrinseci connotati ad rationem, tum suppositi, tum essentiæ substantialis, magis ad rationem suppositi quam ad rationem essentiæ substantiæ pertineret.

Dicimus secundo, quod licet existentia in actu exercito per prius cõueniat indiuiduis, quam speciebus; hoc tamen est solum ordine genera-

tionis non ordine perfectionis seu intentionis, imo nō desunt qui asserant gradum indiuidualem esse solum conditionem, vt existentia in specie atoma recipiatur, non autem rationem formalem eam recipiendi eam.

Soluuntur obiectiones.

§. *vltimus.*

78. OBiiciuntur nobis pleraque loca D. Tho. in quibus S. Doctor videtur asserere quod ratio indiuidualis cōstituit suppositum, vt 1.p.q.29.a.1.a.2.ad 3. a.4.5.p.q.2.a.2. qu.9. de pot.a.4. in corp.in 1.dist.25. per totam fere & alibi passim.

Antequam ad argumentū respondeam suppono prius, ex D.Th.1.p.q. 29.a. 4. ad 3.per indiuiduationē quæ ponitur in definitione personæ intelligi incommunicabilitatem. Hoc posito.

Respondeo, quando D.Tho.dicit, suppositum constitui per indiuiduationem, intelligendum esse S. Doct. de indiuiduatione, seu incommunicabilitate omnimoda, tam per modū potentiæ, quam per modum actus, quæ quidem omnimoda incommunicabilitas, vt dictum est supra n.46. petitur, & à natura substantiali indiuidua, & ab existentia ipsius, vnitis adinuicem: vnde si D.Th. petat suppositum ab hac materia, ab his scilicet carnibus, & ab his ossibus, erit intelligendus de supposito secundum rationem inadæquatam, scilicet secundum rationem incommunicabilitatis per modum actus, non autem secundū omnimodam rationem incommunicabilitatis, tam per modum potentiæ, quam per modum actus, incommunicabilitas enim per modum potentiæ debet conuenire supposito ratione existentiæ, quæ est vltimus actus, non actuabilis vlterius intra idem genus, vt quæst.3. num. statim relato dictum est.

79. Respondeo secundo, quando D. Tho.dicit personam seu suppositum constitui per indiuiduationem v. g. per has carnes, & per hæc ossa, debere intelligi de indiuiduatione prout subsistens seu existens est, & de his carnibus, & his ossibus prout sunt existentia, seu prout habēt annexam indiuidualem existentiam, itaut ly prout sumatur reduplicatiue & non solum specificatiue; vnde sicut homo secundum suam essentiam constituitur formaliter ex animali quatenus animal est rationale; ita similiter secundum quod est suppositum, constituitur formaliter ex natura humana indiuiduata, quatenus formaliter existens est, sumendo ly existens nominaliter & in actu signato, non autē participialiter, seu verbaliter & in actu exercito. Et hæc solutio est D. Th. multis in locis, 3.p.q. 2.ar.2. ad 3. vbi habet ista verba, *Licet humanitas Christi sit quoddam indiuiduum intra genus substantiæ, non tamen est persona, quia non per se existit.* Idem repetit D. Tho. sub finem eiusdem responsionis. Item articulo 5. eiusdem quæst. ad 1. in 3. distinct. 6. quæstio. prima articulo 1. in responsione ad tertiam quæstiunculam eiusque argumenta. q. vnica de vnione verbi, aliisque locis à nobis allatis superius quæstio. tertia huius disputatio. numero 22. & 23.

Responderi potest tertio, quando D. Tho. dixit suppositum constitui per indiuiduationem, debere intelligi de cōstitutione radicali, non de cōstitutione vltimata & formali, id est quod radicaliter ratio suppositi

petitur ab indiuiduatione, sicut formaliter & complete & vltimate petitur ab existentia substantiali vt indiuidua.

Respondeo quarto, iuxta vltimum Corrollarium quod attulimus in præc. quæst. n. *66.* quando D. Th. dicit indiuiduatione suppositum cõstitui, debere intelligi, non de indiuiduatione vt se tenet ex parte naturæ, sed de indiuiduatione existentiæ substantialis, seu existentis per se in natura substantiali, vt ostendimus ibid. ex eodem D. Tho. vide quæ dicta sunt in illo Corrollar. quia plurimum iuuant ad intelligentiam suppositi, & multarum etiam authoritatum D. Tho.

80. Obiicitur ex D. Tho. 3. p. q. 2. ar. 2. in corpore, natura significatur per modum partis formalis suppositi: ergo suppositum constituetur per gradum indiuidualem, cum respectu eius natura habeat rationem formæ, non autem respectu existentiæ substantialis.

Respondeo primo quod natura habet quidem rationem formæ respectu suppositi cõsiderati inadæquate, & secundum quod dicit rationem indiuidui, non autem respectu suppositi considerati adæquate, & vt includit existẽtiã substãtialẽ. videatur D. Th. quodlib. *9.* art. 2. ad 4. vbi dicit, quod natura significatur solum vt forma totius in quo hypostasis subsistit, non autem hypostaseos, seu rationis formaliter constitutiuæ illius.

Respondeo secundo, quod natura respectu suppositi habet rationem formæ in prædicando, sed non in essendo, prædicatur enim natura de supposito, & non è conuerso: vt autem rationem formę prædicabilis habeat respectu suppositi, non est necesse quod vere exerceat rationem formæ in essẽdo respectu suppositi, vt patet in genere quod vere habet rationem formæ prædicabilis respectu speciei, & tamen certum est actuari genus à specie & non è conuerso, sed sufficit quod contineatur in eo tanquam quid commune ad rationem eius constitutiuam pertinens.

Respondeo secundo, naturam posse dici habere rationem formæ respectu suppositi considerati adhuc vt includit subsistentiam & suppositalitatem, si tamen consideretur existentia per se, & suppositalitas secundum quod pertinet ad determinatam aliquam speciẽ, aut secundum suam limitationem & indiuiduationem (natura enim dat supposito, quod sit hoc & quod sit in tali specie formaliter) non autem suppositlitas, & existentia substantialis per quam constituitur, si absolute & secundum se considerentur; potius enim limitantur à natura, si hoc modo considerentur, quam ab ea perficiantur & actuentur.

Obiicitur ex D. Tho. qu. *9.* de põtentia ar. 5. ad 13. & ar. 4. ad 2. vbi dicit, quod tam ratio incommunicabilitatis, quam ratio subsistendi, quæ est in persona, à principiis indiuiduantibus petitur.

81. Resp. 1. iuxta solutiones argumento pręcedenti datas, existentiam indiuidualẽ pertinere ad principia indiuiduantia, & per eã vltimate compleri, cum per eam formaliter & vltimate reddantur incõmunicabilia cuicũq; alteri ad faciendũ vnũ per se cũ eo. Vide dicta coroll. vltimo nu. *66.*

Respondeo secundo, ex D. Tho. 2. contra Gent. ca. 54. quod principia indiuiduantia naturæ dicuntur esse principium subsistendi, seu existendi

per se, eo modo quo diaphancitas est principium lucendi in aëre; vnde sicut diaphaneitas dicitur solum esse principium lucendi in aëre, quia aërem disponit & complet vltimate, vt sit principium lucis, susceptiuum; ita similiter gradus indiuidualis dicitur esse principium subsistendi, seu existendi per se in supposito, quia gradus indiuidualis complet vltimo naturam, vt illa sit principium existentiæ susceptiuum. Vide Capreol. in distinct. 5. superius citata in responsione ad 4. contra illius quæst. 3. ad 4. & 5. inconueniens p. 64. quæ est vltima illius quæst. vbi dicit modo à nobis relato naturã indiuiduam esse principium subsistendi.

Obiicitur ex D. Tho. ead. q. de pot. art. 4. in corp. quod sicut relatio in diuinis, ita principia indiuiduantia in creatis personam constituunt.

Respondeo quod principia indiuiduantia, vt se tenent ex parte naturæ, non sunt ea quæ suppositum constituunt, sed indiuiduatio subsistentis seu existentis in natura, vt attulimus suprà ex D. Th. in responsione 4. generali ad similia loca: & hoc apparet in diuinis euidentissime, vbi illud quod suppositum seu personam constituit non est indiuiduatio naturæ, sed distinctio seu indiuiduatio modi existendi seu diuersus modus existendi in natura diuina; verum est tamen, quod in creatis indiuiduatio vt se tenet ex parte naturæ concurrit radicaliter, & per modum actus primi, ad distinctionem suppositi, vt dictum est sæpius, sed formaliter & vltimate completur & perficitur distinctio suppositi, & eius incommunicabilitas, per indiuiduationem existentiæ per se, vt vnitæ cum natura indiuiduali, ex qua vnione resultat suppositum.

82. Respondeo secundò, quando dicit S. Th. quod sicut relatio in diuinis constituit suppositum, ita & principia indiuiduantia in creatis, S. Doctorem esse intelligendum proportionaliter: (si per illa principia indiuiduantia intelligantur principia indiuiduantia naturæ) proportionalitas autem cõsistit in hoc, quod sicut relatio in diuinis constituit formaliter suppositum in esse incommunicabilis, ita similiter principia indiuidantia naturæ radicaliter constituunt suppositum creatum in esse incommunicabilis: quia nimirum existentiæ indiuiduatio, per quam vltimate constituitur suppositum omnino incommunicabile, petitur per ordinem ad naturam indiuiduam, qua cum debet coniungi ad costituendum suppositum.

Obiicitur, incommunicabilitas petitur à materia: ergo incommunicabilitas quæ est in supposito, & quæ illud constituit, debet peti à materia in rebus compositis ex materia & forma.

Respondeo, quod incommunicabilitas petitur quidem radicaliter à materia in prædictis compositis, formaliter tamen à forma, sed completiue atque vltimate ab vltima forma, quæ est existentia per se: sicut enim suppositum, non solum radicaliter, sed etiam formaliter est incommunicabile, ita debet formaliter & vltimate constitui per vltimum actum, cui formaliter & vltimate ratio incommunicabilitatis vt quo conuenit.

Respondeo secundò, quod incommunicabilitas per modum actus

petitur quidem à materia, quia cum materia sit pura potentia, consequenter dicit negationem communicabilitatis per modum actus: at incommunicabilitas per modum potentiæ, quam debet adhuc includere suppositum, debet necessario peti à supremo & vltimo actu, qui sit in toto genere substantiæ, & qui ab vlteriori actu actuari non possit, & talis actus existentiæ substantialis, vt indiuiduæ, & vt naturæ indiuiduæ formaliter coniungitur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum actiones sint suppositorum taliter, quod ratio constitutiua suppositi influat actiue in ea.

Resolutio quæstionis ex authoritate petita.

§. I.

83. POst cognitionem rationis constitutiuæ suppositi, pulsatur animus ad inquirendam eius actiuitatem; de qua quidam recentiores adeo humiliter & cum tanto præallegati axiomatis, nec non & rerum fidei detrimento sentiunt, vt nullam prorsus actiuitatem in suppositalitate admittant. Ita sentit Vasquez 3. p. disput. 8. cap. 2. qui actiones, quibus Christus pro nobis satisfecit humanitati ipsius, non solum, tamquam principio quo, sed etiam tamquam principio quod, censet esse tribuenda: supposito vero diuino remote solum, & per communicationem idiomatum, quatenus opera humanitatis tribuuntur supposito diuino sustentanti illam. Et disputatio. vigesima-prima, eiusdem tertiæ partis, cap. 3. vbi mentem suam circa, hanc rem aperit ex professo, repetit illud quod priori illa disput. dixerat, naturam scilicet seu essentiam esse eam quæ agit per modum principij quo, & quod, & addit personalitatem, seu subsistentiam, & operationem, nullum inter se habere ordinem prioris & posterioris causalitate, sed in genere & ordine causalitatis, se habere omnino cōcomitanter & per accidēs. Verba ipsius sunt n. 29. & 30. & in eadem debent esse opinione ij qui tenent de potentia absoluta potuisse peccatum esse in Christo, quæ sententia solet à Commentatoribus Diui Thomæ tertia parte quæst. decima quinta art. 1. tribui Durando in 3. distinct. 12. quæst. 2. Scoto ibid. quæst. 1. & distinct. 2. q. 1. paragr. ad argumenta principalia, cùm enim blasphemum esset penitus, dicere quod Verbum ad talem actum peccaminosum concurreret actiue, debent prædicti authores necessario negare, quod suppositum concurrit actiue ad actiones.

Secunda sententia est, quod suppositum concurrit actiue ad actiones per modum principij quod earum; quæ sententia quantum sit vera, coniice ex solis inconuenientibus, quæ ab authoribus aduersæ sententiæ, non sine iniuria Christi, piarumque aurium offensione conceduntur. Hanc sententiam communiter amplectuntur omnes Thomistæ tertia parte, quæstione decima quinta, art. 1. & quæst. 1. art. 2. poterunt inter alios videri Nazarius controu. 3. Asturicensis in relect. de gratia Christi quæst. 5. dub. 3. pag. 379. Aluarez disput.

5. Et Flandria in Metaph. l. 1. q. 5. at. 2.

84. Antequam accedamus ad probationem huius sententiæ, notandum est quando dicitur communiter à Philosophis & Theologis, actiones esse suppositorum, sensum huius axiomatis non esse; quod nullæ possint omnino dari actiones, quæ à supposito non procedant tamquam à principio quod earum; certum est enim quod anima separata, non est suppositum, vt sæpius dicit Diuus Thomas, & specialiter prima parte quæst. 75. ar. 4. ad 2. & tamen anima separata intelligit & amat, & vt dicitur communiter in tract. de Trinitate, antequam concipiatur natura diuina per suas relationes terminata, concipitur elicere operationes quas vocant essentiales, & tamen pro illo priori non concipitur adhuc natura diuina personata; quando ergo dicitur, quod actiones sunt suppositorum, sensus huius propositionis est, quod actiones quæ fiunt in natura suppositata, licet à natura tamquam à principio quo procedant, procedunt tamen, à supposito tamquam à principio quod, totali, & completo; cùm enim agere per se vt quod, conueniat per se subsistenti ex Diuo Thoma quæst. iam cit. art. 2. in corp. & ad 2. & art. 3. in corp. & alibi sæpius, hinc fit quod sicut supposito conuenit perfecte & complete per se subsistere, ita & eidem conueniet esse per se principium quod perfectum, & completum operationis; & quia animæ rationali in statu separationis, conuenit etiam per se subsistere, incomplete tamen, & non ita perfecte sicut supposito & toti, cum sit solum pars; ideo conuenit quoque ei per se esse principium quod operationis licet non ita perfectum sicut suppositum.

Hoc posito probatur nostra assertio authoritate Aristotelis cap. 7. Metaphys. vbi dicit actiones esse singularium.

Respondet Vasquez cap. 3. disp. 21. cit. ex illo loco, non solum non confirmari illud, quod intendimus, sed potius oppositum ex eo colligi; si enim concedamus (vt aduersarij contendunt inquit Vasquesius) ibi loqui Aristotelem non modo de subiecto circa quod versantur actiones, sed etiam de principio à quo procedunt (verba enim Aristotelis sunt) *actiones autem ac generationes omnes circa singulare sunt, non enim hominem nisi per accidens sanat, qui medetur, sed Calliam aut Socratem*; sicut loquitur Aristoteles de subiecto circa quod versantur actiones, loquitur etiam de principio quod, earumdem: atqui humanitas singularis abstracte à supposito significata (nempe ante vnionem cum suppositalitate) potuit esse subiectum circa quod actionum; quis enim neget, potuisse humanitatem esse subiectum quod curationis? ergo potuit etiam esse principium quod actionum. Hæc Vasquez.

85. Respondeo primò, quod licet daretur posse humanitatem abstractam à suppositalitate terminare actionem, eamque ex consequenti elicere, (quod tamen implicatorium reputo in sententia quam tenuimus suprà, de ratione cōstitutiua suppositi) hoc nihil facit contra nos; neque enim Thomistæ, aut illi, qui cum eis consentiunt, asserunt debere quascumq; actiones procedere

à ſuppoſitis, (vt ſtatim de anima rationali prænotauimus,) ſed ſuppoſitum debere influere, vt quod, in omnes actiones, in quas natura ſuppoſitata influit vt quo: cum enim ſuppoſitum influat naturali & neceſſario modo, eo ipſo quod natura influat per modum principij quo, oportet de neceſſitate, ſi ſit ſuppoſitata, quod ſuppoſitum (& per conſequens ratio conſtitutiua ipſius ſuppoſiti) influat per modum principij quod. Quod ſi de potentia abſoluta fiat, quod humanitas exiſtat à parte rei ſeparata à quacumque perſonalitate, ſicut ſentiunt fieri poſſe aliqui ex illis Thomiſtis, qui tenent ſubſiſtentiam ab exiſtentia per ſe diſtingui, poterit tunc in illo caſu humanitas, & terminare & elicere operationes ſine perſonalitate, quia vt hoc poſſit præſtare, ſufficit quod ſit per ſe exiſtens, loquendo tamen ſecundum curſum ordinarium, humanitas à perſonalitate præciſa, nec terminare, nec elicere poteſt vllas actiones, quia omnis actio terminatur ad eſſe, ſi nõ producendũ, ſaltem communicandum, cùm intentio cuiuſcumque agentis, ſit dare ſeu communicare eſſe ſuo effectui: ergo cùm exiſtentia in ſententia illorum Thomiſtarum, ſequatur perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam, non poterit agens communicare eſſe effectui ſuo, niſi prius communicet ei perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam.

Deinde id quod dicit Vaſques, humanitatem ſcilicet poſſe eſſe ſubiectum curationis, pugnat euidenter contra verba Ariſtotelis dicentis non curari hominem, ſed Calliam vel Socratem: ergo cum iſta nomina ſint ſuppoſitorum & non naturæ nomina, ſuppoſitum erit ex Ariſtotele, ſubiectum curationis, & non natura.

Reſpondeo ſecundò euidentem inuoluere in noſtra ſententia implicantiam, quod humanitas ſeparata à perſonalitate poſſit terminare curationem, quia implicat quod humanitas poſſit terminare curationem, niſi exiſtat: ergo cum exiſtentia per ſe, naturæ humanæ vt indiuiduæ vnita, conſtituat perſonam, implicabit naturam humanam terminare curationem, aut eſſe ſubiectum quod illius, antequam ſit perſonata; quis enim poteſt ſibi fingere humanitatem recipientem eſſe ſecundum quid, antequam habeat eſſe ſimpliciter? ergo ſicut hoc implicat; ita implicabit humanitatem terminare curationem, aut eſſe ſubiectum illius, niſi ſit perſonata.

Sed rurſus inſtabis & obiicies, quod ipſe locus Ariſtotelicus non multum fauet nobis, cùm ibi non loquatur Ariſtoteles de principio quod elicitiuo actionis, ſed pótius de termino ad quem illius.

Reſpondeo, quod principium & terminus actionis non ponunt in numero, quia terminus debet aſſimilari principio: ergo ſi terminus qui actionis, debet eſſe ſuppoſitum. Oportet quod principium, quod eiuſdem, ſit etiam ſuppoſitum.

86. Probatur ſecundò aſſertio ex S. Damaſceno lib. 3. de fide cap. 15. in principio, vbi quatuor diſtinguit in agente iuxta tranſlationem fabri, his verbis. *Aliud eſt actio, aliud actiuum, aliud actus ſeu opus, & aliud agens*, & poſteà ſubiungit *agens eſſe perſonam*. Vaſquez affert Billij tranſlationem, per quam prætendit ſoluere, vel ſaltem exponere præcedẽtem: ſic enim

Sic enim habet translatio Billij: *Scire autem conuenit, aliud esse ἐνέργειαν, id est, virtutem operatricem, & aliud ἐνεργητικὸν, id est, quod operandi facultate præditum est, & aliud opus, & aliud operantem: ἐνέργεια enim est efficax, & essentialis animæ motus, ἐνεργητικὸν autem est, natura ea, ex qua operatio progreditur; opus verò, est id quod ex actione conficitur, operans denique is qui actione perfungitur, hoc est persona*: Ergo (ait Vasquez) si natura est ea, ex qua operatio progreditur; natura dicetur etiam operans, vt quod. Et hoc confirmat ex Aristot. qui 3. de Anima cap. 4. inquit se tractaturum de ea parte animæ, qua anima intelligit, & sapit, vbi Aristoteles, non solùm naturæ, sed etiam animæ existenti in toto composito, in quo non est persona, tribuit intelligere & sapere tanquam principio quod: siquidem ait animam sapere & intelligere media aliqua sui parte, scilicet intellectu. Tandem subiungit idem Vasquez immediatè post; quòd verò Damascenus dicat ipsum operantem, Græcè ἐνεργοῦντα esse hypostasim seu personam, non ideo dicit, quia solum suppositum dicatur operans vt quod, nihil enim obstat, quominus & ipsa natura, quæ dicitur prædita virtute operandi, dicatur etiam operans vt quod. Demum terminat suam responsionem his verbis; Verùm ipsam subsistentiam esse conditionem necessariam, vel aliquid necessariò requisitum, vt aliquid dicatur operari vt quod, non video, vel leuiter insinuari à Damasceno. Hæc omnia Vasquez, quæ ideo de verbo ad verbum ex eius scriptis deprompsi, vt videat prudens lector, quæ sit vis, & efficacia solutionum huius authoris, quibus conatur infringere receptam à tot sæculis, vt ipse fatetur, huius axiomatis intelligentiam, quod actiones sint suppositorum.

87. Accedamus iam ad examen solutionis ipsius: ad id primò quod dicit, quod si natura est ea, ex qua progreditur operatio, natura dicetur operans vt quod.

Respondeo. Consequentiam illam nullam prorsus esse, sed oppositam prorsus inferri: nam, vt optimè dicit Ioannes Theologus in Concil. Florent. sessione decima nona, paulò ante medium. *Humanitas quæ est in Isaac, non est quæ generat, sed natura Isaac est principium per quod procreat Iacob, estque res quæ communicatur, quandoquidem natura Isaac est quæ Iacob communis efficitur; sic dicimus Iacob esse de natura Isaac*, &c.

Ad confirmationem autem petitam ex Aristotele, non video quantum ad me, quomodo ex hoc quod intellectus sit pars, aut veluti pars, mediante qua intelligit anima, sequatur inde, quod anima intelligit vt quod, cùm detur duplex principium quo, seu mediante quo suppositum agit, radicale, scilicet, quod est substantiale, & proximum, quod est accidentale, & multominus video, quo modo possit Vasquez dicere, quod illud compositum in quo existit anima, non sit persona: cùm enim anima afferat secum propriam suam subsistentiam, & eam communicet toti quod componit, non poterit illud compositum non esse persona. Tandem, licet daretur Vasquesio, animam, etiam dum existit in composito, intelligere per modum principij quod inadæquati & incompleti, (sicut posse concedi non

inficior in sentent. Caiet. qui 1. p. q. 76. videre a. 1. ad 5. & q. 90. a. 2. cum aliis quos poteris apud Bannesium 1. p. q. 76. a. 1. dub. 4. qui tenet animã dum existit in corpore, non solũ subsistere vt quo, sed etiam vt quod, quia eo modo aliquid se habet ad operari, quo ad esse, vt suprà ex S. Th. retulimus; tamen dato hoc non sequitur suppositum non concurrere ad actionem intellectus per modum principij quod adæquati & completi.

Quod si quæras. Vtrum absolute concedi possit animam in corpore existentem operari vt quod.

Respondetur ex D. Th. 1. p. q. 76. artic. 2. ad 2. posse id aliquo modo concedi, si tamen addatur ipsam operari per modum principij quod inadæquati; quamuis absolute melius sit dicere quod non operatur vt quod, ita videtur sentire D. Th. loco præallegato vbi hæc habet. *Potest igitur dici quod anima intelligit, sicut oculus videt. magis tamen proprie dicitur, quod homo intelligit per animam.*

Denique ad id, quod vltimo Vasq. dicit, non videre scilicet, quomodo vel leuiter Damascenus insinuet subsistentiam aliqualiter requiri ad actionem.

Inquiro à Vasquesio, vtrum Damasc. non distinguat inter naturam præditam facultate operandi, & inter ipsum operantem, & vtrum non afferat hypostasim esse operantem? certe non diffitetur V[illegible]es, cùm ipsamet Damas. id asserentis afferat verba: ergo si Damasc. asserit quod hypostasis est operans, oportet quod ratio constitutiua hypostaseos, scilicet subsistentia, aliquo modo requiratur ad operationem.

Probatur tertiò, assertio ex D. Th. qui pluribus in locis vtitur prædicto axiomate, & maxime in 1. dist. 5. q. 1. art. 1. vbi habet ista verba, *Actiones sunt suppositorum, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito, non enim humanitas generat, sed Sortes virtute suæ naturæ, in creaturis autem essentia realiter differt à supposito, & ideo nullus actus proprie de supposito prædicatur, nisi causaliter, &c.* Eamdem doctrinam tradit secũda secundæ, q. 58. art. 3. 3. p. q. 19. a. 1. ad 4. q. 2[illegible] art. 1, ad 2. & de verit. q. 20. art. 1. ad 2, deinde videndus est 1. p. q. 75. art. 2. in corp. & ad 2. art. 3. in corp. q. 20. de verit. a. 1. ad. 3. & alibi vbi dicit esse solum per se subsistentis agere, & propterea inquit calidum & non calorem agere.

Probatur vltimo ex Concil. Florent. sess. 18. & 19. in quibus Ioanes Theologus sæpius vsus est prædicto axiomate contra Græcos pugnans pro astruenda processione Spiritus sancti à Filio. Vnde sess. 19. paulo ante medium hoc habet, *Actiones sunt suppositorum, sicut in humanis vniuersa clamat Philosophia; quæro autem ex te, verumne sit actiones esse suppositorum?*

Deinde idem Ioan. paulo inferius, *Quomodo igitur intelligenda est hæc propositio, Iacob est ex natura Isaac? non potest ita intelligi, vt sit ex natura Isaac veluti supposito agente, quoniam actiones sunt suppositorum & hypostasum: ex natura verò Isaac à principio tribuitur Iacob, &c.* Poterit aduhc à nobis locus suprà cit. videri, vbi idẽ asserit, sed hæc quantum ad argumenta ex authoritate petita sufficiant, ad rationes accedamus.

Probatur ratione naturali suppositum actiue influere in actiones.

§. II.

89. VNumquodque agit inquantum est in actu; sed nihil est, per quod res sit magis in actu, quam per actum constitutiuum suppositi: ergo nihil est, per quod res sit magis actiua, quam per actum suppositi constitutiuum: ergo suppositum, vt suppositum actiue concurrit ad actionem. Duæ consequentiæ patent. Maior est commune axioma. probatur minor. quia ex qu. 3. 4. 5. huius disput. actus per quem constituitur suppositum in esse suppositi, est existentia per se, vnita cum natura totali & completa: ergo cùm existentia per se sit actus perfectissimus, actuans & perficiens quæcumque alia, vt ostensum est disput. 6. quæst. 4. paragr. 1. quælibet res erit maxime in actu per actum suppositi constitutiuum: ergo per eum constituetur maxime actiua. Hic per transennam nota, quantum vera sit illa, quam supra tenuimus de cõstitutiuo suppositi sententia; si enim actiones sunt suppositorum antonomastice, ergo suppositum debet esse maximè actiuum: ergo debet constitui per summum actum: ergo cùm summus & perfectissimus omnium actuum, sit existentia, per eam, (modo tamen à nobis explicato, quæst. 3. & 4. huius disputat.) suppositum in esse suppositi constituetur, quod ex sequentibus rationibus magis adhuc patebit.

Confirmatur præcedens ratio; sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: sed res habet simpliciter agere inquantum est in actu: ergo res habet perfectissime & maximè agere, per id per quod est maximè & perfectissime in actu: at quælibet res est perfectissime in actu per existentiam, quia esse est finis vltimus, & terminus in quo quælibet res naturaliter intra suum genus conquiescit: ergo quælibet res erit per existentiam suam maximè & perfectissime actiua. & sic suppositum in esse suppositi erit maximè & perfectissime actiuũ, cum per eam in esse talis constituatur.

Confirmatur: in essentialiter subordinatis, quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt in superioribus eminentiori & perfectiori modo vnita & congregata: ergo cùm omnes actus habeant vim operandi, inquantum subordinantur existentiæ per se, (quia operari sequitur esse, vt fert axioma commune,) existentia erit summe operatiua. nunquid enim quæ alios actus parere facit, ipsa sterilis erit, & infœcunda? illa inquam, quæ est ratio per quã magis assimilamur Deo, cuius essentia est ipsum esse subsistens & irreceptum. certe si esse Dei subsistens & irreceptum, est illud in quod resoluuntur, & reducuntur omnia entia per participationem, tamquam in primum & originalem fontem totius entis, cum quæcumque sunt, à Deo ordinata sint, & ex regula Dionysij cap. 5. cœlest. Hierarchiæ inferiora fluant à Deo per superiora, & ad ipsum per ea reducantur, (vt eleganter etiam ostendit D. Tho. 3. cont. Gent. cap. 77. 78. & sequent.) oportet quod omnes effectus, à Deo

mediante aliqua causa secunda producti, fluant ab ipso in genere causæ efficientis, mediante existentia causæ secundæ; quia cum illud quod est in ea perfectissimum, & per quod magis assimilatur Deo, sit existentia, debent necessario effectus omnes influxum Dei recipere mediante existentia causæ secundæ, & per eam in Deum tanquam in supremam primamque causam reduci.

90. Dices naturam subordinari quidem suæ existentiæ in ordine essendi, sed non in ordine operandi.

Contra, quia implicat, quod in essentialiter subordinatis, aliquid per se subordinetur alteri in actu primo, & non subordinetur ei in actu secundo; atqui operari est actus secundus per se, & essentialiter subordinatus ordini entis, cùm implicet aliquid operari, nisi sit ens: ergo si in ordine entis natura pendet ab existentia, de necessitate pendebit etiam ab ea in ordine operandi: vnde sicut nullus est gradus entis, secundum quem natura non pendeat ab existentia sua, tamquam à complemento in ordine entis, ita nullum gradum entis potest natura communicare operando, nisi per subordinationem & dependentiam à sua existentia, tamquam à complemento in ordine operandi.

Confirmatur, quia vt dicebamus disput. 7. quæst. 1. paragr. 1. & quæst. 2. paragr. 2. num. 9. natura operando ordinatur ad communicandum esse effectui vel operationi suæ adminus: ergo cum illa non sit actu esse, seu existentia, debet per consequens ex vi propriæ existentiæ cui vnitur, habere vim communicandi tale esse. Vide ibi dicta.

Confirmatur, quia quotiescumque aliquid communicatur alteri, oportet quod illud communicetur ei in virtute eius, & per illud, cui conuenit per se primò talis ratio: atqui natura operando ordinatur ad esse communicandum: ergo debet communicare illud in virtute eius, & per illud, cui per se primò conuenit esse, seu existentia: atqui existentia per se primò conuenit supposito (cum illud intrinsece consticuat,) non autem naturæ, seu essentiæ, (quia existentia est extra essentiam rei cuiuslibet): ergo erit per se suppositi communicare existentiam tum operationi, tum effectui per operationem producto, & sic omnis operatio erit à supposito.

Confirmatur vltimo, quia vnumquodque agit inquantum est perfectum, (cùm enim agere sit communicare, & communicare sit perfecti, erit etiam perfecti agere:) ergo cum ex Diuo Thoma, quæstione tertia huius disputatio. paragrapho primo, numero vigesimosexto, suppositum dicat illud quod est perfectissimum in toto genere substantiæ, erit suppositi munus agere & operari.

Probatur ratione Theologica suppositum actiue in actiones influere.

§. III.

91. SI suppositum se habet solum comitanter & per accidens ad operationem, & nullomodo influat actiue aut per modum principij in eam (vt ait Vasquez disp. illa 21. cap. 3. sequitur quod suppositum Christi redemerit nos, & satis fecerit pro nobis patri æterno comitanter solum & per accidens, imo quod nullomodo nos redemerit, nec satisfecerit pro nobis, consequens est erroneum in fide: ergo. Sequela maioris probatur: eo modo suppositum Christi nos redemit, & pro nobis satisfecit, quo influxit in opera quibus redempti sumus, & quibus pro nobis est satisfactum patri æterno: atqui ex illa vasquesij sententia suppositum Christi in quantum suppositum Christi, vt sic, nullum influxum actiuum præbuit in opera illa satisfactionis & redemptionis nostræ, sed mere comitanter & per accidens se habet ad illa, & prob. quia eo modo influxit in ea, quo suppositum connaturale influxisset, si ibi adfuisset naturamq; humanam Christi terminasset, Verbum enim diuinum supplet influxum & munus suppositi creati ibi deficientis, ergo cum suppositum ex ratione suppositali, nullomodo influat per modum principij in operationem secundum Vasq. suppositum Christi nullomodo influxit, saltem in quantum terminat naturam humanam ipsius, per modum principij actiui in illa opera quibus redempti sumus, & quibus pro nobis Patri æterno est satisfactum.

Confirmatur, quia non potest aliquod opus tribui ei, ad quod nihil prorsus contribuit: atqui in sententia Vasquesij suppositum Christi nihil prorsus contribuit ad opus redemptionis nostræ, quia nullum prorsus influxum in illud præbuit: ergo non potest ei tribui opus redemptionis nostræ.

Dices, opus redemptionis nostræ tribui ei per communicationem idiomatum, & ratione humanitatis.

Contra, quia non solum per communicationem idiomatum, & ratione humanitatis, sed etiam per se & tanquam principio quod per se influendi tribuitur Christo redemptio nostra, & nostra satisfactio, & proterea non humanitas, sed Christus Dominus dicitur mediator Dei & hominum, traditus, crucifixus, mortuus pro nobis: ergo cum Christus Dominus sit nomen suppositi diuini terminantis naturam humanam, & verba Scripturæ secundum regulam S. Augustini, communiter à Theologis receptam, sint intelligenda in proprietate sermonis, quando nullum inde sequitur inconueniens, non humanitas, sed suppositum diuinum tanquam principium quod, erit causa redemptionis nostræ, mediante tamen humanitate quam terminat tanquam principio quo. Si vis videre plura, lege Nazarium 3. p. q. 1. a. 2. Contro. 3.

92. Probatur secundo, si supposita non influant actiue in actiones, sequitur quod personæ diuinæ non erunt inter se realiter distinctæ; quia realis distinctio quæ est inter eas, fundatur in hoc quod vna ex illis ab

altera procedat, sicut filius à Patre, vel ex duabus, sicut Spiritus Sãctus à Patre & filio, sublato ergo quod Pater. influat actiue in filium; & Pater, & filius in Spiritum Sanctum, ruit totũ Mysterium sanctissimæ Trinitatis, & in Sabellianismum euidenter diuertitur, imo in Trinitariorum seu Tritheistarum hæresim, quorũ dux fuit Valentinus Gentilis; si enim natura & non suppositum producit vt quod, vt dicit Vasquesius, certe cũ ex Scriptura Sacra constet dari processiones ad intra in diuinis, & illa, quorum vnum ab altero procedit vt quod, debeãt realiter inter se distingui, natura diuina de necessitate multiplicabitur in diuinis, quia natura diuina producet, & producetur.

Confirm. quia in Concil. Lateran. cap. damnamus de summa Trinit. Innocent. 3. decreuit veram esse sent. Magist. sent. qua asserebat essentiam diuinam non generare, & contrariã Abbatis Ioachimi erroris damnat, de qua re consule Scolasticos in 1. dist. 5. & D. Th. 1. p. qu. 39. a. 5. & opusc. 1. c. 4. ergo suppositum vere influit actiue vt quod, in actiones, non essentia.

Dices, esse diuersam rationem suppositorum diuinorum & creatorum, & supposita diuina actiue quidẽ influere (cum hoc ex fide constet) non autem creata, sed soli naturæ creatæ esse concedendum, influxum actiuum, & nullum suppositis creatis.

Contra, quia si ex fide habemus, quod supposita diuina influant actiue in actiones, quare supposita creata quæ analogantur cũ eis, tanquam participationes quædam eorum, non influent etiam actiue in proprias naturæ quam terminant actiones? Deinde cum agere sit subsistentis, & in creatis, naturæ non subsistant per se, sed supposita, suppositorum, non vero naturæ erit agere; vel si naturæ id competat, competet ei tanquam principio quo, eo modo quo ei subsistere, vt quo, tribuitur.

Sed libenter inquirerẽ à Vasquesio si rem cum Paganis haberet, qui Mysterium sanctissimæ Trinitatis impugnando, argumentarentur, in eius sent. ex creatis ad diuina, quod in creatis natura generat, non autem suppositum, & consequenter, si in diuinis datur generatio, quod natura non suppositũ generabit, & sic quod alia natura erit in generante, & alia in genito: quid responderet, si negando consequentiam peteretur ab eo ratio negati, certe si non recurrit ad commune axioma, quod actiones sunt suppositorum, non poterit reddere vllam negati rationem, & sic Vasquesius euertendo istud axioma, euertit fundamentum ad quod Catholici recurrunt, vt fidem contra fidei aduersarios propugnent.

Probatur tertio, si suppositum non influit actiue vt quod in actiones suas, sed natura, sequitur quod supposita non erunt beata, sed natura eorum, & sic non S. Petrus sed natura eius, non B. Virgo, sed natura eius, non Christus, sed natura Christi erit beata. Probatur, quia actio vt actio est formaliter vt sic, non denominat nisi agens: atqui visio beatifica est formaliter actio; ergo non denominat beatum nisi principium eius: atqui per Vasquesium, suppositum nullam exercet causalitatem nullam rationem principij in actiones, sed natura sola: ergo non suppositum, sed natura erit beata.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. IV.

93. OBiicitur, anima separata agit, & tamen non est suppositum, imo accidentia in sanctissimo Sacramento agunt, & tamen nec sunt suppositum, nec in supposito, sed sine vllo prorsus subiecto, à quo sustententur in rerum natura existũt & agunt: ergo suppositum non est necessarium ad actionem per modum principij actiui ipsius.

Respondeo non requiri à nobis absolute & de necessitate omnimoda suppositum ad quamcumque actionem, taliter quod non possit dari actio sine supposito, sed requirimus solum illud, vt actio habeat suum principium quod adæquatum, & completum secundum ea quæ dicta sunt initio huius quæst. n. 84. concedimus ergo posse dari actionem ab anima separata procedentẽ, quamuis tamen illa actio non sit ab ea tanquã à principio suo adæquato, & perfecto, & propterea dicit D. Tho. 1. p. q. 89. art. 2. actiones animæ separatæ non esse adeo perfectas, sicut sunt illæ quas elicit in corpore, & non solum D. Tho. hoc asserit de actionibus naturalibus, sed etiam de visione beatifica, 1. 2. q. 4. a. 5. & in supplemento q. 93. ar. 1. *Quia sicut pars*, ait, *completur & perficitur in suo esse coniuncta cum altera comparte; ita & in suo operari* Deinde non mirum quod anima separata possit actiones elicere, etiam si non sit suppositum 1. quia in statu separationis conuenit ei illud esse, quod dum existeret in corpore, suppositum in esse principij quod constituebat. Secundo quia ratio quare operari & agere tribuitur supposito, est quia subsistere & esse per se conuenit supposito: ergo si esse per se, & subsistere per se conuenit animæ separatæ, poterit & illi operari conuenire; quia tamen non habet modum essendi ita perfectum extra corpus, sicut in corpore, ideo fit quod actiones ipsius, vt est in separationis statu, non sunt ita perfectæ, sicut quando existit in corpore.

Ad id autem quod obiicitur de speciebus sacramẽtalibus, respondetur illas agere in virtute supositi panis, in quo antea præextiterunt, & cuius sunt virtutes; & sic licet suppositum panis non sit amplius in se, agit tamen, in virtute sua existens.

Obiicitur, si suppositum actiue influeret in actiones, deberet habere aliquam potentiam per quam eliceret eas, quia substantia non est immediate operatiua at non potest assignari vlla potentia accidentalis per quam suppositum operetur; ergo.

Respondeo quod sicut dictum est disp. 7. nu. 11. potentia per quam natura operatur vt quo, est illa eadem per quam suppositum operatur vt quod: sicut enim illa potentia fluit & dimanat à natura vt quo, ita fluit & dimanat à supposito vt quod, quia accidens non potest dimanare à natura priusquam sit suppositata, cum natura non possit recipere esse secũdum quid, priusquã recipiat esse simpliciter, & consequenter sicut illa potentia accidentalis est virtus naturæ

vt principij quo, ita virtus est suppositi, vt principij quod.

94. Obiicitur, si personalitas aut suppositalitas concurreret actiue ad actiones, sequeretur quod mutata personalitate, mutaretur actio substantialiter, mutato enim principio mutatur actio: at mutata personalitate non mutatur actio substantialiter; si enim natura humana Christi propria, & naturali personalitate terminaretur, actiones eius nō essent diuersæ ab iis quas nunc habet: ergo.

Confirm. licet anima separata diuersum modum essendi habeat in statu separationis ab eo quem habet quando est in via corpori coniuncta, tamen actiones eius non sunt diuersæ, sed eadem omnino: ergo nec personalitas, nec diuersus modus essendi influet actiue in actiones.

Respondeo, quod actiones non diuersificantur substantialiter ex principio quod, aut ex principio quo radicali, si per diuersitatem substantialem intelligat Vasq. diuersitatem specificam, sed ex principio quo proximo & immediato; & propterea licet anima & Angelus, imo & intellectus eorum in multorum saltem sententia distinguantur, specie, tamen eandem specie visionem beatificam eliciunt, quia producunt eam mediante lumine gloriæ eiusdem speciei; & ne ad supernaturalia transeamus, quamuis homo & ignis specie distinguantur, tamen eadem calefactio specie procedit ab homine & ab igne, quia procedit ab eis mediante calore qui est eiusdem speciei in igne & homine; vnde cum personalitas influat solum mediate in actionem, propterea non inde inferendum est mutandam fore actionem substantialiter si mutaretur personalitas, quia substantialis determinatio actionis, sequitur non principium mediatum, sed immediatum & proximum. Si qua ergo inferatur mutatio in actione ex diuersa personalitate, illa erit modalis seu formalis, non specifica; sicut enim ex eo quod calor sit in igne & in homine, non contrahit ex eo diuersam speciem, sed diuersum modum & diuersam formalitatem, quam postea diffundit in calefactione, & propter. a calefactio quæ est in homine habet diuersam formalitatem ab ea, quæ est in calefactione ignis: ita pariter ego dico quod illa accidentia quæ sunt in diuersis suppositis, contrahunt diuersum modum diuersamque formalitatem, quam postea in actiones refundunt, quas eliciunt, non tamen diuersitatem specificam: ex quo patet quod si personalitas diuina, desineret iam terminare naturam humanam Christi, vt propria & connaturali terminaretur, accidentia humanitatis, actionesque ex eis procedentia, amitterent quidem formalitatem aliquam, nouumque modum induerent, ex diuersa personalitate, quæ humanitatem illam terminaret, quamuis entitatiue aut substantialiter non mutarentur.

Potest & eadem solutio ad id quod de anima separata obiicitur, applicari, quamuis possit addi non mirum esse, quod sint eædem actiones in ea ac quando erat corpori coniuncta, quia secum habet subsistentiam seu existentiam per se, quæ constituebat personam, quando anima erat corpori vnita; quia tamen anima in illo statu separationis, non habet ita perfectum modum essendi, ac quando erat corpori vnita, ideo

etiam

etiam actiones eius diuersificantur quoad modum, nec sunt ita perfectæ sicut erant illæ, quas habebat in corpore, vt paulo ante ex D. Tho. retulimus.

Responderi potest secundo in illa suppositione, qua Verbum diuinum desineret terminare naturam humanam, actiones naturæ illius suppositatæ per proprium & naturale suppositum, fore in illo casu indiuidualiter diuersas: & ratio est, quia accidentia accipiunt vnitatem suam numericam & indiuidualem à subiecto suo totali & completo: vnde cum natura non sit subiectum accidentium suorum totale & completum, secundum quod præscindit à suppositalitate, seu ratione hypostatica, sed secundum quod vnitur cum ea, quia natura non potest recipere esse secundum quid, antequam recipiat esse simpliciter, propterea actiones naturæ illius essent in illa suppositione diuersæ numero simpliciter, quia natura esset terminata per aliud suppositum, quamuis possent dici secundum quid eædem numero, quantum ad vnitatem numericam partialem ab eadem numero natura petitam: & hæc solutio videtur esse fundata in doctrina D.Th. 3.p.q.19.ar.1. ad 3. vbi dicit à diuersitate formarum seu naturarum, esse diuersitatem operationum secundum speciem, sed ab vnitate hypostasis, esse vnitatem numericam.

Instabis. Si natura non recipit accidentia, nisi vt suppositata: ergo natura non recipit accidentia, nisi mediante ratione hypostatica, & sic natura humana in Christo reciperet accidentia mediante hypostasi Verbi diuini, quod tamen implicat, cum Verbum non habeat potentiam accidentium receptiuam.

Respondeo, quando dicitur quod natura non recipit accidentia, nisi vt est suppositata: ly vt, debet sumi specificatiue, & non reduplicatiue, quasi ratio hypostatica debeat esse ratio formalis, mediante qua natura recipiat accidentia, nisi forte in creatis, in quibus propter limitationem quam esse hypostaticum habet, potest naturæ esse ratio ea recipiendi.

LIBER SECVNDVS
DE ENTE INCREATO attributisque ipsius.

LIBRI PRÆSENTIS DIVISIO.

AD altissimum iam cõsurgit totius Metaphysicæ obiectũ consideratio nostra: etenim præsens liber in contemplatione entis increati, vt authoris naturæ, attributorumque ipsius totus erit. Diuidetur autem in duas partes magis principales. Prima in consideratione Dei, attributorumque eius, quæ ipsi secundum quod est in ordine essendi competunt, versabitur: & hæc complectetur quæstiones quas D. Tho. 1. p. qu. 2. vsque ad 12. exclusiue de Deo facit. pars autem posterior Deum considerabit vt est in ordine operandi, & propterea in illa parte de Deo vt creatore, de quo D. Tho. qu. 45. 1. p. de Deo vt gubernatore, de quo q. 103. & de Deo vt conseruatore de quo qu. 104. tractabitur.

DISPVTATIO NONA:

DE EXISTENTIA DEI.

QVia quæstio an est, quæstiones alias, quæ possunt fieri de aliquo obiecto præcedere debet, ideo in hac disputatione agendum est de Dei existentia, antequam ad alias quæstiones de eo attributisque eius tractandas procedamus.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DEVM ESSE SIT PER SE NOTVM.

§. I. *Resolutio quæstionis.*

AD intelligentiam eorum quæ in præsenti dubio dicenda sunt, notanda est Peripatetica, & communiter recepta diuisio propositionis in propositionem per se notam secundum se, & non quoad nos, & in propositionem per se notam secundum se & quoad nos, de qua meminit D. Tho. prima parte quæstio 2. articulo 3. & Aristoteles primo Posteriorum capite tertio. Si non sub iisdem saltem sub æquiualentibus terminis: diuidit enim propositionem immediatam (quæ cum per se nota coincidit) in dignitatem & positionem, & postea subdit quod propositio immediata, quæ est dignitas, est illa, *Quam in mente docendum quemlibet sine Doctore habere necesse est*; propositio vero immediata quæ est positio, est illa, *quam non est necesse habere docendum in mente sine doctore*

Vbi Aristoteles aperte diuidit propositionem immediatam in eam, quæ est nota secundum se & non quoad nos, & in eam quæ est nota secundum se & quoad nos dicit enim propositionem immediatam, quæ est dignitas, cognosci sine vllo doctore, quod idem est ac esse per se, & secundum se, & quoad nos, notam; propositionem vero immediatam, quę est positio, indigere explicatione, & doctore vt cognoscatur, quod idem est, ac esse per se notam secundum se, sed non quoad nos; si enim immediata est, ergo per se est nota, nec medio quantum est ex se indiget vt cognoscatur; quod si tamen ex parte nostri indigemus Doctore, vt cognoscamus eam: ergo non est nota quoad nos, si enim quoad nos nota esset, Doctore non indigeremus ad eius cognitionem: ex quo patet quod sub æquiualentibus terminis tradidit nobis illam diuisionem Aristoteles loco citato. Consulantur de ea PP.N. Complut. in sua Logica disput. 18. quæst. prima in hæc verba primis & immediatis, Gonzal. 1. p. disp. vndec. vbi conclus. prima communem explicationem eius contra Molinā propugnat. Videatur etiam Nauar. cont. 13. §. 2. vbi impugnat expositionem quam tradit Molina de hac diuisione.

2. Hoc supposito prima sent. est Ciceronis, qui lib. primo de natura Deorum asserit Deū vsque adeo esse per se notum, vt appellet illam notitiam Dei, *Anticipationem naturæ, quia sine doctore, sine more & lege omnibus est nota.* Et lib. de legibus hanc opinionem Epicuro tribuit. poterit videri Bannez. 1. p. q. 2. a. 1. vbi alios affert eiusdem opinionis sectatores.

Secunda sent. est Vasq. qui licet teneat hanc propositionem non esse secundum se notam quoad nos, dicit tamen non esse sufficienter probatam, specialiterque rationem, quam hic affert D. Tho. impugnat.

Nostra vero sent. sequentibus explicatur conclusionibus.

Conclusio 1. ista propositio, Deus est, est propositio per se nota secundum se. ista conclusio est omnium Theologorum, & expressa D. Th. 1. p. q. 2. ar. 1. & quinto cont. Gent. c. 11. & 12. de veritate quæstio. 10. articulo 12.

Probatur ratione desumpta ex D. Th. locis iamiā citatis, quia illa propositio est per se nota secundū se, cuius prędicatū est de essentia Dei, ergo quod Deus sit & existat erit propositio per se nota secundum se. Conseq. est euidens, probatur antec. quia propositio per se nota secundū se, est illa, quæ quantum est ex se, & ex natura sua non indiget medio adhoc vt probetur prædicatum cōuenire subiecto: at quando prædicatum est de essentia subiecti, tunc propositio non indiget tali medio quantum est ex se; quia de facto per se tale prædicatum subiecto conuenit; & non per aliud; si enim illi conuenit essentialiter, ergo per se perseitate primo modo dicta illi conuenit, & consequenter medium habere non potest, per quod illi conueniat.

3. Conclusio. 2. Quod Deus sit non est propositio per se nota quoad nos. Ista conclusio est etiam communiter ab omnibus recepta. Est & D. Th. vbi suprà D. Greg. lib. 27. Moral. cap. 3. vbi in hæc verba, *omnes homines vident eum*, dicit, *omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet*

ex ratione colligere eum qui se condidit, Deum esse. D. Dionys. c. 7. de diuinis nominibus dicit, *Deum cognosci ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione.* Deinde probatur ex sacra scriptura Roman. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Et Sap. 13. argüũtur vani homines, *Qui de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex.*

Probatur ratione. Quotiescumque intellectus noster indiget medio, vt cognoscat aliquam propositionem, tunc illa propositio non est nota nobis secundum se, seu quoad nos: at ita est, quod intellectus noster indiget medio, vt cognoscat quod Deus sit, ergo, maior est certamin. prob. Non potest noster intellectus cognoscere immediate, seu sine medio, nisi ea quæ immediate mouere eum possunt, eodem enim modo cognoscit obiectum, quo ab eo mouetur; si ab obiecto mouetur immediate, cognoscet immediate, si mediate solum, etiam mediate cognoscet: & Deus non potest immediate mouere nostrum intellectum, secundum quod cognoscitur à nobis in via, quia illa quæ sunt in modo essendi proportionata cum intellectu nostro, sunt ea sola quæ per seipsa eum mouere possunt, vt optime ostendunt PP. N. Complut. in lib. de anima disput. 51. quæst. 2. & propterea obiectum motiuum & immediatum nostri intellectus, est quidditas materialis, ad modum cuius cognoscimus, quidquid cognoscimus; ergo cum Deus sit omnino eleuatus supra hunc modum essendi imperfectissimum, non poterit Deus immediatè seu sine medio, à nostro intellectu cognosci. Ergo quod Deus sit non poterit esse propositio secundum se nota nobis.

Confirmatur ratione petita ex D. Th. loco citato prima p. quia adhoc vt ista propositio esset per se nota nobis, deberet Deus cognosci à nobis quidditatiue: ergo cum Deus, pro præsenti statu, non possit hoc modo à nobis cognosci, propositio prædicta non erit per se nota nobis: probatur antecedens, vt aliqua propositio dicatur secundum se nota nobis, debet noster intellectus cognoscere immediatè connexionem necessariam & immediatam, quæ est inter prædicatum & subiectum: at impossibile est quod noster intellectus possit immediate cognoscere illam necessariam & immediatam connexionem quæ est inter Deum & ipsius existentiam, nisi quidditatiue Deum cognoscat; probatur, quia non potest immediate cognoscere talem connexionem, nisi etiam immediate naturam talis prædicati talisque subiecti cognoscat; connexio enim prædicati & subiecti, non est aliquid præter ipsum prædicatum atque subiectum quatenus ad inuicem vniuntur, & maxime si consideretur ex parte obiecti: ergo si cognoscatur immediate connexio necessaria & immediata, quam habet existentia Dei cum Deo, debebit etiam immediate cognosci natura Dei, & existentia ipsi conueniens: ergo natura Dei quidditatiue cognoscetur, probatur ista cõsequentia: quia vt natura Dei immediate cognoscatur, debet necessario per propriam speciem cognosci quæ immediate repræsentet ipsum, si enim per alienam speciem alterius immediate repræsentatiuã cognosceretur prius

natura illa immediatè per talem speciem repræsentata cognosceretur, & sic non cognosceretur immediate Deus, sed natura illa prius immediatius repræsentata per illam speciem: ergo si Deus immediatè cognoscatur, debet per propriam speciem immediatè ipsius repræsentatiuam cognosci. At hoc modo Deum cognosci, est quidditatiuè Deum cognosci. Probatur, quia tunc Deus cognoscitur quidditatiuè, quando quidditas Dei mouet per seipsam intellectum, & sine medio ex parte obiecti; tunc autem per seipsam, & sine medio eum mouet, quando per propriam speciem, sui ipsius immediatè repræsentatiuam & mouet, & cognoscitur: ergo de primo ad vltimum, quando Deus immediatè & per propriam speciem cognoscitur ab intellectu nostro, debet tunc quidditatiuè cognosci. Et ecce vim & energiam rationis, quam affert D.Th.1.p.q.2.ar.1. & contra Gent. loco citato.

Proponuntur & soluuntur Obiectiones.

§. II.

4. OBiicitur, si ratio D.Thomæ citata in conf. conclusionis secundæ aliquid concludit, concludit etiam quod immaterialia non esse in loco circumscriptiuè, non sit propositio per se nota sapientibus, cuius tamen contrarium definit idem S. Th. ibid. in corp a. probatur sequela, quia immaterialia non possunt quoque quidditatiuè cognosci ab hominibus pro statu præsenti. Ergo si vt propositio, sit nobis nota per se, requiritur quod sit quidditatiuè cognita, propositio prædicta non erit nota per se sapientibus.

Respondeo 1. quod illa propositio non est propriè nota per se; & ratio est, quia esse negatiuum petit ex se per positiuum & affirmatiuum intelligi, & consequenter propositio negatiua in sui cognitione præsupponit per se cognitionem propositionis affirmatiuæ, quam negat. Vide de hac re Nauarrete. contro 13. in expositione controuer. ante §. 1. & in responsione ad 3. Naz. contro. 1. supra prædictum articulum D.Th. in suo 3. notando. Licet enim postremus hic teneat, quod propositiones negatiuæ, in quibus remouetur vna natura ab altera (sicut, v. g. in ista propositione, homo non est lapis, aut leo) sint propositiones immediatæ, & per se notæ, quia (inquit) sicut differentia per seipsam immediatè essentiam constituit, ita per seipsam immediatè distinguit eam à quacumque alia natura; tamen fatetur, quod illæ propositiones, in quibus remouetur aliquod accidens à substantia, (vt in his, Angelus non commensuratur loco, bos non intelligit) non sunt propositiones immediatæ, & per se notæ: & rationem reddit huius rei optimam, quia scilicet, accidens alicui naturę proprium aut connaturale, non intelligitur ab alia natura remoueri, nisi mediatè veluti, hoc est, media remotione naturæ, cui tale accidens est proprium. Verbi gratia, in materia præsenti, cōmensurari loco, non remouetur ab Angelo, nisi quia remouetur ab eo quantitas seu corpus, cui proprium est loco cōmensurari: quādo ergo D.Th. dicit propositionē istam (incorporea non esse in loco per commensurationem) esse propositionem per se notam sapientibus, non vult D. Th. quod absolutè & propriè talis

propositio sit per se nota sapientibus, sed solum vult eam esse illis improprie per se notam, propter facilitatem nempe, quam habent repugnantiam illam inferendi quæ est in rebus incorporeis, essendi in loco circumsciptiue.

5. Respondeo secundò, quod D. Th. affert solum prædictam propositionem in exemplum, & hoc non ex se sed ex Boetio, in exemplis autem non requiritur veritas.

Respondeo tertiò cum Bannesio & Nauarett. quod cum in propositione negatiua non cognoscatur, quid subiecto conueniat, sed quid non conueniat; ideo fit ad eius cognitionem non requiri quidditatiuá & perfectam cognitionem subiecti, sed imperfectam sufficere; neque enim quidditatiue aliquid cognoscitur per modum remotionis, & per id quod illi non conuenit, sed per id quod ei positiue conueniens est: at cũ hæc prop. Deus est, sit propositio affirmatiua vt posset dici nota secundum se, & quoad nos necesse esset omnino Deum, quidditatiue à nobis cognosci, quia prædicatum illius prop. est essentia, ipsius & consequenter, si immediate cognosceretur à nobis tale prædicatum Deo conuenire, cognosceretur etiam à nobis immediate, & per cõsequens quidditatiue essentia Dei.

Obiicitur, ista propositio, quodlibet est vel non est, est propositio immediata, & tamen ens non cognoscitur quidditatiue; ergo vt propositio ista, Deus est, sit propositio immediata, non est necesse cognoscere Deum quidditatiue.

Respondeo quod licet propositio ista, quodlibet est vel non est, sit propositio immediata, attamen solum nota est nobis cognitione confusa; istæ enim rationes vniuersalissimæ per modum, cuiusdam totius potentialis à nobis solum cognoscuntur, si sit quæstio de prima earum cognitione, & propterea ad confusam huius propos. cognitionem, nõ est necesse vt perfecte, & quidditatiue ens cognoscatur, sed sufficit confusa eius cognitio: at si ista propositio, Deus est, esset per se nobis nota, deberet quidditatiue & perfecte Deus à nobis cognosci, quia existentia est de perfecto conceptu Dei, & velut ratio constitutiua ipsius: Similem solutionem reperies apud Gonzal. disp. 11. sub finem, respondendo ad argumẽtum Vasquesij.

Respondeo secundò, quod eo modo quo immediate cognoscitur ista propositio, quodlibet est vel non est, eo modo etiam ens quidditatiue cognoscitur; vt enim ens quidditatiue cognoscatur, sufficit quod per propriam speciem cognoscatur, quod certe fieri posse dubitari non potest, etiamsi per modum totius cuiusdam potentialis cognoscatur, & confuse.

6. Et si dicas quod illud ens, quod per propriam speciem, & quidditatiue cognoscitur, non est ens, quod facit partem huius propositionis immediatæ, quodlibet est vel non est, quia illud ens, quod facit partem huius propositionis, est ens in tota, suæ latitudine sumptum, vt euidens est, vbi ens quod quidditatiue & per propriã speciem immediate ab intellectu nostro cognoscitur est ens cõcretũ & cõiunctũ quidditati sensibili: & consequẽter nõ esse necesse, vt aliquid sit terminus propositionis immediatæ, & per se nobis notæ, quod quidditatiue & per propriam speciem à nostro intellectu cognoscatur.

Respondeo primò in Masij sententia de qua disp. 1. quæst. 4. parag. 4. ens quod ponitur in illa propositione, esse ens vniuersaliter sumptum, quod quidem quidditatiue, & per propriam speciem, si non impressam, expressam saltem ipsius immediate repræsentatiuam cognoscitur, & sic nihil facit instantia contra prædictam sententiam.

Resp. 2. In sententia Caietani quã sequuti sumus, quod si ens positũ in illa propositione sumatur in tota vniuersalitate sua, propositio cuius partem faciet, erit quidem immediata secundum se nota, non autem quoad nos; quia antequam ascendat intellectus noster ad illam propositionem cognoscendam sub vniuersalitate illorum terminorũ, debet prius cognoscere illam, prout conficitur, ex ente minus vniuersaliter sumpto, prout scilicet ens concernit quidditatem sensibilem, quia ens hoc modo sumptũ est obiectũ motiuum nostri intellectus, & priori modo consideratum, obiectum extensiuum illius. At si ens consideretur, quatenus est concretum quidditati sensibili, tunc dicta propositio erit nota secundum se, & quoad nos; quia immediate, & per proprias species, termini illius propositionis à nobis cognoscentur. Posset tamen adhuc sub prima consideratione aliquomodo dici nota quoad nos, (non tamen absolute & proprie,) quia sicut hoc modo spectata non immediate cognoscitur, tamen statim, & sine vlla difficultate prorsus, ex cognitione eius sub prima consideratione, cognoscitur sub secunda, propter conformitatem veritatis, quæ est in illa propositione sub vtraque ratione considerata.

Quod si tandem semper instetur, quod propositio illa est per se & nobis nota in rigore, etiamsi ens sumatur in tota sua vniuersalitate, quia secundum istam considerationem est primum omnium principiorum Metaphysicæ.

Respõdetur ad hoc, vt dicta propositio, sub illa terminorum vniuersalitate, sit principium primum Metaphys. sufficere quod sit notissima secundum se. Vel tandem si velis tibi concedi eam esse notissimam secundum se, & quoad nos. Respõnderi poterit, quod antequam intellectus formet iudicium de isto principio, quodlibet est vel non est, statim post primam apprehensionem, qua cognoscitur ens concretũ quidditati sensibili, ex specie illius formatur in intellectu alia species, si non impressa, saltem expressa, immediate repræsentatiua entis, sic vniuersaliter sumpti, admodum, quo secundum PP. N. Complut. in sua Logica disp. 2. quæst. 3. paragr. 1. n. 19. ex specie entis realis alia species formatur entis rationis immediate repræsentatiua; & sic semper per propriam speciem, & quidditatiue cognoscetur ens; quod facit partem illius propositionis immediatæ, & nobis notæ secundum se.

7. Obiicitur, ista propositio, Deus est colendus, est per se nota etiam quo ad nos; ergo hæc, Deus est, debet etiam esse per se nota, quia vt cognoscatur, quod Deus sit colendus, supponitur necessario cognitio esse Deum. Quomodo enim cognosceretur quod colendus esset Deus, nisi prius cognosceretur de facto à parte rei existere Deus? Antecedens autem probatur. Quia propositio prædicta est principium practicum, & ve-

& veluti primum, cum sit circa vltimum finem, circa quem sunt principia prima practica, cum à fine vltimo primæ rationes agendorum petantur.

Respondeo, quod ista propositio est per se quidem nota quoad nos, sed cognitione practica, non speculatiua; at principia practica, quantumcumque sint in genere suo nota, quantumcumque sint prima aliaque in practico ordine non supponant; semper tamen cognitionem speculatiuam discursiuam præsupponunt circa extrema eiusdem propositionis, v. g. quod parentes sint honorandi, est propositio practica per se nota quo ad nos, & tamen ista cognitio supponit necessario aliam cognitionem speculatiuam, qua cognoscamus parentes nostros existere, & quinam illi sint, quæ quidem cognitio, non est per se nota, sed per discursum acquisita: ita pariter in præsenti casu, licet quod Deus sit colendus, sit propositio per se nota nobis cognitione practica, attamen illa cognitionem speculatiuam necessario supponit circa existentiam Dei, quæ non nisi per discursum acquiri potest.

Et si dicas, quod ista solutio pugnat contra D. Th. & contra id totum quod diximus in solutionibus argumentorum præcedentium. Secundum enim D. Th. & solutiones argumentis datas, vt propositio sit per se nota nobis, debent termini illius propositionis quidditatiue, & per propriam speciem cognosci.

8. Respondeo, quod præsens solutio non pugnat vllo modo cum solutionibus datis aliis argumentis: nam alia argumenta procedebant de propositionibus immediatis & speculatiuis, præsens verò procedit de propositione immediata practica: at non est necesse ad propositionem practicam per se notam nobis, quod termini illius sint quidditatiue, & per propriam speciem à nostro intellectu cogniti; & ratio est quia cognitio practica non dicitur vera per conformitatem ad obiectum, sed per conformitatem ad appetitum rectum, itaut si cognitio practica sit artificialis, cognitio illa debeat conformari appetitui, qui sit rectus secundum regulas artis: si verò cognitio practica sit moralis, cognitio quoque sit conformis appetitui, qui sit rectus secundum regulas moris & virtutis, & conseq. ad hoc, vt propositio prædicta sit immediata & per se nota, non est necesse quod cognoscatur obiectum in se, & per propriam speciem, sed sufficit quod cognoscatur quatenus relucet in inclinatione, quam appetitus rectus habet circa illud: & per speciem talis inclinationis; & sic in propositione illa, Deus est colendus, Deus non cognoscitur nisi vt relucet in inclinatione naturali, quam Deus dat homini ad sui cultum, & per speciem talis inclinationis, non per propriam speciem Dei immediate repræsentatiuam: ex eo enim quod intellectus videt talem inclinationem esse à natura, & à natura nihil mali esse, indicat de facto illam inclinationem esse rectam & ex consequenti Deum esse colendum; & ecce quomodo conformatur in suo iudicio practico, appetitui recto: sed non sistit ibi talis inclinatio, quia sicut talis inclinatio tendit in opus, & in praxim. v. g.

in cultum Dei; ita similiter & iudicium practicum in praxim, & operationem tendit per modum principij illius. At non est eadem ratio de propositione speculatiua; cum enim illa dicatur vera per conformitatem ad ipsum obiectum, si propositio est immediata, & per se nota nobis, debet necessario intellectus immediate conformari tali obiecto per speciem immediate ipsius, & non alterius repræsentatiuam: & ratio est euidentissima, quia intellectus eo modo cognoscit quo conformatur obiecto, cum intellectus speculatiuus non cognoscat nisi per conformitatem ad obiectum, in illud se transformando: ergo si cognoscat immediate & per se aliquid, non autem per aliud, debet immediate conformari obiecto, non per aliud, & cum non conformetur obiecto nisi per speciem, quæ intellectum in obiectum transformat, vt immediate conformetur, debet habere necessario speciem, quæ immediate repræsentet illud obiectum: Si enim intellectus informaretur specie alterius immediate repræsentatiua, prius in aliud transformaretur, & prius ex consequenti etiam aliud cognosceret, & sic immediate obiectum, & per se non esset notum, sed per aliud.

Sed quæres quare potius conformatur propositio practica cum appetitu recto quam obiecto?

Quia scilicet propositio practica siue iudicium practicum non tam est propter cognitionem obiecti, quam ad hoc, vt sit principium bonæ operationis, quæ versatur circa tale obiectum, & quia appetitus rectus est id vnde fluit bonitas, quæ est in operatione; ideo fit quod iudicium practicum appetitui recto se conformat, vt vna cum ipso influat per modum principij in operationem; & ecce rationem quare necesse non est, vt aliqua propositio sit nota per se in ordine practico, quod obiectum cognoscatur in seipso, sicut requiritur in ordine speculatiuo; quia cum in ordine practico id quod intenditur sit operari, siue obiectum per seipsum, siue per aliud cognoscatur, modo propositio sit talis, vt sit sufficiens per se ad initiandam operationem, illa propositio erit per se nota in ordine practico; & quia cognitio bonitatis obiecti per aliud est sufficiens ad inducendum ad opus, ideo fit quod propositio in qua per aliud bonitas obiecti cognoscitur, possit esse propositio practica per se nota.

Ex his respondetur ad aliquas obiectiones, quæ hic solent fieri, quod scilicet insitum est homini naturale desiderium in Deum tendendi, & quod quilibet tenetur in primò instanti vsus rationis se conuertere in Deum ex D.Th. prima parte, quęst. 89. art. 6. & consequenter quod naturalis est, & per se nota Dei cognitio.

9. Dicimus enim primò sufficere ad hoc, cognitionem Dei implicitam, mediatam & confusam; quia si obiectio procedat (vt videtur procedere) de obligatione & desiderio tẽdendi in Deum, quæ insunt homini in primo instanti vsus rationis, certum est quod talis cognitio confusa & mediata sufficiet ad illius, tũ obligationis, tũ desideri directionẽ, quia homines in primo illo instanti desiderant solũ Deum naturaliter implicite, & ex vi illius desiderij solũ obligantur tẽdere in eum virtualiter, mediante scilicet bono rationis in communi, ad quod tenentur se in illo

instanti conuertere. Quod si obiectio procedat de obligatione & desiderio tendendi in Deum explicite, dicimus quod cognitio distincta Dei, quæ illud desiderium, illamque obligationem dirigit, supponit necessariò discursum ad cognitionem speculatiuam de Deo habendam, etiamsi detur quod cognitio practica directiua illius obligationis, illiusque desiderij, sit immediata in ordine practico. Sufficit enim vt sit immediata, quod sit initium operationis, aliamque in eodem ordine practico non supponat, vt dictum est. Si vis videre plura quoad illam obligationem se conuertendi in Deum in primo instanti vsus rationis; & quod illud instans debeat intelligi non de instanti Physico, sed Morali, & includente tempus necessarium ad discursum, consule Bannezium loco citato 1. par. ad 4. & secunda secundæ, quæstione decima, articulo primo, dubit. 2. vbi fusissimè hoc explicat.

Obiicitur: illa propositio dicitur per se nota, quoad nos, quæ explicatis terminis statim cognoscitur; sed explicato nomine hoc, Deus, quod est pars huius propositionis, Deus est, statim cognoscitur quod Deus existit.

Probatur, quia explicatio nominis declarat quid significatur formaliter per nomen: ergo cùm hoc nomen, Deus, significet essentiam Dei, de cuius ratione est existere, explicato hoc nomine, statim declarabitur, & cognoscetur quod existit.

Respondeo, distinguendo maiorem. Si explicatis terminis cognoscatur immediatè & per propriam speciem, concedo, si solùm mediatè & per speciem immediatè repræsentatiuam alterius, nego: at hoc nomen, Deus, non declarat nobis diuinitatis essentiam, nisi mediatè, & per speciem immediatè repræsentatiuam creaturæ: vnde quantumcumque exponatur hoc nomen, nunquam ducet nos in cognitionem esse Dei, nisi per discursum, & media cognitione creaturarum, cùm Deum in se & per propriam speciem in via cognoscere non possimus.

10. Respondeo secundò cum Cajetano & Nazario controuersia secunda, supra prædictum articulum primum, quod hoc nomen Deus, non significat existentiam Dei in actu exercito, sed solùm in actu signato: & ratio est, quia nomen significat rem solùm in actu signato, & non in actu exercito, hoc enim solius verbi est proprium, exercitium rei significare, & sic expositio istius nominis Devs, non ducet nos in cognitionem Dei, vt existit in actu exercito, nec consequ. in cognitionem quidditatiuam Dei, & vt Deus est in se, cum existentia in actu exercito, sit de essentia Dei.

Sed instabis & dices, per hoc nomen, Devs, significatur id quo maius excogitari non potest: sed si existentia in actu exercito non significaretur per illud, non posset asseri quod significatum huius nominis esset id, quo maius excogitari non potest, quia res existens in actu exercito, longè perfectior est seipsa in actu signato solùm considerata, imò res in actu signato videtur esse in sola potentia obedientiali ad perfectionem, non autem perfectionem includere: ergo.

Respondeo, secundùm solutionem iam datam, quod hoc nomen Deus,

ex vi & proprietate significationis suæ, non significat nisi id quo maius excogitari non potest in actu signato propter rationem allatam; & quando infertur, quod non significaret absolute, id quo maius excogitari non potest, transeat: neque hoc mirum videri debet, quia contra rationem nominis est, & contra modum significationis eius, quod rem significet, cum tempore & in exercitio, in quo res perfectiori modo esse concipitur.

Responderi secundò potest cum D. Th. loco citato, 1. p. vbi ad 2. sic respondet. *Quod per istud nomen DEVS, non intelligitur forsan significari id quo, maius excogitari non potest, & propterea aliqui crediderunt Deum esse corpus, alij penitus non esse.*

Sed rursus obiicies impossibile esse, quod res concipiatur sub opposito eius, quod per se illi conuenit; ergo cum existere per se conueniat Deo, implicat quod concipiatur non existere.

Respondeo disting. anteced. si res cognoscatur prout est in se, concedo: si non cognoscatur, prout est in se, sicut accidit in nobis respectu Dei pro præsenti statu, nego

Respondeo secundò, licet non possit concipi Deus sub non existere per conceptum negantem existere de Deo, posse tamen concipi Deum sub non existere, per conceptum pure præcisiuum, non concipientem eius existere, non tamen illud negantem? & hoc erit concipere Deum non sub opposito ei, quod ipsi conuenit, sed inadæquate eum concipere.

Ad illas autem authoritates sacræ Scripturæ, & SS. PP. quæ possent afferri contra nos, & quæ videntur asserere cognitionem Dei insitam esse nobis à natura.

Respondetur, quod debent intelligi de cognitione non formali aut actuali, sed de aptitudinali, id est, de aptitudine, quam habet quilibet homo ad hoc, vt facillimo negotio per discursum in cognitionem Dei veniat.

QVÆSTIO II.

Vtrum possit DEVS ignorari inuincibiliter.

Quæstio resoluitur.

§. I.

11. SVppono primò D. Th. prima secundæ, quæst. 76. art. 2. quod ignorantia inuincibilis est illa, quæ studio superari non potest. Quæ quidem definitio vt magis intelligatur, nota idem esse ignorantiam inuincibilem & inuoluntariam, de qua D. Thomas prima secundæ, quæst. 6. art. 8. ex quo sequitur, quod si ignorantia rei alicuius sit aliquo modo volita, vel directè, vel indirectè, tunc illa ignorantia non erit inuincibilis, quia si sit eorum quæ scire tenemur, erit culpabilis & peccatum.

Tripliciter autem potest ignorantia esse inuincibilis, & inuoluntaria; primò, quando res, quæ ignoratur, ita ignoratur vt nequidē venerit in mentem, aut vlla eius suspicio; & tunc certum est quod illa ignorantia est inuoluntaria, & inuincibilis, nihil enim volitum, quin aliquando

cognitum, vel in confuso, vel distincte, vel in vniuersali, vel in particulari, vel sub dubio, vel sub certitudine: si ergo nulla ex istis modis rei ignoratæ cognitio præcessit, tunc est inuoluntaria omnino & inuincibilis eius ignorantia.

Secundo potest esse inuoluntaria, quando præcessit quidem cogitatio vel suspicio rei ignoratæ, sed non fuit locus ad inuestigandam veritatem; vel quia media, per quæ poterat inuestigari talis veritas, non erant in manu; vel quia si se obtulerunt aliquando, tunc iusta & legitima interuenit occupatio circa alia, quæ excusare legitime potuerunt ignorantem ab inquisitione veritatis illius pro eo tempore, propter quod in aliud tempus potuit legitime differri.

Tertio modo est inuoluntaria, si postquam est inuestigata veritas, non potuit tamen innotescere. vide Montesino prima secundæ quæst. 76. a. 2. disp. 8. q. 4. Ex quibus satis apparet euidenter, quantum errauerit Guilliehnus Parisiensis in suo tractatu de legibus cap. 21. qui secundum quod Montesino testatur, tenuit non posse dari ignorantiam inuincibilem; quis enim neget quod possit esse ignorantia iuris aut facti, cuius ne cogitatio quidem vel vlla etiam suspicio venerit vnquam in mentem? At certe in illo casu non potest negari, quin ignorantia esset omnino inuincibilis, studio enim & inquisitione superari non potest, quia (vt optime notat Plato) nihil quæritur aut quæri potest, quod omnino ignoratur. Deinde detur quod venisset in mentem cogitatio, aut suspicio illius iuris aut facti, potuerunt non occurrere media opportuna ad euincendã omnino ignorantiam; vel si ea se obtulerunt, potuerunt tamen aliquando esse talia, vt non euicerint aut superarint eam inculpabiliter omnino ex parte ignorantis. vt accidere posset in casu quo ignorans inquisisset veritatem rei ab aliquibus qui eum decipere possent: ergo cũ in illis casibus, constet omnino inuincibilem esse ignorantiam, non potest negari quin talis ignorantia sit possibilis.

12. Suppono secundo, non esse necesse, quod illa cognitio, per quam dicitur superari & vinci ignorantia inuincibilis Dei, sit demonstratiua existentiæ ipsius, aut quod sit vndequaque perfecta, sine vllius prorsus erroris admixtione, sed satis est, quod sit cognitio de Deo generalis, per quam cognoscatur esse principium omnium rerum, excedens omnia, à quo dependent & gubernãtur, omnia, siue illa cognitio habeatur per Dei reuelationem, siue per sapientum magisterium, siue per demonstrationem, siue per rationem duntaxat probabilem: quia cum nulla occurrat ratio contra Deum, quæ persuadere posset vel leuiter ipsius non existentiam, ideo sola ratio probabilis quod Deus sit, plusquam sufficiens est ad tollendam illam Dei ignorantiam inuincibilem. Vide de la Torre prima secundæ quęst. 94. articulo secundo disput. tertia. His positis.

Conclusio nostra est non posse dari inuincibilem ignorantiam Dei. Probatur ex Sacra Scriptura Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, &c. *Itaut sint inexcusabiles*. & Sap. 13. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona non po-*

fuerunt intelligere Deum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex. Et postea. *Iterum nec his debet ignosci, si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Et Iob. 36. *Omnes homines vident eum.* Et D. Gregorius in eum locum lib. 27. Moral. cap. 3. *Omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse.* Damascenus lib. 7. orthod. fidei cap. 1. *Notitia Dei est omnibus a natura insita.* Et cap. 1. & 3. *Neque id aliquis ratione vtens ignorare potest.* Augustinus tract. 106. in Ioan. & Chrysost. hom. 3. in cap. 1. ad Roman. *Quid enim dicent gentiles? te ignorauimus. Itane vero? non exaudistis cælum vocem ab aspectu emittens? non exaudistis compositam rerum harmoniam, tuba illustriore clamantem? omnia ordinem seruantia, eademque tum à magnitudine tum à pulchritudine ipsum veluti præconio opificem annuntiant.* Vide Valentiam in quæst. 2. 1 p. puncto 2. qui dicit in hac veritate omnes Orthodoxos debere conuenire & Gonzalem disput. 11. concl. 4. Granado in eandem q. 1. p 3. Montesino prima secundæ qu. 76. articulo 2. disp. 8. q. 5. & Aluarem ibid.

Solus Molina aduersatur hic art. 1. §. ex dictis colligitur: qui dicit contrariam sententiam posse probabiliter sustineri. Sed veritas eius.

Probatur ratione ex Sacræ Scripturæ authoritate petita. Si posset dari ignorantia Dei inuincibilis, non essent inexcusabiles omnes homines illi, qui ignorauerunt Deum, sicut dicitur Rom. 1. & Sapient. 13. & probatur, quia illa ignorantia, quæ nullo studio, nullaque industria aut diligentia superari potest, omnino excusabilis est, (vt pote prorsus inculpabilis:) quomodo enim posset esse culpa in eo, quod aliter fieri non potest, at inuincibilis ignorantia est talis, vt studio, diligentiaque superari non possit, vt ostensum est suppositione prima: ergo ignorantia inuincibilis est omnino excusabilis: ergo si talis ignorantia potuisset esse in hominibus, qui ignorauerunt aliquando Deum, illi homines non fuissent inexcusabiles, sicut dixit D. Paulus; sequitur ergo si quæ sit in hominibus ignorantia Dei, illam esse omnino vincibilem atque culpabilem, & ex negligentia pura, cordisque prauitate procedentem; nullus enim est ita agrestis & incultus, qui ex cognitione huius vniuersi, non statim assurgat in aliquem artificem & gubernatorem illius; sicut nullus est ita incultus, qui non discernat bonum honestum à malo, in instanti rationis vsus, & consequenter si qua detur ignorantia Dei, illa potius dicenda est plenæ electionis, quam inuincibilis, aut inculpabilis.

13. Probatur secundo, præcepta Decalogi ex omnibus Theologis non possunt ignorari inculpabiliter: ergo multo minus Deus, cuius cognitio magis necessaria est quam illorum præceptorum, cùm sit finis illorum. Vide Montesino loco superius citato.

Probatur tertio, omnis adultus in primo instanti vsus rationis ex D. Tho. prima secundæ q. 89. a. 6. ad 3. tenetur se in Deum conuertere: ergo cum Deus non deficiat in necessariis, & cognitio Dei sit necessaria ad amorem Dei, & conuersionem

voluntatis in ipsum, quia nihil volitum quin præcognitum, si Deus obligat ad amorem sui pro primo instanti vsus rationis, prouidebit quantum est in se de mediis necessariis ad hoc vt homo veniat in Dei cognitionem; ita vt si talis homini cognitio desit, desit ei ex mera culpa & negligentia ipsius. Antecedens autem probatur duobus modis, & primo quidem ex D. Tho. ibid. vbi illud sic ostendit; quod primo debet occurrere intentioni hominis est finis, in quem se, & operationes suas dirigere debet; ergo cum Deus sit vltimus finis hominis saltem sub ratione summi boni & vltimi finis, illud, in quod tenebitur primo se conuertere homo, erit Deus.

Secundo probatur idem antec. quia statim atque promulgatur alicui lex diuina, tenetur eam amplecti: ergo cum in primo instanti vsus rationis promulgetur lex naturalis homini, & non possit omnia præcepta promulgari simul, oportet quod in aliquo promulgentur in quo contineatur implicite, quod quidem præceptum est de Deo diligendo, & consequenter tenetur ferri statim in illud præceptum. Videantur Montesino & Medina locis citatis.

Confirmatur. impossibile est quod homo se legi subdat, nisi etiam legislatori, & legem danti se subiiciat sed homo in primo instanti vsus rationis tenetur se subdere legi rationis: ergo & legislatori, scilicet Deo, sed non potest se subdere illi nisi illum cognoscat: ergo &c.

14. Prob. 4. conclusio. Deus non deficit in necessariis, sed necessarium est, homini cognoscere Deum, vt possit recte actiones suas dirigere; & probatur, quia sicut se habent principia in speculatiuis, ita finis in practicis; ergo sicut ad speculatiuā cognitionē conclusionum, necessaria est prius cognitio principiorum, quę sunt regula conclusionum & cognitionis ipsarum; ita similiter & cognitio finis practica erit omnino necessaria in comparatione ad actiones bonas moraliter. ergo si illa desit, nulla erit directio in actionibus humanis; ergo cum Deus nunquam deficiat in rebus adeo necessariis, nunquam poterit deesse nobis illa cognitio, nisi ex defectu & culpa nostra.

Probatur 5. Innata est omnibus creaturis inclinatio quędam in suum principium & in suum finem, vnicuique conformiter ad naturam suam: ergo anima rationalis quæ habet esse suum à Deo tanquam à principio & fine suo, naturaliter inclinabitur conformiter ad naturam suam; id est per discursum & appetitum rationalem in ipsum Deum: ergo Deus ex parte sua prouidebit homini cognitionem sui ipsius. Antec. probatur, quia vnumquodque tendit naturaliter in id per quod perficitur: ergo cum res quęlibet totam suam perfectionem habeat à principio & fine suo; naturaliter tendet ad vnionem cum illis, vt influxui scilicet illarum causarum magis subiiciatur & beneficio earum suam acquirat perfectionem. Prima consequentia non indiget probatione. Secunda probatur, quia alioqui homo esset peioris conditionis, quam res insensatæ, quæ naturali pondere feruntur in suos fines, Deo supplente cognitionem finis, quam per se ipsas habere nequeunt. ergo cum homo feratur in

finem suum per cognitionem & amorem elicitum ipsius, Deus prouidebit homini omnia necessaria, ad hoc vt homo finis sui cognitionem habeat; itaut si illa desit, defectus eius non se teneat ex parte ipsius Dei, & prouidentiæ eius, sed solum ex parte hominis, cui cùm Deus prouiderit omnia necessaria ad finem suum cognoscendum, ipse tamen ex culpa sua, & ex prauitate cordis non vtitur mediis, quæ collata sunt ipsi à Deo ad finis sui cognitionem comparandam.

Confirmatur, quia mirum esset certe quod ipsæ bestiæ, ex instinctu naturæ, inter mille eiusdem similitudinis parentes suos naturaliter scirent dignoscere, & quod ipsa anima rationalis ad imaginem Dei efformata & effecta non posset quantum est ex se, & ex viribus naturæ suæ, ad conditoris sui cognitionem peruenire: ergo cum incredibile sit omnino, quod paterna Dei prouidentia denegarit perfectæ adeo creaturæ (sicut est anima rationalis) quod non denegauit infimæ & ignobilissimæ creaturæ, non poterit negari quin Deus tribuerit homini omnia quæ sunt necessaria ad cognoscendum creatorem suum, & si illum ignoret, non poterit vnquam hoc imputari, nisi culpæ hominis, qui dictamen rationis, & synderesis suæ suggerentis principium & conditorem à quo condita fuit ductum sequi contemnit.

Probatur vltimo, quia si posset dari in aliquo ignorantia inuincibilis, tũc posset is qui haberet talem ignorantiam esse sine culpa idololatra, & probatur, quia ideo idololatra peccat, quia facit iniuriam Deo, tribuẽs alteri honorem, soli Deo debitum: at ille idololatra non sciret se facere iniuriam Deo, & hoc inuincibiliter & inculpabiliter, quandoquidem inuincibiliter Deum ignoraret: ergo ille idololatra in cultu & honore quem præstaret idolo, esset sine peccato & sine culpa.

Respondetur obiectionibus.

§. II.

15. Obiicitur Hebræ. 11. accedentem ad Deum oportet credere quia est: ergo sicut quis potest inculpabiliter & inuincibiliter habere ignorantiam rerum fidei, ita & Dei.

Respondeo, quod D. Paulus loquitur de Deo, vt est author supernaturalis, & remunerator in tali ordine, non autem de Deo, vt Deus consideratur intra ordinem naturæ: ita D. Th. secunda secundæ, quæst. 1. art. 7.

Obiicitur, cognitio Dei non habetur nisi per discursum, at inculti & agrestes non possunt facere discursum: ergo &c.

Respondeo non requiri, quod cognitio Dei quæ est hominibus necessaria, sit demonstratiua, sed satis esse quod sit probabilis, vel etiam quod habeatur per magistri, vel parentum ministerium; quia cum illa solum cognitio Dei sit necessaria in hominibus quæ sufficit ad principium operationis (vt dictum est in 2. suppo. quęstionis) & imperfecta Dei cognitio possit esse principium operationis practicæ, vt ibid. dictum est, propterea non erit necessarium demonstratiue Deum cognoscere, sed sufficiet

cum

eum nosse aliquo ex prædictis modis: & consequenter nullus erit ita agrestis, ita incultus, qui non possit eo ipso quod rationalis est, attingere ex creaturis cognitionem Dei sufficientem ad tollendam inuincibilem eius ignorantiam.

Obiicitur ex Psalmo 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, & Exodi 5. dixit Pharao se nescire Deum.

Respondeo, quod omnis illa ignorantia fuit vincibilis & valde culpabilis; sicut enim ignorantia quam multi ex Iudæis habuerunt de Christi diuinitate fuit valde culpabilis, quia non defuere eis media quæ ipsis Christum Deum esse manifestarent, sed malitia sua, & vanitate cordis, seipsos obcæcauerunt & motiuis illis omnibus quæ potentissime corda illorum sollicitabant, consentire noluerunt, vt optime dicit D. Tho. 3. p. quæstio. 47. articulo quinto: ita similiter Pharaoni, & insipienti cuicumque non defuere media & motiua, quibus efficacissime inducerentur in Dei cognitionem, sed duritia cordis vt sæpius etiam de Pharaone Deus conqueritur, illis mediis vti noluerunt; & sic eorum ignorantia fuit prorsus ignorantia prauæ electionis.

Ad illud autem quod dicit Molina, quod ex multorum relatione audiuit Brasiliæ incolas nullum coluisse Deum antequam à lusitanis edocerentur.

Respondeo, ex hoc non probari quod illa ignorantia non fuerit culpabilis & vincibilis, quia non illis defuere media ad illam vincendam, cum solo intellectus & rationis lumine potuerint Deum cognoscere ex creaturis.

Obiicitur, si non esset ignorantia inuincibilis Dei, non esset credibile quod tot homines falsos Deos coluissent, sicut fecere antiquitus.

Respondeo, quod excæcati malitia & prauitate cordis sui id præstiterunt: & ad hoc inducti aliorum exemplo, quorum ductum potius quam rationis, sequi maluerunt.

QVÆSTIO III.

Vtrum demonstretur quod Deus sit, & quibus demonstrationibus.

16. PAulo diligentius nobis erit hæc quæstio propter ingentem eius vtilitatem discutienda; fundamentum enim est totius religionis cognitio Dei, qua sublata, omnis virtus de medio tollitur, timor omnis è cordibus hominum eradicatur, & tandem vitiis omnibus, criminibusque fræna liberius laxantur. Quid enim coerceret appetitum passionibus efferum, si nullus agnoscitur Deus, qui se vindicem criminum exhibeat; sed data certa & euidenti cognitione ipsius, non solum crimina & peccata cohibentur, sed insuper per eam paratur omnino via ad virtutem omnẽ & maxime ad fidem, ad quam vel inuitus etiam trahi potest intellectus amplectendam, cognoscendo enim euidenter, quod Deus sit, potest intellectus his argumentis conuinci, ad submittendum se fidei. submittendum est suum iudicium omnibus à Deo reuelatis (cum enim ille sit prima veritas, debet consequenter quilibet intellectus esse omnino & in omnibus ei subiectus: at ea omnia quę proponit Ecclesia credenda, non possunt non esse ab eo reuelata,

quia reuelationem eorum testatus est Deus tot miraculis &, portentis, aliisque motiuis efficacissimis, quæ ab ipso solo præstari potuerunt, vt si quis foret error in eis, non immerito possemus cum Augustino conqueri de Deo, ipsum decepisse nos, & suis prodigiis atque portentis, homines in errorem induxisse: ergo omnia quæ proponit Ecclesia credenda sunt reuelata à Deo: ergo rebus fidei, nobis ab Ecclesia propositis. omnino subiiciendus est intellectus.

Secundo potest quilibet posita eadem euidentia Dei, ad amplectendam Catholicam Religionem sic induci. Certum est quod datur aliqua vera religio, per quam Deus homines ad sui cultum inducit & mouet (mouere enim ad vltimum finem supremi & primi principij est, cum qualis est ordo finium, talis sit & agentium) at illa religio non potest esse alia quam ea quæ cultui ipsius magis addicta est, quæ maiores illi honores reddit, quæ denique vitam moresque hominum perfectiori modo obsequio eius subiicit: ergo cùm hæc omnia religioni Catholicæ perfectissime conueniant, & nulla alia sit quæ in hoc valeat ipsi comparari, religio catholica erit vera religio à Deo gubernata atque directa in cultum ipsius, & consequenter cum quilibet teneatur amplecti verã religionem, quilibet tenebitur religionem catholicam sequi. Ex quo apparet quam sapienter dixerit S. Paulus Hebræorum 11. Accedentem ad Deum oportere credere quod Deus sit, quandoquidem cognitio Dei firmamentum est & fundamentum totius veritatis, & cuiuscumque accessus & conuersionis ad Deũ. Implorato; ergo prius supremæ & diuinæ maiestatis auxilio, cognitioni eius adeo necessariæ & perutili inuestigandæ nos accingamus.

Aliqua supponuntur.

§. I.

17. Svppono primo ita certum esse & indubitatum apud omnes Theologos posse demonstrari Deum esse, & sicut videre est apud eos 1. p. quæstio. 2. articulo 2. contrariam sentẽtiam, quæ tribuitur Rabi Moysi & Petro de Alliaco in 1. d. 3. quæst. 3. alij temerariam, alij erroneam censent, Valẽtia enim, Granado, D. Th. sequentes in 1. contra Gentes c. 12. erroneam appellant: imo Valentia addit esse fere hæresim apertam. Bannez vero, Arubal Vasq. Zumel, & cæteri communiter temeritatis eam damnant.

Suppono secundo, quod triplici via possumus per creaturas ad Dei cognitionem ascendere, via scilicet causalitatis, via perfectionis seu excellentiæ, & via negationis. Creatura enim est ens, ens autem dicit perfectionem, & sic, quantum ad hoc per creaturam ascendimus ad Deum via excellentiæ, tribuendo ei omnem excellentiam & perfectionem quæ reperitur in creaturis. Deinde creatura est ab alio, & sic per creaturam hoc modo consideratam via causalitatis ad Deũ ascendimus. Tertio tandẽ creatura est ex nihilo, & ex nihilo nihil fit, & sic imperfectionem includit, quia per hoc denotatur, quod aliquando non fuerit, sicut per fidem cognoscimus, vel certe quod potuerit nihil esse sicut ratio naturalis de-

monstrat,& hoc summā imperfectionem denotat in creatura, quæ certe aliarum omnium quæ in ea sunt seminarium est, & per creaturā hoc modo consideratam via negaionis ascendimus ad Deum, excludendo à Deo omnes limitationes & imperfectiones,quę in creatura reperiūtur.

Suppono tertio,quod subordinatio quæ est in causis in ordine ad productionem alicuius effectus, alia est accidentalis,alia est essentialis & per se. Accidentalem vocamus eam quæ est inter causas particulares, quarum vna supponit aliam, à qua fuit producta in esse, & ista alteram per quā similiter fuit producta, & sic de cæteris. exemplum rem declarabit,verbi gratia, vt pater generet filium, supponit prius illum, à quo productus fuit, & iste alium adhuc priorem, & sic de reliquis: illa autem subordinatio,quam pater dicitur habere ad omnes antecessores suos in ordine ad productionem filij dicitur accidentalis; primo quia, quod vna causa particularis producat talem effectū, est omnino præter intentionem illius actionis per quam fuit in esse producta ab alio agente, vt optime dicit D.Th. cōmentario in librum de caustis lect. 1. sub finē & propterea pater producens filiū dicitur ei à quo productus fuit solum subordinari in tali productione accidentaliter.

Secundo quia pater producens filium non subordinatur suis antecessoribus in tali productione,tanquam causis actu secum influentibus in effectum, aut tanquam applicantibus virtutem suam ad agēdum, quo modo causa particularis vniuersali subordinatur, sed dicitur solum eis subordinari, in quantum recepit ab eis esse,quod necessario prius habere debuit,quam posset operari; & sic non in ordine causandi, sed potius in ordine essendi dicitur eis subordinari; & propterea non mirum quod dicatur talis subordinatio accidentalis in ordine ad agendum, quandoquidem illa non est in eodem ordine.

Vocamus autem causas essentialiter & per se subordinatas eas; à quibus actu influentibus effectus essentialiter dependet, quod autem effectus à pluribus causis per se,& essentialiter dependeat prob. primo, quia quilibet effectus particularis est pars vniuersi: ergo debet per se subiici & subordinari causæ totum, hoc vniuersum respicienti; quia cum pars debeat fortiter inclinari in conseruationē & bonum totius,debet hanc inclinationē & impressionē necessario recipere à causa per se respiciente,& conseruante bonū vniuersi, vt sic inclinatio in bonū vniuersale agēti vniuersali respondeat, & verificetur axioma communiter receptum quod qualis est ordo finium,talis sit & agētium, & ex hac subordinatione ad agens vniuersale, quoslibet effectus particulares in bonum vniuersi efficacissime inclinari oculis ipsis cernimus, & aliquando fortius quam in bonum proprium; imo etiam cum detrimento proprij & particularis boni, quod certe aliunde prouenire non potest, quam ex impressione, quam recipiunt ab agente vniuersali, cui per se subiiciuntur & subordinantur, tanquam partes vniuersi: nam si qualibet res consideretur, vt subiicitur & subordinatur causæ propriæ, præscindendo ab influxu causæ vniuersalis, inclinatur solum in bonum proprium

& particulare; vnde ſi ad aliud vniuerſalius bonum dirigatur; hoc debet neceſſario refundi in cauſam magis vniuerſalem quæ tale bonum vniuerſale per ſe reſpiciat. Secundo poteſt eadem ſubordinatio probari, ex eo quod effectus dependeat ſecundum gradus vniuerſales à cauſis vniuerſalibus, & conſequenter ſecundum illos gradus debet neceſſario ſubordinari.

18. Suppono quarto, licet admitteretur poſſe dari proceſſum in infinitum in cauſis per accidens ſubordinatis, nunquam tamen hoc eſſe admittendum in cauſis per ſe ſubordinatis, & probatur primo ex Ariſtotele 8. Phyſ. textu 34. & D.Th.1.p.q.2.art.2.

Probatur deinde ratione, ad determinatum & limitatum effectum, non ſunt infinitæ cauſæ neceſſariæ: ergo cum natura nihil faciat fruſtra, & quilibet effectus ſit finitus & limitatus infinitæ cauſæ non influent in effectú. Secúdo poſſet idem probari ex impoſſibilitate & implicantia infiniti in actu. de qua vide N. Complut. in Phyſica diſputatio. 18. qu.5.

Probatur tertio, quia effectus non dicitur eſſentialiter ſubordinari pluribus cauſis, niſi quia ab iis dependet quoad receptionem aliquorum graduum ſeu rationum ſibi eſſentialium: ergo ſi ab infinitis cauſis dependet, debebit rationes infinitas, ſibi eſſentiales, ab illis recipere; & ſic effectus ille eſſentialiter eſſet infinitus.

Probatur quarto, quia vnumquodque agit & producit effectum propter finem : ergo ſi ſint infinita agentia, erunt infiniti fines, ad quos ordinabitur effectus, quo nihil abſurdius inueniri poteſt: quia impoſſibile eſſet effectui omnes illos fines conſequi; quia cum in infinito non detur quid vltimum, conſequenter ad finem vltimum nunquam peruenire poſſet, & ſic effectus erit fruſtra factus propter talem finem.

Confirmatur, quia nullus effectus in fine ſuo particulari quieſcit, niſi quatenus ſubiicitur fini ſuperiori, cui ſubordinatur; videmus enim aquam non quieſcere, niſi quatenus ſubiicitur ſuperiori fini totius vniuerſi, & propterea vt illum finem conſeruet, proprium & particularem relinquit: ergo neceſſario debet aſſignari cuilibet effectui aliquis finis determinatus & vltimus in quem vltimo tendat, & in quo tandem quieſcat; alioquin nulla res vnquam eſſet in ſtatu quieto, ſed perpetuo agitaretur & volueretur.

19. Probatur quinto, vltimum agens non agit niſi inquantum determinatur per ſuperiora agentia, quæ prius ſaltem agant prioritate naturæ quam vltimum : ergo vltimum nunquam determinabitur ad agendum; quia cum vltimum non agat, nec ad agendum determinetur, niſi agens quod eſt ſuperius ipſo, prius prioritate naturæ agat; & illud ſuperius ſimiliter non agat, niſi agat prius prioritate naturæ, quod eſt illo ſuperius; & ſic vſque in infinitum nunquam deuenietur ad illud agẽs quod prius natura abſolute debet agere, & ſic nullus vnquam effectus fiet (quod eſt contra experientiá) ergo tandem deueniẽdum eſt ad aliquod primum, quod primo agat & determinet intermedia ad agendum vt media poſtea

vltima determinent ad actionem,& sic possit aliquis effectus produci.

Confirmatur vltimo, quia vel illa omnia agentia simul sumpta, quæ actu in effectum influunt, sunt essentialiter subordinata alteri, vel non: primum dici non potest, quia si omnia essentialiter subordinarentur alteri in agendo, deberet illud etiam esse vnum ex agentibus actu influentibus in effectum, quia causa dicitur essentialiter esse subordinata alteri, quando taliter dependet ab aliquo, vt non possit attingere effectum, nisi secum simul influat illud, cui in esse causæ & in esse agentis essentialiter subordinatur: si autem secundum admittatur, quod scilicet omnia non sint essentialiter alteri subordinata, ergo dabitur aliquod agens intra illam seriem agentium & influentium in effectum, quod non erit essentialiter subordinatum, & cùm illud agat, erit agens supremum & primum, subordinans sibi alia agentia omnia, quæ in suis influxibus ab ipso pendebunt: & sic sistet in eo subordinatio essentialis, terminusque ipsius; & consequenter subordinatio illa non progredietur vsque in infinitum.

Examinatur prima ratio petita ex necessitate entis vnius necessarij, & ad essendum determinati.

§. II.

29. Datur à parte rei aliquod ens, de cuius ratione & essentia est, quod sit, & existat necessario; sed tale ens, est Deus opt. Max. ergo datur DEVS. Minor est certa, quia per Deum nihil aliud intelligimus, nisi ens, quod ita existat, vt per se & necessario existat, existere enim hoc modo nulli creaturæ conuenire potest, vt ostendetur infra disput. 17. num. 4. 5. 6. & 9. maior in qua est difficultas, probatur. Si non datur aliquod ens de cuius essentia est, quod necessario sit & existat, sequetur quod omnia entia sint contingentia; atqui implicat quod omnis entia sint contingentia: ergo implicat quod non detur aliquod ens necessarium, de cuius essentia sit quod existat actu & necessario. Sequela maioris probatur, si non datur aliquod ens quod sit necessario determinatum ad existendum in actu exercito: ergo omnia entia poterunt esse & non esse, id est erunt indifferentia ad existendum, vel non existendum; at illa entia, quæ possunt esse & non esse, sunt contingentia: ergo si non datur tale ens necessitatum ad existentiam, omnia prorsus erunt contingentia. Quod autem hoc implicet probatur, quia de essentia & definitione contingentium est, quod possint existere, quando non sunt, & præsertim quando non fuerunt nec extiterunt adhuc: ergo si nulla iam contingentia de facto existerent, possent de potentia in actū existendi reduci; atqui contingentia ista non possent de potentia reduci in actum per seipsa, quia ex suppositione non essent, & consequenter in seipsis nihil essent; ergo potentia quam habent ad existendum connotabit aliquod aliud agens quod non sit contingens, & cui per se, & necessario existere conueniat, per quod de potentia in actum existendi possint reduci.

21. Confirmatur primò, illa quæ

ex ratione sua specifica & essentiali possibilitatem solum habent ad existendum, petunt per se, & ab intrinseco reduci de potentia in actum existendi per aliquod ens, cui necessario per se existere in actu exercito conueniat: sed contingentia ex sua ratione specifica & essentiali habent solùm possibilitatem ad existendum, (definitur enim contingens, quod habet potentiam ad essendum vel non essendum:) ergo. Maior probatur, quia illa quæ ex se, & ex ratione specifica dicunt solum possibilitatem ad aliquem actum, petunt per se ad illum actum reduci per aliquam potentiam actiuam, quæ vel formaliter, vel eminenter, vel formaliter eminenter talem actum contineat quia nemo dat (quod non habet, in ordine causæ efficientis principalis; in quo ordine debet esse potẽtia illa actiua, de qua loquimur, & cui per se subordinatur potentia passiua, quo ad receptionem actus, ad quem est in potentia:) ergo illa quæ habent solùm ex ratione sua specifica possibilitatem ad essendum, debent necessario reduci ad actum existendi per aliquam potentiam actiuam, quæ in ratione sua essentiali & specifica, vel formaliter, vel eminenter, vel formaliter eminenter existentiam contineat: talis autem potentia debet esse necessario ens existens: ergo debet dari tale ens. Ergo DEVS.

Confirmatur secundò, & simul probatur eadem maior præcedentis confirmationis: quia illa quæ ex sua ratione essentiali dicunt solum possibilitatem ad existendum in actu exercito, (sicut sunt contingentia) debent necessario & per se reduci de potentia ad actum per potentiam aliquam actiuam, quæ specificè & essentialiter distinguatur à potentia passiua, quam reducit in actum existendi: ergo cum contingentia vt sic, id est quatenus formaliter contingentia sunt, ex ratione sua habeant possibilitatem ad essendum, potentia actiua, per quam per se petunt reduci de tali potentia in actum existendi, debet esse specificè & essentialiter distincta ab illis, quatenus formaliter & reduplicatiue contingentia sunt: ergo non debet talis potentia esse contingens, sed formaliter determinata & necessitata ad essendum, & consequenter esse ens necessario, & per se existens.

Deinde probatur vlterius, quia potentia actiua debet actu in sua essentia continere actum, quem potentiæ passiuæ communicat, vbi potentia passiua talem actum potentialiter solum continet: ergo potentia actiua continet actu in sua essentia rationem aliquam, quam potentia passiua actu non continet in sua: ergo potentia actiua secundum aliquid sibi essentiale, & consequenter essentialiter, à potentia passiua distinguitur, & sic potentia illa actiua, per quam contingens reducetur de potentia suæ contingentiæ ad actum existendi, debebit specificè distingui, à potentia quam dicit contingens vt sic, & consequenter talis potentia non erit contingens aut indifferens, sed omnino necessitata ad essendum.

Probatur tertiò idem antecedens, quia potentia actiua habet essentialem & determinatam oppositionem, cum potentia passiua sibi essentialiter subordinata in actu, quem illi communicat: ergo debet essentialiter distingui ab ea, quate-

nus est talis formaliter, & per suam differentiam essentialem negare & excludere eam quæ cõuenit potẽtiæ sibi oppositæ: ergo cùm cõtingens vt sic, dicat ex differentia propria potentiam & indifferentiam ad essendum, debet potentia actiua, per quam contingens reducitur de tali potentia in actum existendi, negare & excludere à se talem potentiam, & indifferentiam ad existendum: ergo cum indifferentia & potentia ad existendum excludatur per determinationem & necessitatem ad actu existendum, debet necessario talis necessitas, & determinatio conuenire potentiæ illi actiuæ, per quam potentia passiua contingens de potentia in actum existendi reducitur. Omnes istæ consequentiæ sunt euideutes, vt per se constat; prob. antecedens agens & patiens, vt sic determinate opponuntur, cum agens in actu, patiens autem in potentia fundetur; ergo potentia actiua & passiua, vt sic determinatam habent oppositionem ad inuicem.

22. Respondebunt forsan Athæi; Quod quodlibet contingens in particulari, de possibilitate ad actum reductum est per aliud indiuiduum, quod erat existens, & istud per aliud quod erat similiter existens, & istud adhuc per alterum, & sic in infinitum; & consequenter non esse necessarium recurrere ad aliquod ens, cui necessario & per se existere conueniat ad hoc, vt contingentia reducantur de potentia in actum existendi.

Sed contra, quia licet admittatur possibilis talis processus in infinitum in causis per accidens subordinatis (quod tamen negant non pauci, inter quos est Valentia, 1. p. q. 2. a. 2.) tamen illo admisso, non eneruatur, nec debilitatur vllo modo vis nostræ demonstrationis, quia semper deberet illa series infinita indiuiduorum se inuicem successiue in esse producentium, refundi in aliquod ens, cui per se & necessario existere conueniat: & probatur; Quia illud quod essentialiter & per se conuenit contingenti vt sic, debet omnibus contingentibus, tam collectiue, quam distributiue sumptis conuenire, quia essentialia à rebus non separãtur; sed debent semper & vbique in quacũq; consideratione illis conuenire: vnde sicut infiniti illi homines, quorum vnus ab altero successiue, vsq; in infinitum produceretur, verè essent rationales & risibiles, siue quilibet in particulari & distributiue, siue omnes collectiue sumantur: ita similiter quod illis conuenit essentialiter, quatenus sunt entia contingentia, debet illis omnibus siue collectiue, siue distributiue sumantur, conuenire; sed certum est contingentia vt sic recipere esse seù existere per aliud: ergo debet & hoc illis omnibus siue collectiue, siue distributiue sumptis conuenire. Maior est satis probata. Minor probatur. Illud quod ex sua ratione essentiali, & specifica habet solum potentiam ad essendum, illud essentialiter exigit recipere esse seu existere per aliud: at contingens est tale vt sæpius dictum est. Ergo

Maior probatur, quia illud quod ex sua ratione essentiali & specifica est in potentia solùm ad actum aliquem, illud per se & essentialiter exigit reduci de potentia in actum per aliquam potentiam actiuam, quæ intrinsece & essentialiter,

in sua essentia talem actum contineat (vt dictum est in confirmatione prima) & consequenter talis potentia debet distingui specifice à potentia passiua sibi essentialiter subordinata in receptione (vt dictum est in secunda: ergo illa quæ ex sua ratione essenciali habebunt solùm potentiam ad essendum, sicut sunt contingentia,) illa per se & essentialiter exigent, siue collectiue, siue distributiue sumantur, reduci de potentia in actum existendi per aliquam potentiam actiuam, cui ab intrinseco, essentialiter, & necessaaio existere conueniat: sicut enim si darentur aeres infiniti quorũ vnus alterum illuminaret vsque in infinitum, omnes illi aeres lucem, & illuminationem suam refunderent in solem, vel in aliquod aliud luminare, cui per se lux conueniret, à quo lucem & illuminationem per se reciperent, quia scilicet aeri solum conuenit per se, & ex essentia sua habere potentiam ad lucem & ad illuminationem; ita similiter, quia enti contingenti vt sic (qualis est creatura omnis respectu esse seu existere in actu exercito) conuenit solum ex ratione sua specifica habere potentiam ad essendum, ideo quantumcumque concederemus dari processum in infinitum, in indiuiduis sibi inuicem succedentibus, & se inuicem successiue producentibus, nihilominus tamen deberent omnia illa (siue collectiue, siue distributiue sumantur) reduci de potentia in actum existendi per aliquam potentiam actiuam, cui per se & necessario, & non contingenter solum existere conueniat, & hoc maxime, quia vt ostensum est suprà, disput. 7. q. 2. in probabiliori D. Th. sent. creatura concurrit solum instrumentaliter & non principaliter ad esse: ergo cùm cuilibet effectui debeat assignari aliqua causa principalis, si nulla creatura possit esse causa principalis essendi, necessario recurrendum erit ad aliud ens, quod non sit creatum, & cui existere accidentaliter non conueniat.

33. Confirmatur tertiò principalis ratio, si non datur aliquod ens necessario existens, sed omnia sint contingentia, sequitur quod iam nihil sit, nullumque detur ens à parte rei (quod tamen est contra sensum & contra experientiam manifestam.) Probatur sequela, quia illa quæ ex se, & ex propriis principiis sunt in potentia ad aliquem actum, illa non habent per se & ex propriis principiis talem actũ; ergo contingentia (manendo solum intra propria principia contingentium vt sic) non habent actu esse & existentiam; quia talis actus per se illis non conuenit, sed indifferentia solum & potentia ad talem actum: ergo nisi detur recursus ad aliquod aliud, quod sit extra lineam rei contingentis & naturam eius; contingentia semper manebunt in potentia ad existendum, nec vnquam actu existent: sicut enim aer manendo intra propria principia aeris, non potest actu esse lucidus, quia scilicet ex natura sua & ex propriis principiis est solum in potentia ad lucem; & sic si mediate vel immediate non illuminaretur à sole, aut aliquo alio corpore, cui non solum potentialiter, sed ex propriis principiis, & per se, lux in actu conuenit, semper remaneret in priuatione lucis; ita si contingentia non recipiant esse ab aliquo alio, cui ex propriis principiis, & per se existere in

ſtere in actu exercito conueniant, ſemper actu manebunt in priuatione eſſendi, & nunquam de facto exiſtent.

Et ſi dicas non eſſe neceſſe recurrere ad aliquod ens, cui neceſſario exiſtere conueniat ad hoc vt contingentia exiſtant, quia licet exiſtere ſolum contingenter & accidentaliter conueniat contingenti, tamen poſito quod exiſtat, poterit communicare exiſtere & eſſe, alteri contingenti, ſicut licet calor accidentaliter ſolum aquæ conueniat, tamen eo ipſo quod ſit calida, poteſt & aliud corpus calefacere.

24. Reſpondeo, quod ſicut aqua non poſſet actu eſſe calida, aut calefacere niſi daretur aliquod ens, cui per ſe & neceſſario calor conueniret, à quo primò talis qualitas oriretur, & ab eo vel mediate vel immediate in aquam diffunderetur; ita non poſſet etiam contingens eſſe actu exiſtens, nec facere, quod aliquid actu exiſteret, niſi tandem eſſe quod participat, refunderetur in aliquod principium, cui per ſe neceſſario, & ex propriis principiis exiſtere conueniat.

Deinde ſicut aqua calida alium calorem producens, dicitur ſolum cauſa inſtrumentalis, & non principalis, vt in ſimili dicit D. Th. 1. p. q. 45. a. 5. & ratio eſt, quia aqua non calefacit ex propriis, nec per aliquam formam ſibi ex propriis principiis conuenientem, ſed per aliquam formam mere ſibi accidentalem, & propterea debet neceſſario calor productus refundi in aliud principium radicale quã in aquam, quia in aquæ ſubſtantia nullum eſt principium radicale talis caloris; ita ſimiliter eſſe productum ab aliquo contingenti, debet neceſſario refundi in aliud principium radicale ac principale quam ſit contingens, quia eſſe ſeu exiſtere non eſt in eo tamquam in principio actiuo radicali, ſed eſt illi mere accidentale, & prorſus ab extrinſeco illi conueniens.

Confirmatur vltimo ratio principalis, quia quotieſcumque aliquid per participationem & per accidens alicui conuenit, debet hoc illi conuenire per illud, cui per ſe & per eſſentiam talis ratio conuenit, quia ſecundum commune axioma (quod eſt tale per participationem debet eſſe tale per id, quod eſt tale per eſſentiam) ſed eſſe conuenit ſolum per accidens, & per participationem contingenti; ergo debet hoc illi conuenire per aliquod aliud, cui per ſe & per eſſentiam exiſtere conueniat.

Examinatur ſecunda ratio petita, ex neceſſitate vnius prima cauſa.

§. III.

25. PRima cauſa eſt Deus: datur prima cauſa: ergo datur DEVS. Maior probatur cauſa quæ eſt independens in cauſando; eſt DEVS: cauſa prima eſt independens in causãdo: ergo pro. min. Quia ſi ab alia cauſa penderet in cauſando, non eſſet prima, ſed ea potius à qua diceretur pendere, & cuius influxum diceretur recipere: ergo vt cauſa dicatur prima, debet neceſſario eſſe independens in cauſando. Maior probatur: quod ſcilicet cauſa independens in cauſando ſit DEVS: quia illud quod eſt independens in eſſendo eſt DEVS, (vt enim aliquid ſit indepen-

dens in essendo, debet esse à se & non ab alio, & sic debet necessario & per se, existere ei conuenire, & consequenter esse DEVS;) sed id quod est independens in causando, est etiam independens in essendo, (quia operatio sequitur esse, & eodem modo quo aliquid se habet ad esse, eodem modo se habet, & ad operari:) ergo illud quod est independens in causando est DEVS.

Minor autem principalis argumenti probatur: quod scilicet detur causa prima: quia datur à parte rei aliquis effectus productus: ergo datur causa prima, antecedens sensu patet. Probatur consequentia, quia implicat, quod ponatur à parte rei aliquis effectus, nisi influant in esse omnes causæ quibus essentialiter & actu subordinatur, sed inter causas essentialiter subordinatas, & quarum influxus actualis desideratur ad productionem effectus, non potest dari processus in infinitum, sed tandem ad aliquam primam deueniendum est, in qua sistat, & terminetur subordinatio, vt ostensum est, paragr. 1. num. 18. & 19. ergo debet necessario admitti aliqua causa prima; illa autem est DEVS vt (probatum est:) ergo datur DEVS.

Posset forsan quis dicere admisso dari causam primam in productione cuiuslibet effectus, non tamen necessarium esse admittere illam, Deum esse, quia posset dici primam illam causam, non esse primam respectu omnium omnino effectuum absolute; sed solum respectu huius, vel certe respectu omnium eiusdem speciei; at respectu aliorũ effectuum alterius speciei. dari alteram: immò ad multiplicationem specierum dari plures primas causas; ita vt tot sint causæ primæ, quot species: ergo cum ex hoc, quod vna causa sit prima respectu aliquorum effectuum, non sequetur quod sit ens independens, & à se; admissa prima causa, non sequetur dari Deum.

26. Sed contra, quia pluribus illis causis primis, quæro, an illæ sint entia à se, quibus necessario existere conueniat, vel non; si sint entia à se: ergo sunt plures Dij, & sic semper admittitur quod sit DEVS, & solum relinquitur probandum quod non sit pluralitas Deorum: si autem secundũ admittatur, ergo omnes illæ reducentur ad ens aliquod, cui necessario existere conueniat, (vt ostensum est toto paragr. præcedenti: ergo cum tale ens, sit Deus, dabitur semper Deus. Deinde cum omnes illæ causæ non habeant existere, nisi per accidens, & contingenter, non poterunt conseq. illud producere in effectu per se, sed in virtute solum alicuius entis, cui existere per se conueniat, & consequenter ab illo omnes illæ causæ ad productionem talis esse in effectu mouebuntur, & sic causæ illæ non sunt amplius primæ, sed hæc sola à qua dependebunt.

Respondetur secundò non posse fieri, quod plures effectus diuersæ speciei diuersas causas primas habeant, sicut fingitur in instantia. Et ratio est, quia ideo effectus dicitur à pluribus causis essentialiter subordinatis dependere, quia ab eis aliquos gradus vniuersales recipit, qui per se ab huiusmodi causis vniuersalibus communicantur, in quibuscumque reperiantur; cum ergo effectus, qui sunt diuersæ speciei, in gradibus vniuersalioribus, & omnes omnino creaturæ in vniuersalissimo & primo gradu entis, sicut & in actu existendi

conueniant, debent consequenter omnes, quotquot sunt in aliqua prima causa conuenire, quæ primum gradum entis secundum se & absolute consideratum attingat in omnibus creaturis, sicut & existentiam earum.

Sed dices, si DEVS attingit primum gradum entis, & ipsam existentiam secundum se: ergo vbicumque erit existere & gradus entis, ibi debebit DEVS ea attingere; ergo cum in Deo ipso sint istæ rationes, debebit illas producere in seipso.

27. Respondeo primò posse concedi, quod Deus istas rationes attingit etiam in seipso, non quidem illas producendo, sed communicando, nam secundum fidem Pater Filium producit, & Pater & Filius Spiritum sanctum, & consequenter Filio & Spiritui sancto ens diuinum & existere diuinum communicantur, imo secundum alios qui multiplicant existentias relatiuas in Deo, potest, & debet concedi, quod etiam existentiæ relatiuæ Filij & Spiritus sancti producantur; sed quamuis in sententia eorum qui multiplicant existentias relatiuas in Deo, existentiæ relatiuæ Filij, & Spiritus sancti producantur & in omnium sententia ens diuinum eis communicetur, tamen necessario admittendum est, quod ens & existere non semper cõmunicãtur vbicũq; sunt, quia Pater æternus non habet esse ens, nec existere ab alio, sed à se; vnde ad id quod obiicitur quod si Deus illas rationes attingeret secũdum se, deberet quoque eas in seipso attingere: respondetur sufficere quod illæ rationes attingantur à Deo vbicumque attingibiles erunt, & consequenter cum, in Patre non sint per aliquod principium actiuum attingibiles, non attingentur prout sunt in eo.

Respondeo secundò quando dicitur, quod DEVS attingit gradum entis & existere secundum se, hoc intelligi debere de gradu entis & de existere participatis & receptis, quod autem DEVS possit istas rationes sic consideratas secundum se attingere, hoc euidens est, quia vt causa aliqua possit formam aliquam secundum se attingere, sufficit ex D. Th. prima parte quæst. 104. art. 1. quod istam formam contineat sub eminentiori aliqua ratione, vnde cum DEVS & gradum entis, & existere sub eminentiori aliqua ratione contineat, quam sint in creatis, non mirum, quod possit istas rationes, vt sunt in creatis secundum se attingere. Et per eamdem rationem ostenditur, eas non posse secundum se attingi ab vlla creatura, quia secundum eamdem limitationem reperiuntur in omnibus creatis, cum in qualibet creatura esse sit receptum & ens, sit potentia realis ad essendum.

28. Confirmatur ratio principalis, supponendo prius nihil posse seipsum producere, quæ quidem suppositio prob. primo, quia alioquin idem esset prius & posterius, cum effectus sit posterior causa, & causa prior effectu. Secundò aliquid esset idem & non idem; idem ex suppositione, non idem ex eo quod effectus realiter pendet à sua causa, & ad eam realem dicit ordinem qui non potest, nisi inter realiter distincta reperiri. Tandem quia sequeretur, quod idem esset, & non esset; esset quidem, quia vnumquodque

agit, inquantum existit; nõ esset autem, quia vt aliquid fiat, debet prius non esse. His positis sic fit argumentum, vel omnia quæ iam sunt, sunt facta, vel non; si omnia non sunt facta: ergo inter ea, quæ iam existunt, datur aliquod ens non factum: ergo DEVS, quia per Deum, nihil aliud intelligimus quam ens non factum; si autem sunt omnia facta, vel quodlibet est factum ab alio taliter, quod non procedatur vsque in infinitum in entibus factis, sed deueniatur tandem ad aliquod ens quod primò factum est, vel itaut procedatur vsque in infinitum in entibus factis, nec ad primum vnquam inueniatur. Si primum dicatur, quod scilicet deueniatur ad aliquod ens primò factum: ergo tale ens ab aliquo non facto factum est, (à seipso enim fieri non potuit, quia idem seipsum facere non potest) vt ostensum est in supposit: ergo debuit tale ens, quod primò factum est, ab aliquo fieri necessario, quod non est factum (alioqui quod dicitur esse primò factum non esset primò factum, quia illud à quo fieret esset adhuc & prius factum. Si autem secundum asseratur, quod scilicet in entibus factis detur progressus in infinitum, quæritur de tota illa collectione indiuiduorum & entium, quæ faciunt illud infinitum, vtrum sit facta, vel non: si primum, ergo tota illa collectio entium factorum extra totam suam seriem supponit aliquod ens non factum, à quo fuerit facta, & sic dabitur DEVS: si autem secundum admittatur: ergo intra totam illam infinitam seriem entium datur aliquod ens non factum, à quo cetera facta sunt, & sic semper debetur DEVS, quia illud ens non factum, non poterit non esse ens cui necessario. & per essentiam suam, & non ab alio existere conueniet.

Sed dices, quod istud argumentum arguit à distributiuo ad collectiuum, qui modus argumentandi est omnino inefficax, & nullus in infinito, quia aliquid collectiuo conuenit, quod non distributiuo, & è conuerso, collectiuum enim termino caret in infinito, quo tamen distributiuum non caret: licet ergo admittatur, quod omnia entia distributiue sumpta sint facta, non tamen inde licet arguere: ergo omnia entia collectiue sumpta sunt facta, sed istud in particulari est factum & istud, & istud, & sic de quolibet alio in particulari.

29. Contra quia collectio omnium illorum entium fit, & conficitur ex omnibus illis distributiue sumptis: ergo si omnia illa entia distributiue sumpta sunt facta, debent omnia etiam collectiue sumpta esse facta, & consequenter debent esse facta ab aliquo ente non facto, quod sit extra seriem omnium entium factorum infinitam.

Confirmatur, quia vt omnia illa entia distributiue sumpta sint facta, nullum debet esse inter ea, quod de facto non sit factum, quia distributio distribuit omnia, & nullum relinquit, quod sub distributione non cadat, seu cui non distribuatur & communicetur prædicatum, quod applicatur termino distributo; & sic inter omnia illa entia, quæ dicuntur facta; si de aliquo verificaretur, quod non esset factum, falsa esset propositio, quæ asserit omnia illa distributiue sumpta esse facta;

quod si nullum est inter illa entia, quod non sit factum: ergo tota collectio omnium illorum entium est facta, quia nihil est in tota illa collectione, cui non applicetur & distribuatur quod sit factum.

Confirmatur adhuc, ex duabus propositionibus contradictoriis vna debet esse necessario vera, & altera falsa: ergo ex istis duabus propositionibus tota collectio entum est facta, & tota collectio entium non est facta, vna debet esse vera, & cum prima non possit esse vera, vt euidens est, quia factum supponit aliquid à quo fiat, & consequenter omnia entia non possunt esse facta, alioquin à nihilo fierent, secunda necessario debet esse vera, & sic in tota collectione entium debet dari ens non factum quod est Deus.

Vnde ad id quod obiicitur quod in infinito non arguitur à distributiuo ad collectiuum.

30. Respondeo hoc esse verum de prædicatis, quæ sequũtur naturã infiniti vt sic, non autem de iis quæ sequuntur naturam illorum entium, quæ illud infinitum conficiunt: at esse ens factum, & dependens sequitur essentialiter naturam contingentium, quæ conficerent illud infinitum, de ratione enim contingentis, est quod non existat per se, seu essentialiter, & necessario, sed solum quod potentiam habeat ad essendum, & consequenter omnia illa contingentia quotquot essent, siue distributiue siue collectiue sumantur, peterent per se, & essentialiter ab alio existentiam recipere. Quod si dicas quod illud ens, quod supponeretur non factum in tota illa serie infinitorum entium, non esset Deus, quia in serie infinitorum, v. g. hominum quorum vnus ab altero produceretur successiue vsque in infinitum, esset aliquis homo, & consequenter non esset Deus.

Respondeo in hoc esse euidentissimam implicantiam, quia ex suppositione quod talis homo esset ens non factum, deberet esse Deus, & non homo, & sic esset homo, & non homo, homo quidem ex suppositione; non homo, quia esset ens non factum & consequenter ens à se, & cui existere essentialiter & per se conueniret, & non ab alio, quę quidem omnia sunt extra rationem essentialem hominis; & cõsequenter talis homo non esset homo, quod vlterius probatur, quia homo est naturæ corruptibilis, at ille homo non esset naturæ corruptibilis, quia quod conuenit alicui per se, & independenter à quocumque alio, hoc conuenit illi semper, & inuariabiliter: ergo cum existere conueniret illi homini à se & independenter ab alio, hoc conueniret ei inuariabiliter, & indefectibiliter: ergo ille homo non esset corruptibilis naturæ, sicut cæteri homines sunt, & sic esset, & non esset homo.

Deinde qui fieri posset, quod ille homo, qui est compositus ex materia & forma, ab alio esse & formam non recepisset, potentia enim passiua, quæ est in materia, connotat essentialiter potentiam actiuam agentis alicuius, à quo formam recipiat, ad quam est in potentia: ergo essentialiter ille homo peteret fieri ab alio agente. Vide ea quæ dicentur infra disput. sequenti dub. 1. in confir. primæ rationis.

Examinatur tertia ratio petita ex necessitate vnius primi motoris.

§. IV.

31. ANtequam in forma proponatur argumentum, sciendum est, quod ista propositio Aristotelica, omne quod mouetur ab alio mouetur, potest duobus modis intelligi, mediate scilicet vel immediate: si mediate, sensus huius propositionis erit, quod illud omne quod mouetur, debet esse tale vt saltem mediante alio motum acceperit, à quo mouetur; inquantum scilicet illud quod sic mouetur virtutem mouendi se ab alio accepit, & hoc modo Petrus dicitur moueri mediate à parente suo, quando videt; quia licet visio qua mouetur non sit immediate à parente suo, quia tamen accepit ab eo virtutem visiuam, qua se mouet ad videndum, ideo dicitur moueri ab eo mediate.

Si autem secundo modo intelligatur, sensus illius erit, quod illud omne quod mouetur (siue motus, quo mouetur sit motus proprie, siue improprie dictus,) debet ab alio taliter moueri, vt illud à quo mouetur actualiter in motum, & in effectum cum motu coniunctum, per aliquam actionem influat: & hoc modo aqua dicitur moueri ab igne, quia quando aqua calefit ab eo, taliter mouetur ab eo per calorem quem recipit, vt de facto ignis imprimat ipsi calorem per veram actionem, & per verum calefactionis motum. Hoc posito si propositio Aristotelica sumatur primo modo potest ex ea sic argumentum elici.

32. Illud omne quod mouetur, necesse est ab alio moueri, saltem mediate, id est taliter moueri debet, vt saltem virtutem elicitiuam motus, quo mouetur, ab alio receperit, licet illud à quo talem virtutem acceperit actu in illum motum non influat: vel ergo illud à quo sic mediate mouetur, ita mouet, vt ab alio etiam mediate non moueatur, id est, virtutem mouendi ab alio non acceperit; vel ita mouet, vt mediate ab altero moueatur, id est, virtutem mouendi ab alio nō acceperit. Si primum; ergo datur mouens immotū, id est mouens aliquod, quod ab alio virtutem mouendi se non habet, sed à seipso, tale autem mouens est Deus, quia si à se virtutem mouendi habet habebit etiam, & esse à se, cum operari sequitur esse: ergo datur Deus.

Si autem secundum dicatur, id est, si illud quod mouet, ita moueat, vt virtutem ab alio acceperit, quæritur iam vtrum in mouentibus motis procedatur vsque in infinitum, vel non: si non, ergo sistit processus in mouente aliquo non moto, & quod ab alio virtutem mouendi non accepit, & consequenter illud erit Deus. Si autem vsque in infinitū processus fuit, quæritur, vtrum tota illa collectio, & series mouentium, moueatur de facto ab altero, id est, virtutem acceperit ab alio, vel non; si tota illa collectio mouentium virtutem ab alio mouendi non recepit: ergo intra seriem illorum mouentium dabitur aliquod mouens immotum, quod ab alio virtutem mouendi non accepit, & sic erit Deus: si autem dicatur, quod tota illa collectio mouentium mouetur

ab altero: ergo extra infinitam illam seriem mouentium motorum, & quę ab alio virtutem mouendi receperũt datur aliquod ens, quod ab altero virtutẽ mouendi non recepit, quia ex suppositione tota illa collectio infinita mouentium mouetur, & ab alio virtutem mouendi accepit: ergo debuit ab alio talem virtutem accipere, & cum illud non sit intra seriem illam infinitam mouentium, quæ ab alio virtutem mouendi receperunt, debuit non recepisse virtutem ab altero, alioqui de eodem possent inquiri adhuc omnia quæ iam dicta sunt.

32. Quod si propositio Aristotelica alio modo sumatur quod scil. id quod mouetur, moueatur actu ab altero per aliquem verum & actualem influxum, potest ex ea sic intellecta effici argumentum.

In mouentibus motis essentialiter subordinatis, & quæ actualiter influunt in aliquẽ motũ, seu in aliquod mobile, non potest dari processus in infinitũ, sed tandẽ ad aliquod vnum mouens immotum est deueniendum; sed ita est, quod datur à parte rei motus seu aliquod mobile, essentialiter pendens à pluribus mouentibus motis, actu influentibus in ipsum sicut ostensum est §.1. suppos. 2. ergo in illis mouentibus motis, tandem ad aliquod vnum deueniendum est, quod sit mouens motum: illud autem est Deus: ergo datur Deus. Maior est satis probata §.1. suppositione vltima, ad quam lectorem remittimus. Deinde posset breuiter probari per id quod §. præcedenti dicebamus, cum enim motus & quilibet effectus dicatur pluribus causis subordinari ratione plurium rationum vniuersalium, quas ab eis recipit, & tandem ad vnum primum gradũ deueniatur in effectu & in motu, ad rationem scil. entis, statuenda est etiam ex consequenti causa aliqua, quæ inter actu influentes, sit prima, cui competat per se primum illum gradum attingere cæterasque causas sibi subordinare; cum enim qualis est ordo effectuum, talis sit & agentium; & rationes correspondentes in effectu cæteris causis subordinentur tum ration entis, tum existentiæ, quæ causæ primæ per se correspondent, tanquam ei, cui esse à se essentialiter competit, debent consequenter cæteræ causæ ita essentialiter subordinari influxu causæ primæ, vt sicut sine gradu entis, & sine existentia cæterę rationes quæ sunt in effectu, nihil prorsus esse possunt; ita sine influxu causæ primæ, nihil prorsus cæteræ causæ in proprios etiam effectus influere possint.

Examinatur quarta ratio petita ex analogia quam debent habere omnia entia cum aliquo maxime ente, & omnia bona cum aliquo maxime bono.

§. V.

34. Magis & minus non sunt talia nisi per comparationem ad aliquod maximum, quod sit regula & causa eorũ: sed inter entia, aliqua dicuntur magis & minus entia, magis & minus perfecta, magis & minus bona, ergo inter ea, debet dari aliquod ens, quod sit maximum in ratione entis, maximum in ratione perfecti, maximum in ratione boni; tale autem est Deus, quia si sit maximum in prædictis rationibus, à

nullo pendebat; sed erit à se: ergo Deus, ergo dabitur Deus.

Confirmatur. quia illa omnia, quæ analogantur maxime analogia attributionis, dicuntur talia per comparationem ad vnum, in quo ratio significata per nomen perfectissime reperitur, & independenter ab aliis, quæ cum ipso in tali ratione analogantur: sed omnia entia, quatenus etiam secundum suam singularitatem considerantur, analogantur analogia attributionis in ratione entis, omnes causæ efficientes, in ratione causæ efficientis, omnes causæ finales, in ratione causæ finalis, quia istæ rationes inæqualiter participantur ab eis: ergo inter entia, debet dari aliquod ens singulare, in quo ratio entis independenter à quocumque altero ente perfectissime reperiatur, inter causas efficientes, debet dari causa efficiens, in qua talis ratio causæ efficientis independenter ab altera causa efficiente perfectissime reperiatur, & tandem inter causas finales, aliqua causa finalis quæ finalites independenter à quocumque altero fine, & quæ consequenter sit bona sine subordinatione ad quodcumque aliud bonum, quia bonum & finis coincidunt: at totale ens cui huiusmodi rationes conueniunt est Deus: ergo datur Deus.

Obiicitur. inter numeros dantur maiores & minores, & tamen inter eos non datur maximus, quo non possit dari maior; & inter gratias quæ participantur, datur maior & minor gratia, non tamen maxima, qua maior dari non possit; & inter corpora datur maius & minus corpus, & tamen nullus dixerit quod detur maximum corpus, quo maius dari non possit: ergo licet inter entia detur maius & minus ens; inter bona, maius & minus bonum; inter perfecta, magis & minus perfectum, non tamen propterea legitime potest inferri, quod detur maximum ens, quo maius dari non possit in ratione entis, quod detur maxime perfectum, & maxime bonum, quo maius & perfectius dari non possit: ergo cum Deus sit id, quo maius & perfectius dari non potest, non sequitur dari Deum ex isto modo argumentandi.

39. Respondeo primo cum Valentia, ad argumentum D. Tho. sufficere, quod quotiescumque datur à parte rei magis & minus, detur etiam maximum inter ea quæ de facto existunt: at certum est, quod quando datur magis & minus in corporibus, inter ea corpora, quæ sunt iam, datur aliquod maximum quo maius non existit, quando datur maior & minor numerus, datur maximus, quo maior non datur inter eos, qui de facto sunt & sic de cæteris exemplis quæ possunt afferri; ergo similiter inter ea quæ sunt magis & minus entia debet dari aliquod ens, quo maius non sit inter ea, quæ de facto existunt: at illud maximum inter entia quę existunt debet esse Deus, tum quia optime infertur illud, quod est maximum inter entia quæ sunt iam de necessitate, debere esse maximum inter omnia entia quæ possunt dari, vt ostendetur responsione secunda: tum etiam, quia ex legitima & optima consequentia infertur, illud quod est iam maximum inter entia quæ sunt, debere esse ens à se, quia omnia quę sunt, debent conseruari ab aliquo ente, quod per se & in virtute propria, illa in esse conseruet, ergo illud ens

illud ens debet esse tale vt ei per se & necessario existere competat, & non ab alio: prob. consequentia, quia quādo aliqua forma per se cōseruatur ab aliquo, debet illa forma per se illi conuenire, cum vnumquodque agat, inquantum est actu id quod fit: ergo ens, quod à se, & in virtute propria conseruabit esse, habebit esse à se, & ratione sui.

Et si dicas non esse necesse, vt agens agat, quod sit de facto, sed sufficere quod remaneat in virtute sua: & consequenter non esse necessarium quod id, quod nunc conseruat, aut producit creaturas, remaneat, & habeat esse de facto, sed sufficere, quod reliquerit virtutem conseruandi, aut producendi esse in aliqua creatura.

Contra, quia agens, quod producit aut conseruat esse per se, non potest esse subiectum corruptioni, quia existere debet illi per se conuenire; ergo necessario & semper debet illi conuenire, & consequenter indefectibiliter & hæc sufficiant pro vnius solutione, ad secundam veniamus.

36. Respondeo secundo ad principalem obiectionem negando eius consequentiam: ratio negati est, quia illa entia, de quibus fit mentio in antecedēti, sunt entia dependētia ab alio secundum rationem significatam per nomen, itaut talis ratio ab intrinseco sit ens actu dependens secundum totam latitudinem, & extensionē suam, & consequenter potest fieri perfectior, secūdum quod Deus voluerit: at ratio significata per nomen entis, saltem in perfectiori ente, in quo reperitur, dicit independentiam à quocumque alio vt ostensum est in confirmatione principalis argumenti: & propterea tanta est in eo perfectio vt nullum ens, aut perfectius aut maius fieri possit; quia si sit ens independens, debet necessario à se esse ens, ergo debet esse ens perfectissimum; quo perfectius dari non potest.

Et potest hoc adhuc magis declarari. quia si posset dari aliquod ens, quod esset eo perfectius; vel illud deberet fieri ab ente, quod nunc dicitur esse perfectissimum, vel ab aliquo imperfectiori: deberet enim ab aliquo fieri, cum à seipso fieri non posset: at à neutro ex prædictis entibus fieri posset, cum nullum ens agat aut agere possit vltra sphærā actiuitatis suæ, & vltra extensionem perfectionis suæ: ergo nullum potest produci ens perfectius eo, quod iam est inter entia quæ existunt perfectissimum.

Et si dicas, quod illud ens perfectius, nec fieret à solo ente, quod iam est perfectissimum inter entia, nec ab altero imperfectiori solo, sed à pluribus coniunctis, quæ simul ad eius productionem concurrerent.

37. Contra, quia omnia entia inferioris naturæ & perfectionis, nunquam possunt, quātumcumque multiplicentur, pertingere ad intensionem perfectionis, quæ est in ente superiori, & consequenter omnia entia coniuncta cum illo ente perfectissimo aliquod ens eo perfectius producere non possent.

Deinde plura vt plura non faciunt vnum, nisi in virtute vnius, vt ostendit D. Th. 1. p. quæst. 11. art. 3. in corp. ergo si plura concurrerent ad productionem illius entis, hoc deberent facere in virtute vnius entis, quod esset iam, & consequenter nunquam effectus ille posset excedere perfectionem entis illius, in virtute cuius alia entia agerent, cum effectus nunquam virtutem suæ causæ principalis possit excedere, & sic nunquam

effectus productus posset excedere perfectionem entis perfectissimi, quod nunc existit.

Et si dicas ex hoc quidem probari, non posse fieri aliquod ens perfectius eo quod est iam inter entia perfectissimum, non tamen quod aliquando non fuerit aliud ens eo perfectius, quod tamen amplius non est, eo quod sit iam corruptum.

Contra, quia illud ens, quod est perfectissimum inter entia, quæ sunt, est incorruptibile, & indefectibile, cum esse & existere ei per se, & necessario competat, vt ostensum est: ergo illud ens quod esset corruptum, non attingeret eius perfectionem.

Proponuntur breuiter aliqua alia rationes.

§. VI.

38. Datur causa materiæ primæ: nulla potest esse alia nisi Deus: ergo datur Deus. Maior est certa, quia cum materia prima sit imperfectissima omnium entium, non potest habere esse à se, sed debet necessario illud habere ab alio; vel si contendas eam habere esse à se cogeris quoque fateri eam Deum esse; quod esse stolidissimum non immerito dicit D. Thomas contra quendam Petrum de Dinando qui materiæ primæ diuinitatem tribuebat. Supposita ergo veritate illius maioris.

Probatur minor. illa causa quæ producit aliquid ex nihilo, & ex nullo præsupposito subiecto est Deus: causa quæ producit materiam primam, producit eam ex nihilo, & ex nullo præsupposito subiecto: ergo: minor est certa, quia cum materia sit primum subiectum, aliud ante se non supponit, & consequenter quando producitur, debet necessario ex nullo alio supposito subiecto fieri.

Probatur maior. quia causa quæ producit aliquid ex nihilo, & ex nullo præsupposito subiecto, debet habere virtutem infinitam: ergo debet esse Deus, consequentia patet, quia virtus in operando infinita, arguit infinitatem in essendo in eadem virtute: ergo cum Deus sit ens infinitum in essendo, illud quod habebit virtutem infinitam in operando, erit Deus.

Probatur antec. tanto virtus agentis debet esse fortior & intensior, quãto magis distat terminus à quo, à termino ad quẽ, qui producitur, Sed inter nihil, & ens, est distantia infinita: ergo ad educendũ aliquod ex nihilo, & ex nullo supposito subiecto, virtus infinita requiritur. Si vis videre plura quantum ad vim & efficaciam huius rationis, & quantũ etiam ad hoc quod materia non possit esse increata vide quę dicentur infra disp. 17. num. 4. 5. 6. 9.

Probatur secundo, quia ex Euangelistis passim, Iustino in Tryphone, August. 10. de ciuit. c. 22. Tertull. c. 23. ad nomen & inuocationem Dei fiunt opera omnem naturæ vim superantia, vt resurrectio mortuorum, dæmonum expulsio &c. ergo debet dari Deus cuius virtute hæc fiant.

Tertio, quia paucis exceptis iisque dementissimis ac vitiosissimis, omnes dolent de peccatis in Deum commissis, cumque adiutorem & protectorem implorant, sacrificiis, aliisque officiis eum colunt atque vene-

rantur: ergo cum hæc omnia præstent ex prouocatione & inclinatione à natura indita, quæ falli non potest, debet dari Deus ad cuius venerationem instinctu naturæ prouocatur.

Quarto, quia minus possunt falli tot sapientes, qui constantissime Dei existentiam asseruerunt, quam vnus stultus & insipiens, qui vsque adeo impudens est, hanc veritatem sæculis omnibus approbatam denegare.

39. Quinto, quia intellectus nullius creatæ veritatis cognitione appetitu, nullius boni creati possessione satiatur: ergo præter quæcumque creata debet dari aliud, quod sit finis hominis, qui possit eum satiare.

Sexto, id etiam efficacissime demonstrat mirabilis illa corporis humani efformatio, & potentiarum naturalium ordo, ab ignobili nescio quo homine procedens: qui enim fieri potest, vt tot tantaque mirabilia, quæ in corpore humano includuntur quæ apud Molinam hic quarta ratione optime deducta reperies ab vna re tam ignobili, sicut est semen, effecta fuerint atque efformata nisi virtutem illam seminis dirigeret intellectus aliquis supremus: si enim homo cum omni ingenij sui acumine vel vmbram tot mirabilium attingere non potest industria sua, quomodo abiectissima illa seminis creatura, posset tot miracula in vnum corpusculum conuocare, atque congregare nisi summi alicuius artificis manus virtutem hanc ipsi imprimeret?

Tandem directionem Dei & existentiam prædicat atque proclamat, tot, tantarumque, & adeo diuersarum rerum, in bonum totius vniuersi conspirantium vniformitas, si enim, vt ait Cicero lib. 2. de natura Deorum, quando machinatione quadam aliquid moueri videmus, vt sphæram & alia permulta, nō dubitamus quin illa opera sint rationis: certe dubitandum minus est, cum impetum cæli, cum admirabili illa celeritate moueri, vertique videmus constantissime conficientem anniuersarias vicissitudines cum summa salute & conseruatione rerum omnium, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti, & diuina ratione. Vnde concludamus cum Psalmista, quod vere cœli enarrāt gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Quomodo autem cæli enarrant gloriam Dei audi Chrysost. hom. 9. ad pop. Antiochenum quomodo enarrant dic mihi? vocem non habent, os non possident, illis non est lingua, quomodo igitur narrant? per ipsum aspectum, cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum corpus permeare, tanquam vocem audiens, & ad aspectum discēs, adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit, tacet cælum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos non per aures nos docens, hic enim sensus à natura est illo certior, & manifestior. Si enim per libros docuisset & litteras, linguarum quidem peritus scripta didicisset, nesciens vero nihil inde adiutus abiisset, si quis alius non dixisset; & diues librum quidem emisset, pauper vero emere non potuisset, rursus vocem quidem illam per litteras significatam sciens intus positam nosset, Scyta vero, Barbarus & Indus & Ægyptius, & omnes lingua carentes, illa nihil

edocti abiissent, hoc autem de cælo discere datur, sed Scytha & Barbarus & indus, & omnis homo per terram vadens, hanc vocem audiet &c. In hunc pariter librum & idiota & sapiens intueri poterunt, &c. Et quicumque in cælum aspiciens, doctrinam accipiet ex aspectu, iuxta illud, non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, hoc est non est genus, neque lingua, quæ vocem hanc intelligere non possit. Hæc D. Chrysost. per quę demonstratur quanta cum efficacia cæli constructio Dei existentiam affirmat, cui gloria & honor in æternum.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. *Vltimus.*

48. OBiicitur, contrà omnes istas rationes; licet probent id quod immediate intendunt; nimirum quod detur primus motor, primum efficiens, ens necessarium, summum bonum &c. non tamen probare Deum esse; neque enim probant illud ens quod existere demonstrant esse quid immateriale, æternum &c.

Resp. primo, quod præsens quęstio solum satisfacit quæstioni, an sit Deus, relinquendo quæstionibus sequentibus probanda, quæ pertinent ad quæstiones qualis sit, & quid sit, Deus.

Respondeo secundo, quod mediate saltem ostendunt id, quod desideratur in obiectione, quia eo ipso, quod detur ens, cui per se, & necessario existere competat, & non ab alio, illud debet esse æternũ, quia quod per se & necessario alicui conuenit, semper debet ei conuenire. Deinde eo ipso, quod illud ens sit à se, debet necessario esse immateriale, quia si haberet materiam, deberet potentia passiua illius materiæ connotare agens aliquod, per quod de potentia in actum essendi reduceretur, & sic non esset à se, & ita de cæteris.

Obiicitur, si cognosceremus Deum existere per demonstrationem, cognosceremus illud quod est perfectissimum in Deo, quia existere est id, quod est perfectissimum in qualibet re: at impossibile est quod per creaturas possimus cognoscere id, quod perfectissimum est in Deo, nimis enim creaturæ sunt imperfectæ, quam vt in eis possit summa illa Dei perfectio relucere: ergo.

Cõfirmatur, quia cum existere Dei, sit ipsamet quidditas & natura Dei, si existentiam Dei cognosceremus per euidentiam, sequeretur, quod Dei essentiam quidditatiue, & euidenter cognosceremus: ergo cum non possit Deus à nobis quidditatiue pro statu præsenti cognosci, existentia eius non poterit euidenter demonstrari.

Respondeo nos cognoscere quod est in Deo perfectissimum per creaturas, non quidditatiue, seu per speciem propriã, & quoad modũ, quem talis ratio perfectissima habet in Deo, sed quoad solam quæstionem an est, & per hoc confir. respondetur, quia licet existere Dei sit ipsa quidditas Dei, non tamen sequitur, quod cognoscendo illud per creaturas, quidditatiue Deus cognoscatur, quia cognitio quidditatiua debet esse per propriam speciem.

41. Obiicitur, si daretur Deus, tolleretur omne malum de mundo, quia si

daretur Deus, deberet esse infinita bonitas excludens consequenter omne malum: ergo cum tot sint mala, tot peccata in mundo, videtur quod non sit DEVS.

Respondeo quod DEVS non permittit mala nisi ad ostensionem maiorem suæ bonitatis, vt scilicet ex malo bonum educat, vt dicit August.

Respond. secundò quod hoc argumentum probat solum Deum excludere à se omnem rationem mali (sicut etiam id præstat) non autem à toto mundo, quia contrarium non expellit, nisi à proprio subiecto in quo est, aliud contrarium, non autem ab alieno subiecto.

Obiicitur, de eodem non potest esse scientia & fides: datur fides quod DEVS sit ergo.

Respondeo, non posse quidem in eodem subiecto fidem simul esse cum scientia de eodem, potest tamen ab vno haberi fides de aliquo, ab alio vero scientia, imo ab eodem potest fides, & scientia haberi successiue de eodem, vt accidit in fideli, qui acquirit scientiam quod DEVS sit.

Respondent secundò aliqui: quando dicitur; quod fides & scientia non possunt esse simul, hoc debere intelligi de actibus illorũ habituum, non autem de ipsis habitibus: & propterea dicunt stante assensu scientifico, quod DEVS sit, posse simul in eodem subiecto remanere fidem habitualiter; sicut & scientiam habitualiter: stante actu fidei circa eamdem propositionem: credunt enim quod fides & scientia opponuntur solum ad inuicem secundum actus, non secundum habitus.

Sed dices, saltem in sententia probabiliori, & magis communiter recepta in Schola D. Thomæ, scientia & fides opponuntur, non solum secundum actus, sed etiam secundum habitus: ergo non potest dici, quod sit scientia de Deo. Probatur consequentia, quia si posset dari scientia de Deo, iam Philosophus Christianus, qui talem scientiam haberet, peioris esset conditionis, quam rusticus fidelis, quia rusticus fidelis, per fidem Deum esse cognosceret, & consequenter certiori modo, quam Philosophus Christianus, qui solum per scientiam hoc cognosceret; adueniente enim scientia in eo de Deo, deberet perire fides.

42. Respondeo cum Bannesio prima parte, quæst. 2. art. 2. ad primum & secunda secundæ, quæst. 1. art. 5. ad secundũ, quem PP. N. Complut. in sua Logica disput. 20. quæst. 4. num. 45. sequuntur, quod Philosophus Christianus æque firmiter ac certo huic propositioni assentitur ac rusticus fidelis: licet enim scientia separata à fide non habeat ita certo ac firmiter inclinare intellectum in assensum prædictæ propositionis, tamen quando coniungitur cum fide in eodem intellectu, taliter confortatur, vt ex subordinatione quam habet ad eam æque firmiter ac certo inclinet in eum.

Sed quæres quomodo fit ista confortatio & eleuatio? Zumel 1. p. q. 1. art. 3. affert duas sententias, quarum prima ait, istam eleuationem fieri per hoc, quod fides vnà cum scientia elicitiue concurrat ad assensum scientiæ; itaut fides ad eius certitudinem solum, scientia verò ad eius euidentiam concurrat, & hanc sententiam sequitur Zumel, tamquam probabilem. Secunda verò sententia (cu-

magis prædictus author innititur) dicit, quod illa confortatio consistit in hoc, quod fides radicaliter & veluti mediate concurrat ad actum scientiæ, consideratum secundum eius certitudinem.

Sed certe non video, quam possit habere probabilitatem in sententia D. Thomæ, primus ille modus explicandi. Vel enim assensus ille, quem dicitur elicere fides cum scientia, est assensus fidei, vel non; si sit assensus fidei; ecce admittis scientiam & fidem, nec secundum habitus, nec secundum actus suos ad inuicem opponi, si autem secundum admittis: ergo fides inclinatur non solum ad eliciendos proprios actus & suæ speciei, sed etiam ad eliciendos actus alterius speciei, quod absurdum est: ergo.

Deinde, quomodo potest dici quod assensus ille sit actus scientiæ, si semel fides concurrit elicitiue ad eum? etenim si à fide eliciatur elicietur ab ea sub motiuo fidei, & consequenter sub motiuo reuelationis diuinæ, seu testimonij diuini, quia nihil potest fides elicere, nisi sub ratione sua formali specificatiua: ergo assensus ille in duabus speciebus reponetur formaliter, quia inquantum à scientia elicietur sub motiuo scientiæ, erit actus scientificus; in quantum verò à fide sub motiuo fidei elicietur, erit actus fidei; & sic talis assensus erit omnino aggregatum per accidens, & conflatum ex duobus entibus per se, ex duabus scilicet naturis, atque speciebus distinctis.

43. Secundus autem modus satis habet probabilitatis, & potest sic explicari dicendo, quod in tantum dicitur fides concurrere mediate ad illum assensum, in quantum imperatiue ad eum concurrit, imperant enim fides & Theologia scientiis naturalibus, quibus vtuntur tamquam ancillis suis.

Sed dices non euacuari adhuc difficultatem, quia ex isto modo explicandi sequitur semper assensum rustici fidelis, magis esse firmum, magisque certum, quam assensum Philosophi, quia assensus Philosophi est solum ordinis naturalis, at rustici assensus, est supernaturalis.

Deinde si solum mediate fides concurrit ad illum assensum Philosophi: ergo talis assensus non erit magis certus, quam assensus Theologicus, ad quem etiam fides radicaliter & mediate concurrit: ergo sicut assensus Theologicus non est ita certus, ac assensus immediate à fide elicitus, ita nec ille prædictus Philosophi assensus.

Respondetur primò ad secundam instantiam, quod assensus Theologicus non est adeo certus, sicut est assensus ille Philosophi, de quo est quæstio, quia fides non inclinatur immediate in assensum Theologicum; vbi in hunc Philosophi assensum, quantum est ex se immediate inclinatur: & ideo si illum in Philosopho Christiano non elicit, hoc est solum per accidens; propter perfectionem scilicet euidentiæ quæ est in Philosophi scientia, quacum incompatibilitatem habet imperfectio obscuritatis, quæ est intrinsece annexa assensui fidei.

Respondetur autem ad primam instantiam, quod potest assensus ille Philosophi considerari, vel vt

imperatus, vel vt elicitus; si secundo modo, fateor esse entitatiue naturalem; si verò primo consideretur, iam formaliter eleuatur ex imperio fidei ad ordinem supernaturalem, & quoad modum fit supernaturalis: nec mirum hoc videri debet, quod scilicet actus ille transferatur saltem, quoad modum, ad ordinem supernaturalem, quia vt ait Diuus Thomas prima parte, quæst 13. art. 1. in corpore, actus vt imperatus & directus, est potius virtutis imperantis & dirigentis, quam eius à qua elicitur.

Et si dicas semper ex hoc sequi, quod Philosophus sit deterioris conditionis quam rusticus fidelis, quia melius est habere actum entitatiue supernaturalem quam quoad modū supernaturalē tantum.

44. Respondeo primò, quod licet daretur, quod Philosophus esset peioris conditionis in esse entis, ex eo quod scilicet aliqua entitate supernaturali careret, quam haberet rusticus, non tamen peioris esset conditionis in esse moris, qua Philosophus, quantum est ex se, habet semper in præparatione animi voluntatem credendi, quod DEVS sit, in hypothesi quod de hac re scientiam non haberet; imo taliter est dispositus, vt pluris longe faciat testimonium Dei circa veritatem hanc, quam quamcumque euidentiam scientiæ naturalis quam posset habere de ea.

Respondeo secundò concedendo consequentiam, si cætera sint paria; at hic in præsenti casu cætera nō sunt paria; melius enim est habere assensum quoad modum solum supernaturalem cum euidentia obiecti, sicut habet Philosophus, quam habere assensum entitatiue supernaturalem cum imperfectione obscuritatis & ineuidentiæ obiecti: & maxime adhuc, quia si Philosophus non habet actum entitatiue supernaturalem, hoc non est ex defectu alicuius virtutis & perfectionis, quia quantum est ex se habet virtutem ad actum fidei eliciendum, ex suppositione, quod non impediretur ex imperfectione obscuritatis, quæ est tali actui annexa.

Responderi posset tertiò, quod nulla est entitas supernaturalis in rustico, quæ non sit in Philosopho, quia eodem actu fidei entitatiue sumpto, quo rusticus fertur in hanc propositionem, DEVS est, propter diuinam reuelationem vt qua, eodem fertur & Philosophus in eamdem reuelationem tamquam in obiectum quod: explicò mentem meam; antequam Philosophus Christianus nosset per scientiam Deum esse; assentiabatur, simul & per eumdem fidei assensum, & propositioni huic, Deus est; & reuelationi diuinæ tamquam rationi formali, per quam talis propositio reuelata est: nam tunc obscure nouerat reuelationem Dei circa istam propositionem, DEVS est, & prædictam propositionem: sed posteaquam acquisiuit scientiam, & euidentiam, quod DEVS sit, iam actus fidei quo credebat ante Deum esse cessat secundum quod fertur in hanc popositionem Deus est, & solum remanet quatenus, fertur in reuelrtionem Dei; quia ipsa sola manet ei obscura; neque eninr ampiius cognoscit obscure Deum esse, sed solum

vtrum, Deum esse, sit à Deo reuelatum, & sic per euidentiam, quod Deus sit, excipitur ab obiecto fidei, Dei existentia, non tamen reuelatio eiusdem propositionis, quæ adhuc sub obscuritate manet, quia euidentia non habetur de reuelatione, sed de propositione dumtaxat, quæ sub reuelatione cadit: vnde sicut si subtraheretur color ab obiecto, quod mediante luce videtur, non videretur amplius color seu obiectum sub ratione colorati, sed solùm sub ratione lucidi: ita similiter subtracta per euidentiam scientiæ ab obiecto fidei Dei existentia, non potest amplius actus fidei ferri in eam secundùm se, credendo, scilicet, quod Deus sit, sed solùm potest ferri in eam, quatenus reuelatam, seu in eius reuelationem, credendo, scilicet, quod Deum esse, sit reuelatum, quia solùm manet obscurum Deum esse sub ratione reuelati, id est, solùm obscurum est, vtrum reuelata sit ista propositio, Deus est.

Ex quibus apparet eundem actum fidei quo fertur rusticus in hanc propositionem, Deus est, propter reuelationem Dei, remanere etiam in Philosopho, cum eadem virtute se extendendi ad eandem propositionem, si de facto non subtraheretur ab obiecto fidei per euidentiam scientiæ, quamuis actu & in exercitio feratur in reuelationem ipsius solùm, credendo quod illa propositio est reuelata à Deo, quia solùm hoc illi obscurum est, vtrum, scilicet, hoc sit à Deo reuelatum.

45. Tantùm ergo abest, quod Philosophus Christianus sit peioris conditionis, quàm fidelis rusticus, quin potius superat eum in multis. Primò, quia nulla est entitas supernaturalis in rustico, quæ non sit in Philosopho (vt iam ostensum est.) Secundò, quia in Philosopho Christiano aliqua formalitas supernaturalis est, quę non est in rustico: Philosophus enim per fidem imperat scientiæ, quam habet de Deo, ex quo imperio resultat quædam formalitas supernaturalis in scientia. Tertiò tandem, quia scientia, & euidentia, quam Philosophus habet, quod Deus sit, maximum est ei motiuum ad credendum, quod Deus hoc reuelauit, cùm euidenter videat veritatem obiecti reuelati, conformitatem habere cum reuelatione; imò non solùm hæc euidentia ingens ei est motiuum ad credendum quod hæc propositio est reuelata, sed ad credendum etiam reuelationi omnium aliarum propositionum, quæ sunt de fide (vt initio huius quæstionis dictum est.) Tandem potest dici, quod scientia, quam habet Philosophus quod Deus sit, non tollit ab eo fidem de eadem propositione; & ratio est quia fides non est de Dei existentia, quatenus est præcise existentia Dei vt authoris naturę præscindentis à Deo vt authore supernaturali, sed de existentia Dei, vt facit Deum existere, tam vt est auctor naturæ, quam vt est auctor supernaturalis. Vnde sicut posset haberi fides de gradu animalis prout formaliter continetur in homine coniunctus cum rationalitate, licet haberetur sciẽtia de animali, considerato secundùm se vt præscindit à tali coniunctione; ita similiter fides potest remanere in aliquo de Dei existentia tam vt author est naturæ quam vt est author supernaturalis, licet habeatur scientia de eius existentia quatenus præcise est author naturæ, quia tunc fides habet obiectum distinctum formaliter

liter ab obiecto scientiæ: sub distincta enim formalitate consideratur existentia Dei, quatenus facit existere Deum, tum vt est author naturæ, tum vt est author super naturalis quomodo attingitur à fide, ac quãdo cõsideratur quatenus præcise facit Deum existere, vt est author naturæ, secundum quam rationem attingitur à scientia.

DISPVTATIO X.

DE SIMPLICITATE DEI.

PEracta quæstione an sit Deus, iam sunt inquirenda quæ Deo conueniunt, & quia ex mente Dionysij, c. 1. de myst. Theolog. & 2. de cælesti Hierarch. via negationis, est magis nobis proportionata pro hoc statu ad inquirenda, quæ sunt Dei, ideo viâ illâ nobis erit prius incedendum.

QVÆSTIO PRIMA.

AN DEVS SIT COMPOSITVS EX MATERIA & forma.

1. CONCLVSIO vnica & negatiua, Deus non est compositus ex materia & forma. Probatur ex Concilio Later. sub Innocent. 3. & in cap. firmiter extra de summa Trinitate & fide Catholica.

Probatur ratione, illud quod est purus actus non est compositus ex materia & forma: DEVS est purus actus; ergo. Maior est euidens, quia cum materia sit pura potentia, illud quod componetur ex materia & forma, non poterit esse purus actus, quia purus actus excludit quamcunque potentialitatem à sua ratione. Minor autem probatur. DEVS nullam includit potentialitatem: ergo DEVS est purus actus: consequentia patet. Probatur antecedens, quia si quam DEVS includeret potentialitatem, deberet aliquid ab alio recipere: DEVS nihil recipit ab alio: ergo. Maior probatur, quia omnis poten-

tia passiua est correlatiua respectu potētiæ actiuæ, à qua formā recipit, ad quā est in potentia: ergo si DEVS aliquam potentialitatem includeret, deberet aliquid ab alio recipere.

Quod autem DEVS ab alio nihil recipiat, probatur primo, quia DEVS non esset primus motor, nec prima causa, si quidquam reciperet ab alio. Secundò, quia DEVS est ens omnino necessarium, cui per se necessario, & independenter à quocumque alio existere competit (vt probatum est quæstione præced. paragr. 2.) ergo cum existere sit vltimus actus, & omnes alios actus actuans, atque perficiens, si per se talis actus illi conuenit, debent omnes alij actus intermedij per se etiam illi conuenire, & independenter ab alio, quia cui conuenit plus, conuenit & minus in eodem genere: si ergo existere, quod est perfectissimum in genere actus, Deo per se conuenit, quare non per se etiam illi conuenient (seclusis tamen imperfectionibus) actus alij qui ex sua ratione non sunt adeo perfecti.

Deinde si existere, quod est vltimus actus, per se Deo conuenit: ergo omnes actus intermedij, debent etiam per se Deo conuenire; sicut enim ex eo quod per se conueniat homini gradus rationalitatis, bene sequitur, quod omnes gradus intermedij per se etiam illi conueniant; ita similiter ex eo quod existere per se Deo conueniat, bene sequitur quod omnes actus intermedij per se etiam illi conueniant, & independenter à quocumque alio.

2. Probatur secundò, agens infinitæ virtutis, non potest constare ex materia & forma: Deus est agens infinitæ virtutis: ergo. Minor constat, quia Deus producit aliquid per creationem, ad quam requiritur virtus infinita, vt ostendetur disput. 17. q. 2. & 3. Maior probatur. Omnis actus receptus in materia, limitatur, cum quodlibet limitetur per suum oppositum: ergo cum potentia sit opposita actui, actus limitabitur per potentiam, in qua recipietur: ergo cum virtus actiua fundetur in actu, si actus recipiatur in potentia materiæ, non poterit virtus in eo fundata, esse infinita.

Confirmatur: quia opposita non possunt vnquā ad inuicē vniri, nisi in aliquo assimilentur, atq; conueniant, ex vi saltem illius vnionis, quia ex vi illius, vnum oppositum communicat aliquid sui alteri opposito, si illa vnio sit per se & connaturalis ex parte vtriusque oppositi; & propterea secundum omnes Philosophos, materia limitat formam, quam recipit, & in eam aliquid suæ potentialitatis diffundit: ex quo fit quod forma recepta in materia non sit purus actus, sed actus potentiæ permixtus: ergo cum virtus actiua fundetur in actu, vt dictum est, virtus actiua quæ in forma materiali & recepta fundabitur, non poterit esse infinita.

3. Confirmatur, quia aliquid est perfectius, quò magis elongatur à suo contrario, nam cum contraria sint naturæ contrariæ, ex approximatione, vnum detrahit de perfectione & naturæ alterius, ergo actus erit eo perfectior, quo magis elongabitur à potentia passiua, & receptiua: ergo vt actus aliquis sit infinitus in ratione actus, debet infinite elongari ab omni potentia passiua: at forma recepta in materia, non est infinite elongata à potentia passiua. Et probatur primò,

quia ex vnione cum materia contrahit aliquid potentialitatis, vt dictum est. Secundò, quia infinitum est illud, quo maius dari non potest in illo ordine; in quo est infinitum: ergo vt actus sit infinitè elongatus à potentia, debet esse talis, vt non possit dari alius actus, qui magis recedat à potentia, quam ipse faciat; at exigere per se vniri cum materia per modum formæ ipsius, non est adeo recedere à materia & potentialitate, ac habere repugnantiam ad talem vnionem, (quia vt ait D.Th. p.q.53. a.3. in corp. habere potentiam ad aliquid, est iam habere aliquid ipsius, cum saltem sit esse illud potentialiter: ergo actus qui potest per modum formæ vniri materiæ, non est infinite elongatus à materia, seu potentialitate: ergo vt aliquis actus possit esse talis, & infinite purus, non habens aliquid potentialitatis, & tandem fundamentum infinitæ virtutis actiuæ, debet ita elongari à materia, vt non habeat etiã capacitatem seu aptitudinem, ad hoc vt vniatur per modum, formæ cum materia.

4. Confirmatur ratio principalis. Quia illud quod producit materiam debet materiã per modũ act° cõtinere cum vnũquodque agat inquantũ est actu id quod fit, id est inquantum continet per modum actus, id quod fit; si enim contineret solum per modum potentiæ, non posset illud producere, quia agere fundatur in actu, sicut pati & recipere in potentia: sed illud, quod est compositum ex materia, & forma continet solum materiam non per modum actus, sed formaliter secundum limitatam essentiam materiæ, & consequenter secundum rationem potẽtiæ: ergo id quod est compositum ex materia & forma, non potest materiam producere; & sic si Deus esset compositus ex materia & forma, non posset materiam producere, & consequenter non esset virtutis infinitæ, nec Deus.

Et si dicas, quod illud compositum producere posset materiam, non quidem per materiam formaliter, sed per formam, quæ actu contineret in se materiæ perfectionem.

Contra, quia impossibilile est quod forma, quæ recipitur in materia, contineat per modum actus perfectionem, quæ est in materia, quia perfectio quæ est in materia est, quod sit ens irreceptibile in alio per modum formæ, quia vt optime dicit D. Th. 3. de verit. art. 5. ad primũ, *Licet materia prima sit informis, inest tamen illi imitatio primæ formæ quantumcũq; enim esse debile habeat, illud est imitatio primi entis*: sicut enim Deus est ens irreceptum & irreceptibile per modum formæ informantis; ita & materia, licet Deus hanc perfectionem ad modum actus contineat, materia verò per modum potentiæ; sed forma materialis quæ in materia recipitur, hanc perfectionem irreceptibilitatis non potest continere, quia de facto limitatur, & determinatur ad hoc, vt sit actus informans, & essentialiter exigens recipi: ergo.

Confirmatur; quia operatio sequitur esse formæ, per quam fit talis operatio: ergo si forma per se, & essentialiter dependeat à subiecto, debebit necessario & operatio, & terminus formalis operationis eius à subiecto dependere, vt operatio & eius terminus formalis principiũ formale quo fiunt, non excedant: ergo cum materia prima, non sit receptibilis ab alio, vt pote primum subiectum,

nulla operatio formæ quæ recipitur in materia, poterit esse productiua materiæ.

Et si dicas, quod saltem forma Angelica poterit esse principium materiæ, quia sicut materia est ens irreceptum, ita & forma Angelica, est forma irrecepta & subsistens.

5. Respondeo, quod licet Angelus sit forma irrecepta, & subsistens, tamen non habet esse subsistens & irreceptum, sed receptum & limitatum; at operatio sequitur non præcise formam principij sui, sed esse existentiale illius; nam eodem modo comparatur operatio alicuius formæ ad illam formam, quo esse talis formæ comparatur ad eam: tum quia esse, est complementum formæ, per quam aliquid operatur: tum etiam, quia operatio est actus secundus illius formæ, & esse, seu existere primus, & consequenter operatio & terminus operationis, debent sequi naturam existentiæ illius formæ, à qua procedunt, sicut complementum principij sui, & sicut actus secundus, naturam actus primi: ex quo fit, quod si esse formæ sit receptum, operatio & terminus eius per eam productus, debent etiam esse quid receptum.

6. Probatur tertiò, principaliter ratione secunda, qua D. Th. vtitur 1. p. q. 3. a. 2. si DEVS est compositus ex materia & forma, DEVS erit bonus per participationem, quia erit bonus per formam participatam receptam, & consequenter limitatam, & sic Deus non erit infinite bonus atque perfectus, imo nec per se, sed per aliud, & sic erit, & non erit DEVS.

Probatur quartò ratione tertia, Diui Thomæ ibid. cuius vis vt appareat, in formam sic reducitur. Illud quod est per se primo agens non est compositum ex materia & forma: DEVS est primo, & per se agens: ergo. Minor probatur, primum agens debet esse primo & per se agens: DEVS est primum agens, ex quæstione præcedenti: ergo. Maior probatur. Primum agens debet esse tale, vt aliud agens prius se non supponat: sed si primum agens, non esset primo & per se agens, deberet necessario supponere aliud agens prius se: ergo vt sit primum agens debet necessario esse per se primo agens. Maior est euidens, probatur minor. quia esse per se primo agens, est esse agens, non per aliud, siue ly aliud sit extrinsecum, siue pars intrinseca agentis: quia dicitur aliquid conuenire alicui per se primo, quando non conuenit ei per aliud: per ly autem, non per aliud, excluduntur (ex septimo Physicorum) non solum extrinseca, sed etiam partes intrinsecæ, itaut illud, quod est tale ratione partis, non sit per se primo tale: ex quo fit (vt bene aduertit Caietanus) illud quod est agens solum ratione partis, verbi gratia ratione formæ receptæ, non possit esse per se primo agens.

Ex his ergo sic formamus argumentum in probationem nostræ minoris, quæ est, quod si DEVS non esset per se primo agens, non esset primum agens, sic ergo minorem illam probamus. Vt DEVS sit primum agens, debet non supponere aliud agens prius se vt euidens est, sed si DEVS non sit per se primo agens, supponet aliud agens prius se; quia si DEVS non est per se primo agens, ideo hoc

est, quia est agens per aliud, supposito enim quod non esset agens per aliud, esset agens per se primo; ergo si Deus non sit agens per se primo, ideo est quia est agens per aliud; ergo, istud aliud per quod aget, erit prius agens, quam Deus.

Et si dicas, quod illud, per quod Deus aget, erit forma propria, quæ non ponit in numero in ratione agentis cum ipso, vt pote pars intrinseca ipsius; & sic, licet Deus non agat per se primo, sed per aliud modo explicato, non tamen sequetur, ipsum non esse primum agens.

7. Contra, quia supposito, quod Deus non agat per se primo, sed per aliud, hoc est secundum explicationem datam, per formam propriam, tanquam per partem, sequitur quod Deus non sit amplius primum agens, & probatur, quia supposito, quod Deus agat per formam receptam in materia, sequitur, quod Deus supponat aliud agens prius se, à quo talem formam recipiat; & probatur, quia omnis potentia passiua essentialiter connotat potentiam actiuam, à qua formam recipiat, ad quam est in potentia; ergo potentia passiua materiæ, quæ erit in Deo respiciet essentialiter aliud agens, à quo formam illam diuinam recipiat, & consequenter Deus supponens tale agens, non erit amplius primum agens. Deinde cum materia sit imperfectissima inter omnia entia, non poterit non esse producta, & consequenter Deus secundum vtramque partem, qua constaret supponeret aliud agens prius se, à quo secundum se totum produceretur: & per hæc sufficienter probatur maior principalis argumenti vt satis patet.

Obiicitur contra illam rationem D. Th. quod ignis dicitur per se primo calefacere, etiamsi solum calefaciat per formam receptam; ergo similiter Deus poterit dici per se primo agere, licet per formam receptam agat.

Respondeo, cum Caiet. & Bannesio, negando consequentiam; ratio disparitatis est, quia vt ignis dicatur per se primo calefacere, sufficit quod conueniat ei calefacere, sub omni modo possibili agenti materiali vniuoco, si enim hoc modo ill calefacere conueniat, conueniet ei per se perseitate prima sui genueris, & cōsequēter cōueniet ei per se primo; vnde cum cuilibet agenti materiali conueniat agere solum per sui partem, per formam scilicet, propterea vt agere per se primo alicui agenti materiali conueniat, sufficit quod hoc illi conueniat perfectissimo modo quo possit per aliquam sui partem fieri, hoc est per formam secundum gradum eius specificum consideratam, sicut calefacere igni conuenire constat: at agere debet conuenire per se primo Deo: non aliqua perseitate prima, intra aliquod genus determinatum agendi, sed absolute, & aliqua perseitate prima, quæ congruat agenti primo vt sic, aliud agens prius se non supponenti, & consequenter debet agere per se primo, ita Deo conuenire, vt neque per aliquam partem sui, agere ei conueniat, sed per illud totū quod est, alioquin, vt ostensum est, non esset absolute primum agens, sed aliud ante se supponeret à quo formam quæ esset in eo principium agendi, recepisset.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus habeat, compositionem ex esse & essentia.

CONcl. vnica. non reperitur in Deo cōpositio esse & essentiæ. Probatur conclusio primò ex illo Exodi 3. Ego sum qui sum.

Deinde prob. ratione, non distinguitur in Deo esse ab essentia; ergo non est compositio esse & essentiæ in Deo. consequentia, est aperta quia ad compositionem requiritur distinctio inter extrema cōponentia. Probatur anteced.: illud quod est prima causa non potest habere esse distinctum à sua essentia; Deus est prima causa, ergo. Mai. prob. Si prima causa haberet esse distinctum ab essentia sua, deberet illud esse, esse causatum vel ab extrinseco, vel à principiis intrinsecis, quia illud esse esset receptum; ergo ab aliquo, quia (vt sæpius dictum est in præcedenti, & præsenti disp.) omnis potentia passiua & receptiua respicit aliquam potentiam actiuam tanquam suum correlatiuum, à quo actum recipit, cuius dicitur esse potentia passiua atque receptiua: sed esse non potest causari, aut ab extrinseco aut ab intrinseco in prima causa, ergo nullo modo, quod ab extrinseco causari non possit, prob. quia alioqui prima causa non esset amplius prima, neque ens à se, & non factum, neque ens necessarium, quæ omnia sunt absurda, ergo non potest esse causari ab extrinseco in prima causa.

Quod etiam ab intrinsecis principiis eius causari non possit, probatur triplici ratione, primo, quia nihil sibi potest esse causa essendi; illud enim quod causat, debet esse & existere, antequam sit effectus, si causet in genere causæ efficientis; ergo si esse, quod est in Deo, esset in eo causatum à principiis eius intrinsecis, præsupponerentur iam esse illa principia per aliud esse, & sic essent plures existentiæ in Deo. Secundo prob. quia cum principalis causa perfecte suum effectum contineat, principia illa Dei deberent actu perfecto continere ipsum esse, & existere Dei quod causarent, & sic essent ipsum esse Dei, vel formaliter, vel eminenter formaliter. quid ergo necesse esset, quod aliud esse in Deo causarent? etenim per seipsa possent facere, quod existeret Deus, quandoquidem existere, quod causarent, modo perfectiori, vel saltem æque perfecto in se cōtinerent.

Secundo tandem istud idem probatur, quia illud quod non continet actu esse, non potest causare esse: sed essentia, quæ distinguitur ab esse, nō continet actu esse: ergo non potest illud causare. Maior patet, quia vnumquodque agit inquantum est actu. minor prob. quia essentia quæ distinguitur ab esse, comparatur ad esse, vt potentia ad suum actum, cum essentia non existat nisi per esse: ergo non continet actu esse, sed solum potentialiter; ergo non potest producere esse, sed per aliud de potentia in actum essendi debet reduci.

Et si dicas, quod esse Dei fluet per dimanationem à principiis intrinsecis essentiæ ipsius. Contra. quia primo per hoc non soluuntur rationes adductæ. Deinde illud quod fluit ab intrinsecis principiis per dimanationē supponit actionem terminatam iam ad productionem essentię & esse, & propterea non mirum, quod essentia

creata possit hoc modo causare suas proprietates, cum supponat iam esse, & actionem producentis, à quo pro ducta est: at essentia diuina non supponitur esse, antequam existat, nec supponit aliquam actionem priorem se, à qua potuerit produci, & ex vi cuius potuerit effundere ex se per dimanationem suum esse; ergo ex essentia Dei existentia eius fluere non poterit.

Probatur 2. nostra conclusio. Deus est purus actus: ergo non habet essentiam distinctã ab esse, quia si esset distincta ab esse, cõpararetur ad illud tanquam potentia ad actum, ergo nõ esset purus actus. Antec. probatũ est quæstione præced. & prob. adhuc quia si Deus non est purus actus, includit aliquam potentialitatem; ergo reducetur in actum per aliquid, quod sit actu tale, & sic Deus non erit prima causa, sed habebit aliam priorem se, à qua talem actum recipiet.

Probatur tertio, quia quæ sunt distincta, non possunt vniri ad inuicem nisi per aliquod vnum, quod illa duo simul coniungat; ergo si esse & essentia Dei distinguerentur adinuicem, deberent esse & essentia Dei ab aliquo alio vniri; ergo Deus non esset amplius prima causa. Anteced. patet, quia multa non possunt reduci ad vnum, nisi per aliquod vnum. Videatur D. Th. 1. contra Gent. c. 22. & 1. p. qu. 11. a. 3.

Probatur quarto, si Deus haberet esse distinctum ab essentia sua, & in ea receptum, sequeretur quod esse limitatum & finitum ei conueniret, non autem esse infinitum, & consequenter Deus non esset Deus, nec illud, quo maius concipi non potest prob. sequela maioris, ex qua cæteræ euidẽter inferuntur. quia quodlibet limitatur per suũ oppositum; ergo actus limitatur per potentiam; ergo esse receptum in essentia tanquam in potentia sua, limitabitur atque finietur ab ea.

Confirmatur, quia Deus habet esse per essentiam & non per participationem; ergo non potest Deus habere esse distinctum ab essentia sua, probatur ista consequentia, quia vt aliquid habeatur per essentiam, vel illud debet esse de essentia, vel saltem ab ea dimanare per modum cuiusdam proprietatis; sed si esse distinguitur ab essentia in Deo, nec esse erit de essentia eius, quia erit extra essentiam ipsius, nec fluet etiam à principiis eius essentialibus, quia deberet supponere actionem alterius agentis prius terminatam primario ad essentiam Dei, quod tamen fieri non potest, vt ostensum est. ergo.

Confirmatur vltimo, quia si esse in Deo distingueretur ab essentia eius, sequeretur, quod esse posset à Deo separari, & consequenter Deus non esset ens necessario existens. Prob. prima sequela. Si esse ab essentia Dei distinguitur: ergo esse non est essentiale Deo, vt pote extra essentiam eius; ergo erit ei accidentale; ergo separabile ab illo, quia accidens potest à subiecto separari: quod si esse, à Deo est separabile, ergo Deus non est amplius ens, cui necessario existere conuenit, quia quod alicui necessario conuenit, semper & inseparabiliter ei conuenit.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus sit compositus ex genere & differentia.

Resolutio quæstionis.

§. I.

Affirmatiuam sequuntur nominales in 1. dist. 8. dicunt enim Deum contineri sub genere substantiæ; ita Gregor. vbi supra quæstio. 3. articulo 1. Gabriel quæstio. prima & alij.

10. Conclusio tamen communis, est negatiua; ita D. Th. 1. p. q. 5. art. 5. & cap. 6. de ente & essentia, primo contra Gentes cap. 17. & 25. & alibi passim. D. Dionysius cap. 1. de diuin. nominibus. Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum ca. 5. vbi habet ista verba, *quomodo enim dici poterit, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque indiuiduum* & August. lib. de cognitione veræ vitæ c. 3. recensitis decem prædicamentis, subdit, *His quippe decem cuncta humana conditio includitur, & ab his omnibus proprietas summæ essentiæ euidenti ratione penitus excluditur.* Et lib. 7. de Trinit. cap. 5. idem dicit. Tandem in hac conclusione conueniunt omnes Theologi, quamuis aliquibus non placeant rationes D. Tho. quas tamen efficacissimas esse ostendemus.

Probatur ergo conclusio ratione prima qua vtitur D. Tho. Deus est actus purus; ergo non componitur genere & differentia: antecéd. patet, probatur cõsequentia: genus dicit potentiam perfectibilem per differentiam; ergo si Deus est actus purus, impossibile est, quod possit fundare naturam generis, quia purus actus excludit omnem potentialitatem.

Et si dicas, quod purus actus excludit solum à se potentiam realem, non autem potentiam rationis, qualis est illa, quæ generi in comparatione ad differentiam conuenit.

Contra. quia licet genus sit solum potentia rationis, si consideretur secundum distinctionem quam dicit potentia à suo actu (genus enim à sua differentia realiter non distinguitur, sed solum ratione) tamen natura generis per se exigit, vt sit potentia realis ad esse, vt ostendetur statim.

11. Deinde, dato quod genus non deberet habere potentiam realem ad esse, nec ab eo realiter distingui, tamen non deberet adhuc in Deo poni, vt probat efficaciter ratio D. Th. actus enim purissimus, qualis est Deus, debet excludere à se quamcumque potentialitatem etiam rationis, si illa sit in re fundata, sicut est potentia generis, & probatur, quia actus puritas, quæ est in Deo, est infinita, & qua maior excogitari non potest; at si in Deo esset verum fundamentum ad ponendam potentiam rationis, Deus nõ esset actus infinite purus, & quo maior excogitari non potest, quia certe actus ille, qui excluderet adhuc illam potentiam esset purior & maior; quo enim actus magis elongatur & absoluit à potentia, eo maior & purior est, cum quo vnum oppositum magis à suo opposito recedit, eo magis in sua natura perficiatur; ergo cum actus qui nullum

nullum præstat ex se fundamentum ad potentiam rationis, magis recedat à potentia, & minus de ea in se contineat, quam actus, qui præstat tale fundamentum ex parte sui; si Deus ex parte sui præstet tale fundamentum, profecto non erit actus ita purus, ac si tale fundamentum non præstaret; & sic non erit actus infinite purus, & quo purior excogitari non potest.

Confirmatur. quia fundamentum ad illam potentiam rationis; est aliquid potentiæ: ergo si Deus in se & ex parte sui præstet fundamentum ad talem potentiam, non erit actus purissimus, & quo purior, & actualior excogitari non potest, quia non se purgabit à tali fundamento potentiæ, quod est veluti potentia in semine.

12. Probatur secundo alia ratione D. Tho. Si Deus componeretur ex genere & differentia; vel illud genus, ex quo componeretur, esset ens, vel substantia: neutrum dici potest: ergo. Et primo quidem, quod non possit esse substantia, prob. quia genus substantiæ definitur, quod sit ens, cui competit esse per se, id est, ens, quod habet potentiam ad esse per se, certum est autem, quod talis ratio substantiæ Deo conuenire non potest, cum Deus nullam habeat potentiam passiuam ad esse per se, sed sit potius ipsum esse per se; ergo non poterit substantia exercere rationem generis in comparatione ad Deum. quod etiam ens non possit esse genus respectu ipsius probatur, quia genus debet esse extra suas differentias, & in eis non includi, at ens includitur in quocumque rei conceptu; ergo ens non potest, vt genus ad Deum comparari.

Confirmatur hæc ratio alia qua vtitur Suares in sua Metaph. disp. 30. sect. 4. impossibile est quod essentia infinita constet genere & differentia; ergo cum essentia Dei sit infinita, non poterit constare genere & differentia: consequentia patet, probatur antecedens. Impossibile est id quod est infinitum in aliquo ordine, constare ex duabus rationibus finitis & limitatis in eodem ordine; sed genus & differentia sunt quid finitum & limitatum in ratione entis: ergo impossibile est quod componant vnam essentiam infinitam in ratione entis; ergo cum essentia diuina debeat esse infinita in ratione entis, impossibile est quod possit ex genere & differentia componi. Maior est certa, quia ex rationibus finitis nil nisi finitum fieri potest. Prob. minor, quia genus & differentia se inuicem excludunt in suis conceptibus; ergo conceptus differentiæ non includit rationem entis, quam continet conceptus generis, nec è conuerso genus rationem entis quam continet differentia: ergo quælibet ex istis duabus rationibus est finitæ & limitatæ perfectionis in ratione entis, & non infinitæ; cum infinitum sit illud quo maius concipi non potest in eo ordine in quo est infinitum: licet ergo intellectus noster, ex imperfecto modo cognoscendi quem habet, prius concipiat in Deo rationes communes, quam particulares, non tamen propterea rationibus illis communibus, & particularibus, rationem generis & differentiæ debet attribuere, quia nimirum omnes rationes quæ sunt in Deo, se se inuicem transcendunt, eo modo quo ens vnum, verum & bonum, & propterea etiam quælibet de alia formaliter prædica-

tur, quia cum quælibet sit suum esse, & ens à se debet consequenter quælibet esse infinita in ratione entis, & alteram ex consequenti includere, vt sibi in ordine entis, in quo dicitur esse infinita, nihil illius ordinis perfectionem aliquam dicens, deficiat.

13. Probatur tertio, conclusio ratione tertia D. Thomæ, qua tanquam efficacissima sæpius vtitur S. Doct. vtitur enim ea citato primæ partis articulo primo. contra Gentes cap. 25. & cap. 6. de ente & essentia, quamuis ab aliquibus propter eius celsitudinem & subtilitatem non percipiatur, & ab eis idcirco impugnetur. Vt ergo magis eius efficacia appareat, in formam eam sic reducimus.

Illud omne quod constat genere & differentia, debet habere existentiam distinctam à sua essentia: at impossibile est quod existentia Dei sit realiter distincta ab essentia ipsius: ergo. Minor est certa de fide, Deus enim est suum esse, iuxta illud Exodi tertio, *Ego sum qui sum*, & hoc est sufficienter probatū quæst. præced. Maior autem proposita est sub illis terminis, quia licet non dubitem Ferrariensem primo contra Gentes dicere, ad efficaciam rationis huius sufficere quod esse distinguatur saltem ratione ab essentia, & hoc modo sanctum Doctorem interpretatur, quando dicit esse distingui ab essentia in iis, quæ constant genere & differentia, tamen communior sententia Thomistarum est, D. Thomam velle aliquid amplius, & mentem ipsius esse, asserere, quod de facto esse debet realiter distingui ab essentia in eis. Videatur de hac re Nauarrete contro. 20. paragrapho primo. hoc posito ad probationem maioris accedamus.

Illud quod constat genere & differentia debet esse tale, vt per differentiam designet & determinet genus ad aliquem specialem & determinatum modum existendi, generi non conuenientem præcise ex ratione generis, differentia enim est extra rationem generis, quod actuat, & consequenter debet differentia contrahere genus ad aliquem specialem modum essendi, quem non haberet manendo intra sola generis principia: sed vbi existentia non est realiter distincta ab essentia, impossibile est quod differentia hoc præstet. & probatur: quia

14. Impossibile est, quod differentia limitet aut contrahat genus ad aliquem modum specialem essendi, nisi iam genus sit limitatum, & determinatum in ordine entis: sed vbi existētia non distinguitur realiter ab essentia, ratio quæ posset vocari generica, non potest esse limitata in ordine entis: ergo. Maior probatur, quia prius est aliquid esse determinatum in ratione entis, quam esse determinatum sub tali genere entis, & ad talem modum essendi specialem: sicut enim particulare supponit vniuersale, ita habere determinationem & limitationem in suo modo essendi supponit absolute limitationem & determinationem in ratione entis.

Deinde omnis modus debet esse eiusdem ordinis & rationis cum entitate, cuius dicitur esse modus, & maxime si ille modus sit enti connaturalis, sicut est differentia; ergo determinatus & limitatus modus

essendi, qui prouenit generi ab aliqua differentia, debet esse modus entis iam limitati & determinati in ratione entis Minor autem probatur, quia vbi essentia & existentia non distinguntur realiter, ibi essentia non est potentia passiua respectu existentiæ: at vbi essentia non est potentia passiua existentiæ, ibi ratio, quæ fingitur generica, non potest in ratione entis esse determinata atque limitata. ergo. Maior est certa, minor probatur, quia genus est de ratione intrinseca essentiæ & identificatum realiter cum quibuscunque aliis rationibus essentialibus; ergo vbi essentia non distinguitur ab existentia, ibi etiam ratio quæ fingitur generica, ab existentia non distinguetur; ergo talis ratio habebit esse irreceptum, illimitatum & infinitum, quia actus non limitatur nisi per potētiam tanquam per suum oppositum; ergo cum existere sit actus vniuersalissimus in ordine entis, si non recipitur in essentia tanquam in potentia, à qua limitatur & coarctetur, erit proculdubio actus purissimus & infinitus simpliciter in ordine entis, omnemque in se continens actuum omnium perfectionem, & ex consequenti res illa quæ erit tale esse, incapax erit, quod vlterius ab aliqua differentia possit actuari. Videatur Caiet. c. 5. de ente & ess. q. 10. vbi ostendit eum D. Th. esse irreceptum, in ordine entis esse infinitum.

15. Confirmatur ista ratio, vbi essentia non distinguitur realiter ab existentia; ibi non potest ratio quæ ponitur tanquam differentia esse extra rationem aliam quæ ponitur tanquam genus; ergo cum genus & differentia se inuicem in propriis conceptibus excludant, itaut conceptus differentiæ, sit extra conceptum generis, & è conuerso, non poterunt istæ duæ rationes inueniri in essentia, quæ ab existentia realiter non distinguitur, consequentia est clara.

Probatur antecedēs quia ordo ad existentiam conuenit essentiæ ratione entis, existentia enim est actus proprius entis; ergo si essentia ita ordinatur ad existentiam, vt illam sibi realiter identificet, hoc erit ex ratione entis quam participat, quæ tantæ est perfectionis, vt sit suum esse, & existentiam sibi realiter identificet; ergo quando illa ratio entis descendet ad rationes minus vniuersales, descendet ad eas cum illa identificatione reali cum existentia, eamque illis essentialiter communicabit: sicut enim quia ens creatum est solum potentia ad esse, ideo descendendo ad gradus minus vniuersales communicat illis solum potentiam ad esse, ita similiter, quando ens erit suum esse, & identificabit sibi illud realiter, descendendo ad gradus minus vniuersales, identificationem cum esse illis communicabit, facietque illos esse suum esse: ergo cum ens quod est suum esse, infinitas perfectiones in se includat actu, tale ens consequenter descendet ad gradus minus vniuersales, vt actu in se præcontinens omnem omnino perfectionem & actualitatem, & consequenter vt iam includens actualitatē & perfectionem cuiuscumque differentiæ, seu rationis quę cōcipitur per modum differentiæ: non autē vt quid actuabile & perfectibile per modum generis ab ea: si enim ens est tantæ

perfectionis, vt esse, quod est vniuersalissimus & perfectissimus omnium actuum sibi essentialiter identificet, certe & omnes actus, qui mediant inter ens & existentiam, sibi quoque essentialiter identificabit, & consequenter omnes rationes differentiales seclusis earum imperfectionibus; quia quod includit plus, includit & minus in eodem ordine. Et potest hoc probari vlterius clarissimè, quia ens dicit conceptum cuiuscumque rei implicite, & propterea de quacumque re prædicari potest: ergo si existentia realiter identificetur cum ente essentialiter sumpto, existentia trahet omnia ad conceptum entis actu, nec sinet ea in eo solum potētialiter contineri, sed constituet ea in ipso ad modum quo continetur in eo, hoc est ad modum actus, & seclusa quacumque imperfectione potentialitatis.

16. Confirmatur, quia si Deus constat genere & differentia, oportet quod in genere conueniat cum creaturis; quod tamen esse impossibile, probatur; quia existentia est extra totam essentiam creaturæ: ergo cum genus sit de essentia rei, existentia debet necessario esse extra rationem generis in creatura: ergo si Deus conueniat in genere cum creaturis, existentia Dei erit extra rationem talis generis; ergo existentia & genus Dei erunt formaliter quid finitum & limitatum in ratione entis.

Prob. conseq. vltima, cæteræ enim sunt satis apertæ. Illa quæ sunt infinita in ratione entis, nullam debent excludere rationem entis à suo conceptu formali (maxime si talis ratio sit absoluta & nullam imperfectionem inuoluat) quia infinitum, vt dictum est sæpius, est illud quo maius concipi non potest, & cui non potest fieri additio in illo ordine in quo est infinitum. Ergo si existentia Dei nōn dicit in suo conceptu formali rationem genericam Dei, neque ratio generica existentiam, nulla ex istis rationibus erit infinita, sed quælibet finita erit atque limitata in ordine entis: quælibet enim perfectior esset, si vna alteram includeret.

Dices ad hoc, vt ratio generica ponatur in Deo, non esse necesse, quod illa ratio sit communis creaturis: ergo nulla est confirmatio immediate iam facta. Consequentia est clara, probatur anteced. quia adhoc vt aliqua natura Angelica, in specie atoma considerata, possit suscipere communitatem speciei prædicabilis & vniuersalis, sufficit quod ex modo, quo concipitur à nobis, ita comparetur ad indiuiduum proprium, ac si de facto plura sub se contineret indiuidua, vt ostendunt PP. N. Complut. in sua Logica disput. 6. quæstio. quarta: ergo similiter, vt aliqua ratio communis communitate generica ponatur in Deo, sufficit quod ex modo nostro concipiendi ratio illa ita comparetur ad Deum, ac si de facto essent plures Dii, specie distincti, qui in illa ratione cum eo conuenirent.

17. Respondeo negando anteced. ad cuius probationem respondeo primo quod anteced. non caret sua difficultate; non desunt enim Thomistæ, qui contrarium sentiant, quia tamen hæc sententia est P P. Nostrorum loco

citato; & magis comuniter recipitur in Schola D. Th. ideo conceditur antecedens & negatur consequentia ratio disparitatis est, quia natura Angelica constat genere & differentia, & est vera potentia realis ad esse, à quo realiter distinguitur; vnde non mirum, quod possit ex modo nostro concipiendi considerari, ad instar ponentiæ, & per modum speciei vniuersalis & prædicabilis; at natura diuina est essentialiter actus purissimus, carens omni potentialitate, & consequenter excludens à se omne fundamentum ad quemcumque gradum vniuersalem tam genericum quam specificum.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur ex D. Augustino 5. de Trinit. cap. 18. & serm. 35. de Tempore, & ex Damasceno in elementario cap. 8. in Deo sunt duo prædicamenta proprie, nempe substantia & relatio, licet alia non sint. Ergo.

Respondeo mentem illorum SS. Patrum esse solum ostendere, licet quantitas, qualitas, & aliæ rationes significatæ per altera prædicamenta, non sint proprie & formaliter in Deo, rationes tamen substantiæ, & relationis in eo proprie & formaliter reperiri; quamuis in illis rationibus, vniuoce cum creaturis Deus non conueniat, sed solùm analogicè: vt enim vidim⁹ initio huius quæstionis, D. Aug. expresse negat vllum prædicamentum creaturis conueniens, Deo competere, cùm quidquid est in creatura, sit creatum.

Obiicitur, datur in Deo distinctio rationis: ergo poterit etiam in eo dari compositio rationis generis & differentiæ.

Respondeo negando consequentiam, quod enim Deus præstet fundamentum ad distinctionem rationis, hoc prouenit ex eius summa perfectione, quæ tanta est, vt simul & vnico conceptu à nobis cognosci non possit; vbi si præstaret fundamentum ad compositionem rationis, hoc argueret imperfectionem in Deo, quia argueret aliquam esse in Deo potentiam.

Obiicitur: vbi plura vniuntur ad inuicem, ibi est compositio: sed in Deo plures personæ vniuntur ad inuicem in vnitate naturæ: ergo in Deo est compositio: ergo talis compositio poterit esse fundamentum ad compositionem generis & differentiæ.

Respondeo distiguendo maiorem; si vniantur ad inuicem per modum actus & potentiæ, concedo: si non vniantur hoc modo, sed modo alio eminentiori, qualis est ille quo personę diuinę vniuntur ad inuicem, identificando scilicet illud sibi in quo formaliter vniuntur, nempe essentiam diuinam, nego maiorem: ex quibus sequitur euidenter Deum esse perfectissime simplicem, nullamque in se compositionem etiam rationis admittere.

QVÆSTIO IV.

Vtrum simplicitas sit perfectio simpliciter

Resolutio & quæstionis.

18. SVppono ad intelligentiam huius quæstionis, quod simplicitas potest considerari duobus modis, vel secundum modum illum essendi, quem habet in creaturis, vel secundum se, & prout à tali modo limitato præscindit.

Notandum est secundo, tanquam aliquid certum apud omnes, quod simplicitas dicit negationem compositionis, sed vtrum dicat solum pro formali negationem illam, & pro materiali entitatem importet, est controuersia, in cuius decisione tota difficultas præsentis dubij huius consistit.

His positis prima sententia est Caietani de ente & ess. cap. 2. Nazarij supra quæst. 3. 1. p. a. 7. controu. vnica, quos alij plerique sequuntur, qui dicunt simplicitatem pro formali meram negationem compositionis dicere, & consequenter pro formali non esse perfectionem.

Secunda sententia est huic opposita, & asserit simplicitatem pro formali non esse solum negationem: sed esse aliquid positiuum, negationem includens, & consequenter perfectionem esse. Et in ista sententia est Ledesma, quæst. secunda de perfect. diuin. art. 5. Scotus in primum dist. 8. quæst. prima, quam probabilem etiam tenet Zumel, prima parte, quæst. 3. art. 7. propter plerosque, inquit, insignis notæ Theologos, qui eam amplectuntur. Et hęc verior videtur esse sententia, quę sequentibus declaratur conclusionibus.

Conclusio prima, si consideretur simplicitas secūdum modum, quem habet in creatis, nō est perfectio simpliciter simplex. Hæc conclusio nullam patitur difficultaté; nam in confesso est apud omnes, quod omnes perfectiones, quæ sunt in creaturis, inuoluunt aliquam imperfectionem, secundū modū essendi quem habet in eis, & cōseq. non possunt secūdum illum modū essendi, esse perfectiones simplices: ergo simplicitas secundum illum modum essendi, non erit perfectio simpliciter simplex.

2. Conclusio secunda. Simplicitas secundū se & ex genere suo est perfectio, & cōsequenter simplicitas de formali non dicit solū negationem compositionis, sed aliquid etiā positiuū. Secunda pars conclusionis euidenter sequitur ex prima: certum est enim quod negatio non dicit formaliter perfectioné, & cōseq. si simplicitas dicit formaliter perfectionem debet de formale positiuum aliquid dicere.

Prima pars ergo probatur ex D. Th. 2. contra Gent. cap. 14. vbi dicit *quod quanto aliquid est magis simplex, tanto est maioris virtutis*: ergo si sit aliqua virtus in simplicitate, oportet quod non sit solū negatio, sed aliquid positiuum, & aliqua perfectio, cùm virtus in aliqua perfectione fundetur; & primo cōtra Gentes, c. 18. dicit quod *in quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius*. Et qu. 20. de verit. art. 2. ad tertium dicit ex D. Dionys. cap. 5. de diuin. nom. Quod *participationes quanto*

sũt simpliciores, tãto sunt perfectiores.

Probatur ratione, illud quod prædicatur formaliter de Deo per modum alicuius absoluti, debet includere perfectionem: sed simplicitas prædicatur formaliter de Deo, per modum alicuius absoluti: ergo. Minor est certa, & euidens, quia simplicitas non est aliquid relatiuum: ergo cum prædicetur de Deo, prædicabitur de eo per modum absoluti.

Probatur maior: Quia illud, quod prædicatur de Deo formaliter, per modum alicuius absoluti, debet esse in eo, maxime si non solùm in tempore, sed semper de eo prędicetur, sicut simplicitati conuenit: ergo cum illud, quod est in Deo per modum alicuius absoluti dicat perfectionem, illud quod per modum absoluti prædicabitur de eo, dicet perfectionem.

20. Respondet Nazarius, quod simplicitas prædicatur solùm de Deo per modum prædicati negatiui, & non vt quid positiuum, & consequenter, quod simplicitas non est perfectio.

Contra, quia prædicata negatiua, quæ Deo tribuuntur, non prædicant solum aliquid negatiuum de Deo, sed aliquid positiuum: quando enim prædicatur de Deo, quod sit immensus, non prædicatur solùm negatio, alicuius commensurationis à loco, sed vere prædicatur de eo aliqua perfectio, ratione cuius talis commensuratio ei repugnet: & similiter quãdo prædicatur de Deo, quod sit increatus, non prædicatur solũ negatio creationis de eo, sed vere prædicatur aliqua perfectio, ratione cuius repugnat ei creari, & esse ab alio: ergo à pari, quãdo prædicatur de Deo, quod sit simplex, non solum negatio compositionis, sed aliqua perfectio vera realis entitatiua, & absoluta, prædicatur de eo, ratione cuius repugnat ei compositio; vnde sicut immensitas, infinitas, & alia huiusmodi prædicata negatiua, quæ Deo tribuuntur, non significant solam negationem imperfectionis alicuius, ex intentione imponentis significationẽ, & quantum ad rem significatam, sed aliquid positiuum: quamuis ex modo significandi, & quantum ad id, vnde imposita est significatio nominibus istis negationem significent: ita simplicitas non solam negationem; sed vere aliquid positiuum importat, significatum tamen, & expressum nobis per aliquid negatiuum, ex eo quod scilicet perfectionem illam, secundum quod est in se cognoscere non possumus.

Confirmatur. Quia ex Nazario, sicut se habet vnitas ad negationem diuisionis: ita simplicitas ad negationem compositionis; sed vnitas non dicit solam negationem diuisionis, sed vlterius includit aliquid positiuum, vt ostendemus infra disput. 21. num. 2. & 3. ergo simplicitas non dicet solum negatiotionem compositionis, sed aliquid positiuum etiam includet: ergo & perfectionem.

Confirmatur secundò, imperfectio dicit formaliter negationem perfectionis, sed compositio includit formaliter aliquam imperfectionem: ergo & negationem alicuius perfectionis: sed illa perfectio, cuius formaliter negationem dicit compositio, quatenus compositio, est simplicitas: ergo simplicitas est perfectio. Minor subsumpta, in qua tota consistit difficultas, proba-

quia id quod negat formaliter compositio, inquantum compositio, est id quod est sibi oppositum: ergo cùm simplicitas sit opposita compositioni vt sic, illa perfectio quam negabit compositio erit simplicitas, & sic simplicitas erit perfectio formaliter.

21. Probatur secundò conclusio, illud per quod distinguitur simplicitas à compositione, vt sic debet esse id per quod constituitur formaliter simplicitas: sed simplicitas nõ distintur per negationem tantum à compositione ergo simplicitas non constituitur formaliter per meram negationem. Maior est certa, quia id, per quod vnum oppositum distinguitur ab altero opposito formaliter, debet esse id per quod constituitur, cum distinctiuũ & constitutiuũ sint vnum & idem: ergo cum simplicitas habeat compositionem pro suo opposito, illud per quod ab ea distinguetur, erit simplicitatis cõstitutiuũ.

Probatur minor; illud per quod simplicitas excludit compositionem, & cum ea repugnantiam formalem habet, est id per quod à compositione distinguitur: sed simplicitas excludit directe compositionem, & cum ea formalem habet repugnantiam, non tantùm ratione negationis, sed maximè ratione entitatis, in qua fundatur: ergo. Maior est certa; minor probatur, quia vt dictum est disp. 8. quæst. 2. num. 14. & 15. omnis negatio repugnantiæ, qualis est illa quam habet simplicitas, respectu compositionis, fundatur formaliter in ente, quod incompossibilitatem essentialemque repugnantiam dicit cum illo ente, quod negatio illa repugnãtiæ negat: ergo simplicitas excludit formaliter compositionem, & repugnantiam intrisecam, quam habet cum ea, per entitatẽ illam, quæ est fundamentum negationis per quam negat compositionem.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur ex D. Th. in quartum dist. 11. quæst. 2. a. 1. quæstiũcula 2. ad primum, vbi dicit quod simplicitas per se non est causa nobilitatis, sed perfectio: *Vnde*, inquit D. Th. *vbi perfecta bonitas inuenitur in vno simplici, simplex est nobilius, quam compositum: quando autem è conuerso simplex est imperfectum, compositum verò perfectum, tunc compositum est nobilius quam simplex, sicut homo est nobilior terra.* Vbi, vt apparet, D. Th. distinguit simplicitatem, contra perfectionem, & ait hanc esse causam nobilitatis in entibus, non autem simplicitatem: ergo secundum mentem S. Doctoris simplicitas non est perfectio.

22. Respondeo quod D. Th. se satis explicat: vult enim solum ex sola simplicitate petendam non esse nobilitatem, quam habent aliqua entia præ aliis entibus, sed eam etiam debere attendi ex perfectione, id est ex abundantia perfectionis, seu ex participatione plurium perfectionum diuinarum, & propterea illud ens, quod plures perfectiones Dei participabit, fore perfectius, licet sit magis compositum. Falsum est ergo D. Th. distinguere simplicitatem contra perfectionem absolute sumptam, quasi velit negare nullam perfectionem in simplicitate includi,

sed

sed solum vult negare mensuram nobilitatis, quæ est in ente à sola maiori simplicitate petendam esse, cum nobilitas speciei non ex ea solum, imo maxime ex maiori perfectione, hoc est ex participatione ac continentia plurimarum perfectionum ortum & originem ducat: ex quo patet quod diuus Thomas non sumit in illo loco perfectionem pro perfectione absolute sumpta, sed pro maiori perfectione, seu pro perfectione comparatiue sumpta, quam negat semper maiorem esse in simplicibus. Et quod iste sit legitimus sensus diui Thomæ, & nullo modo extortus, patet ex ipso contextu, & ex eo quod per eum intenditur, vt statim intuenti patebit.

Obiicitur si simplicitas esset perfectio, oporteret quod vbicumque esset, ibi esset perfectio: atqui falsum est quod vbicumque est simplicitas, ibi sit perfectio, quia materia prima est simplex, cum secundum entitatem suam non sit composita, & tamen materia prima nullam dicit perfectionem, cum perfectio sumatur ab actu, ergo. Deinde relatio dicit etiam negationem compositionis secundum suam essentiam, & tamen relatio nullam dicit perfectionem, ergo non reperitur semper ibi perfectio, vbi reperitur simplicitas

Respondeo, quod qualis est illa entitas in qua reperitur simplicitas, talis est etiam perfectio simplicitatis, vnde in materia prima habet simplicitas perfectionem naturæ materiæ primæ conuenientem, & quia materia prima est pura potentia, simplicitas quæ erit in materia prima, erit perfectio secundum quid, materialis scilicet, & potentialis, & quando dicitur quod perfectio petitur ab actu,

Respondeo hoc esse intelligendum de perfectione quæ dicitur talis simpliciter, seu de perfectione specifica totius, non autem de perfectione secundum quid, & quæ parti præsertim materiali conuenit.

Ad illud autem quod obiicitur de relatione; Resp. relationem realem esse perfectionem, licet enim secundum conceptum Ad, non exprimat perfectionem, quia per, Ad, quod exprimit non respicit explicite subiectum per modum saltem inhærentis, sed potius versus terminum tendit, semper tamen includit implicite in & sic ratione illius dicit implicite perfectionem, secundum autem esse Ad modum perfectionis: ex quibus patet simplicitatem in creaturis omnibus dicere aliquam rationem perfectionis.

Quod si quæras quam perfectionem simpliciter dicat in Deo? Respondeo quod sicut DEVS est actus purissimus excludens à se omnem rationem compositionis tam actiuæ quam passiuæ (neq; enim Deus componitur, aut cum alio per modum partis compositionem facere potest) ita omnimodam perfectionem dicit eius simplicitas, & consq. perfectionem simpliciter simplicem.

Obiicitur, sicut se habet vnitas ad negationem diuisionis & multiplicitatis, ita simplicitas ad negationem compositionis: ergo sicut vnitas addit solum supra ens negationem diuisionis, ita & simplicitas negationem compositionis: ergo pro formali dicet solum negationem.

Respondeo, transeat primum enthymema & nego conseq. subsumptam; imo ex ista comparatione efficax deducitur argumentum ad ostendendum, quod simplicitas non di-

est solum pro formali negationem, vt vidimus, quia licet vnitas addat solum supra ens negationem, non tamen propterea solam negationem in suo formali conceptu dicit, imo connotatiue solum, & in obliquo negatio in vnitate importatur, & in recto ipsamet entitas, prout formaliter est fundamentum prædictæ negationis, vt infra disput. 21. quæst. 1. videbitur. Ergo cum eodem modo de simplicitate philosophandum sit ex ipsis etiam aduersariis, si simplicitas compositionis negationem importat, hoc erit solum in obliquo, & ad instar modi simplicitatis; ipsa verò entitas rei prout formaliter est fundamentum talis negationis, erit ratio formalis, per quam in recto constituetur.

Ex his omnibus, quæ in hac quæstione dicta sunt, sufficienter satisfit illi quæstioni, qua quæritur, an simplicitas Dei sit attributum eius, sumendo nomen attributi, secundum quod dicit aliquid per modum proprietatis aduenientis Deo post essentiam constitutam secundum modum nostrum concipiendi.

Dicimus enim quod contrariorum est eadem ratio, vnde sicut compositio in compositis rationem proprietatis non habet, sed ad ipsam compositi substantiam pertinet; ita & simplicitas Dei secundùm positiuum quod importat, ad ipsammet Dei substantiam pertinere videtur.

DISPVTATIO XI.

DE PERFECTIONE DEI.

REiecimus à Deo in præcedenti disputatione imperfectiones creaturarum, examinandum est in in præsenti, vtrum contineat earum perfectiones, & quonam modo.

QVÆSTIO VNICA.

VTRVM IN DEO SINT PERFECTIONES OMNIVM rerum formaliter, vel solum eminenter.

§. *I. Aliqua prænotantur ad intelligentiam.*

ADVERTENDVM est primò ad intelligentiam quæstionis; quod duplex est perfectio; alia, quæ dicitur simpliciter simplex; alia, quæ dicitur perfectio secundum quid: perfectio simpliciter simplex est illa quæ nullam in suo proprio conceptu imperfectionem inuoluit, vt sapientia, quæ licet secundum modum essendi quem habet in creatis sit qualitas, accidens, multasque alias imperfectiones post se trahat, ab illis tamen ex proprio suo conceptu sapientiæ absoluit, cum ex vi ipsius solum cognitionem rei per altissimas causas dicat. Perfectio verò secundum quid est illa, quæ in suo conceptu, quantumuis abstracto, semper imperfectionem aliquam claudit, vt moueri, & ratiocinari.

Aliis verbis membra huius diuisionis, ab Anselmo in monologio, cap. 14. explicantur: dicit enim, quod perfectio simpliciter simplex est ea, quæ in vnoquoque melior est ipsa quam non ipsa, seu quam in vnoquoque melius est esse quam non esse; quam definitionem, sic explicat

Caietanus cap. 2. de ente & essentia dicens, quod perfectio simpliciter simplex melior & cõuenietior est vnicuique enti, quatenus ens est, quam eius contradictorium, vt viuere & intelligere, licet enim lapidi non sit melius viuere, quam non viuere, si lapidem, quatenus lapis est, consideres; si tamen lapidem spectes, quatenus ens est, melius, & conuenientius esset ei viuere, quam non viuere.

Perfectio autem in genere determinato, seu secundum quid, est ea, quæ enti vt sic conuenientior non est, licet tali enti, vt est tale ens, sit melior & conuenientior. Verbi gratia ratio illa per quam lapidi repugnat esse viuentem, est illi conuenientior, quatenus lapis est, quam negatio talis rationis; & tamen melius esset ei, si spectetur in ratione entis vt sic, non habere talem rationem repugnantiæ ad vitam.

2. Ex his sequitur duas conditiones requiri ad perfectionem simpliciter simplicem. Prima est, quod sit quid reale, defectu cuius entia rationis, priuationes, & negationes non possunt esse perfectiones simpliciter simplices. Secunda conditio est, quod dicat compatibilitatem, quantum est ex se, & ex proprio conceptu, cum quacumque alia perfectione simpliciter simplici, aut cum quacumque alia, quæ non includit imperfectionẽ: & ratio est euidẽtissima.

Primò: quia nullam debet talis perfectio imperfectionem includere, vt diximus, quod tamen non esset, si diceret incompossibilitatem cum quacumque alia perfectione, quæ imperfecta non est; ex hoc enim manifeste sequeretur, quod infinita esse non posset in ratione entis; & consequenter limitationem & imperfectionem diceret.

Secundò illud idem probatur: quia perfectio conueniens enti vt sic, debet esse proportionata & aptata naturæ entis vt sic; ergo sicut enti vt sic, non repugnat vnio cum quacumque perfectione simpliciter simplici; ita talis debet esse propria eius perfectio, vt & eadem vnio, & compossibilitas cum qualibet alia perfectione simpliciter sibi non repugnet: alioquin perfectio illa non esset conformis naturæ proprij subiecti, nec eius modum sequeretur.

Ex hæc conditione, quidam doctores inferunt relationes in diuinis non esse perfectiones simpliciter simplices, quia, inquiunt, vna relatio alteri opponitur, & cum ea incompossibilitatem identificationis, dicit in esse relationis.

Sed facile præsens obiectio soluitur, quia vt aliquid sit perfectio simpliciter simplex, aut modus ipsius, sufficit, quod taliter enti conueniat, vt in ratione entis compossibilitatem, dicat cum quacumque alia ratione quæ non claudit imperfectionem in suo conceptu: at taliter inter se opponuntur relationes in diuinis, secundum esse Ad relationis, vt tamẽ compossibilitatem, & identificationẽ realẽ in ratione entis dicant ad inuicem: relationes enim personales non sunt tria entia, sed vnum ens: vt in tractatu de Trinit. à Thomistis comuniter asseritur: ergo realis oppositio, quã habent inter se relationes diuinæ, non potest tollere ab eis, quod sint perfectiones simpliciter simplices, aut saltem modi perfectionis simpliciter simplicis.

Supponendum est secundo, quod aliquid potest contineri in alio q ua

t uor modis: primo enim potest aliquid in alio formaliter contineri, vt fit quando aliquid in alio continetur secundum propriam definitionem, vt animal in homine 2. potest aliquid in alio contineri virtualiter, virtualitate diminutâ, & hoc modo effectus virtualiter continetur in virtute instrumentali. Tertio potest aliquid in alio contineri eminenter, & hoc adhuc duobus modis, vel complete & totaliter; vel incomplete, & non totaliter; tunc totaliter aliquid in alio continetur, quando in eo continetur secundum illud omne quod dicit; tam secundum vnitatem numericam quam secundum specificam, & tandem secundum omnia quæ includit, & hoc modo effectus in Deo solo continetur, quia vnitas numerica à solo Deo est totaliter, cum ab eo solo possit materia produci, quæ est indiuiduationis principium; tunc autem aliquid in alio continetur eminenter, licet incomplete & non totaliter, quando scilicet aliquid continetur in alio secundum aliquid sui, sed non secundum omnia, quæ includit, & hoc modo continetur quilibet effectus creatus in sua causa creata, si sit æquiuoca; in ea enim ita continetur, vt tamen secundum totum quod dicit, in ea contineri non valeat; si enim sit effectus materialis secundum materiam non continebitur eminenter, sicut nec quicumque alius secundum existentiam, quia ista sunt proprij effectus Dei. potest de hac re videri Ledesma de perfect. diuinis quæst. 4. principali, in dubio quod excitat in eadem quæst. in quo quærit, vtrum vna creatura complete possit in alia contineri. Videatur etiam Caiet. 1. p. q. 57. a. 2.

Resoluitur quæstio.

§. II.

His positis, sequentibus conclusionibus difficultas resoluitur.

Conclusio prima, omnes perfectiones creatæ, siue generice, siue specifice, siue numerice considerentur, continentur in Deo eminenter: ista conclusio à nullo prorsus in dubium reuocari potest. Et probatur primo ex Sacra Scriptura Exodi 3. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos*, vbi Deus ipsam plenitudinem essendi sibi tribuit.

Deinde Exodi 33. cum Moyses petiisset à Domino vt ostenderet illi omnem gloriam suam, respondit ei Deus, petitioni eius veluti acquiescens, *Ostendam tibi omne bonum*. Infinitam etiam bonitatem Dei & perfectionem eius immensam satis testatur mirabile nomen Iehoua, quod vt aduertit ex Hebræis Sixtus Senensis in Biblioth. sancta li. 2. p. 117. omni ex parte componitur ex verbo, sum, es, fuit, & includit illud in sua compositione bis, per quod inter alia mysteria significatur, quod Deus includit in se omnia tempora, & omnes creaturas, quæ in infinitis temporibus fieri possent.

Probatur secundo, ex SS. PP. D. Dionys. cap. 5. de diuin. nomin. *Deus non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est vt omnium causa.* Et ibid. statim post principium c. istius, *Etenim Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter & incircumscriptiue totum in seipso esse accipit, & praeaccipit, propter quod & rex dicitur sæculorum.* Et D. Gregor. Nazian.

oratio. in S. Pascha habet ista verba. *Totum enim in seipso comprehendens continet, quod neque incipit, neque desinet, tanquam pelagus quoddam essentiæ immensum & infinitum.* Qui plura voluerit videre tum Sacræ Scripturæ, SS. PP. testimonia consulat Ledesmá de perfect. diuin. qu. radicali & præcipua totius operis illius, conclus. 2. & seq. qu. conclus. 1. videatur etiam D. Th. 1. q. 4. 1. contra Gentes cap. 28. & 38. & libro secundo capite 2.

4. Probatur tertio, ratione. quia (vt vidimus ex Sacra Scriptura) Deus est ipsum esse per se subsistens & irreceptum: ergo debet continere in se omnem plenitudinem essendi, & omnem perfectionem quæ est in omnibus aliis entibus, quia forma ab stracta abstractione formali perfecta debet in se actu continere, seclusis tamen imperfectionibus, ea omnia à quibus abstrahitur: sicut enim abstractum potentiale potentialiter continet ea omnia, à quibus abstrahitur; ita abstractum abstractione formali perfecta & eminenti, debet actu continere ea omnia, à quibus abstrahitur, relinquendo tamen quidquid est imperfectionis in eis, & per consequens eminenter: sicut enim abstractio potentialis fundatur in potentia, & propterea abstractum huiusmodi abstractione potentialiter ea continet, à quibus abstrahitur: ita quia abstractio formalis & actualis fundatur in actu, propterea abstractum abstractione illa debet actu continere ea, à quibus abstrahitur, secundum eorum perfectionem.

Confirmatur, quia forma limitatur per potentiam, in qua recipitur: ergo forma irrecepta erit infinita secundum suam speciem: ergo cum esse sit forma vniuersalissima totius entis, si non recipiatur, erit forma illimitata in ratione entis, & consequenter nulla perfectio erit in entibus dispersa, quam actu & modo actui eminentissimo conuenienti non includat.

Confirmatur adhuc; quia forma abstracta, est forma purissima, depurata à quacumque alia forma, & maxime ab ea, quæ est sibi opposita: calor enim verbi gratia nihil nisi calorem continet, & alterius cuiuscumque formę, maxime cuiuslibet frigiditatis est omnino expers; ergo cum Deus sit ipsum esse abstractum subsistens, & irreceptum, debet esse depuratus ab omni prorsus extranea ratione, maxime ab ea, quæ est formaliter opposita enti; ergo non debet quidquam includere non entis, quod est enti oppo[si]tum; ergo debet includere omnem rationem & perfectionem entis: si enim deesset sibi aliqua perfectio, quæ in aliis entibus reperitur, esse ipsius non esset omnino depuratum ab omni forma contraria & aliena, quia inquantum tali perfectione priuaretur, aliquid non entis includeret, priuationem scilicet illius entis, & perfectionis ipsius.

Secundo probatur conclusio alia ratione. Deus est causa æquiuoca omnium entium secundum omnia quæ includunt; ergo quidquid est in eis per participationem, debet in eo reperiri per essentiam, eminenter & tanquam in primordiali fonte omnibus perfectionum generibus scaturiente.

Probatur tertio, quia ex D. Th. 1.

par. qu. 57. art. 1. & 2. &c. Caiet. ibid. quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſũt vnita in ſuperioribus modo eminentiori; ergo omnes omnino perfectiones, quæ ſunt in creatis, debent in Deo reperiri modo eminentiori, & ſine admixtione potentialitatis, aut vllius imperfectionis, ſed ad modum actus puriſſimi, qualis eſt forma diuina, & ipſum eſſe Dei puriſſimum, ratione cuius in eo continentur. Vide Ledeſma de perfect. diuinis per totam q. 1.

Concluſio ſecunda; perfectiones ſimpliciter ſimplices reperiuntur in Deo formaliter eminenter ſecundum proprios conceptus, & eminenter ſolum ſecundum modum proprium eſſendi, quem habent in creatis. Sic D. Tho. quæſtio. 7. de potent. articulo 4. ad ſecundum vbi hanc concluſionem habet ſub expreſſis terminis, & maxime quoad primam partem Ferrar. primo contra Gent. c. 32. & Caiet. ca. 6. de ente & eſſentia.

Probatur prima pars concluſ. Deus eſt infinite perfectus: ergo perfectiones omnes, quæ ſunt ſimpliciter tales, & quæ nullam imperfectionem in ſe includunt, debent, vt ſunt formaliter tales, in Deo reperiri: atqui perfectiones ſimpliciter ſimplices, ex ſuo conceptu formali, nullam dicunt imperfectionem; ergo debent ſecundũ talem conceptum formaliter in Deo reperiri; alioquin Deus non eſſet infinito modo perfectus, cui aliquis modus perfectionis ab omni prorſus imperfectione abſoluens deeſſet.

Confir. quia Deo tribuendum eſt, quod eſt melius; ſed perfectio ſimpliciter ſimplex, eſt formaliter melior ipſa quam non ipſa, ſi conſideretur ſecundum proprium conceptũ: ergo.

Probatur ſecunda pars concluſ. modus ille ſecundum quem perfectiones quæ in creatis reperiuntur, inuolui ſecum imperfectionem; aliquæ enim ſunt accidentia, aliquæ ſunt ſubſtantia incompleta, tandem omnes in creatis modum aliquem potentialitatis, & limitationis includunt: ergo cum iſta omnia repugnantiam habeant cum infinita Dei perfectione, non poterunt perfectiones illæ reperiri in Deo, niſi eminenter, ſi conſiderentur ſecundum illum modum, ſecundum quem in creatis reperiuntur.

6. Concluſio tertia; perfectiones quę ſunt determinatæ ad aliquod genus, ſiue illæ ſint numericæ, ſiue ſpecificæ ſiue genericæ, reperiuntur ſolum in Deo eminenter, & non formaliter, quantumcumque conſiderentur ſublatis imperfectionibus, quæ poſſunt auferri ab eis, ſalua tamen earum eſſentia.

Iſta concluſio eſt contra quandam ſententiam, quam refert Ledeſma de perfect. diuin. q. 1. a. 1. & quam videtur abſolute ſequi concluſ. 2. licet concl. tertia & hanc, & noſtram ſententiam problematice ſuſtineat, & propterea ad argumẽta vtriuſq; ſent. reſpondet; explicat autem hoc modo ſententiam illam dicendo, quod eadem res numero poteſt conſiderari duobus modis, vel ſecundum ſubſtãtiam præciſę vnitatis numericæ, vel ſecundum modum eſſendi, quem habet talis perfectio: ſi conſideretur, inquit, perfectio vnitatis numericæ ſecundum ſubſtantiam & eſſentiam, eadem numero perfectio, ſecundum ſuam eſſentiam formaliter reperitur in Deo: ſi autem conſideretur ſecundum modum eſſendi, quem habet in ſe, extra Deum, iam non

reperitur formaliter in Deo secundum talem modum, quia talis modus includit formaliter imperfectionem, sed reperitur in eo secundum alium modum eminentiorem. Hæc ille. Illud autem quod dicit de vnitate numerica, illud idem dicit de vnitate specifica & generica. In eandem quoque sentent. videtur inclinare Nauarett. contro. 48. §. 3. tomo primo.

Sed nostra sent. est Gonzalis 1. p. disp. 12. Bannesij 1. p. q. 4. a. 2. dub. 2. conclus. 3. & probatur ex Concil. Lateranensi allato à Bannesio conclus. 3. vbi propositio Almarici asserentis omnes creaturas esse in Deo formaliter, & de eo formaliter dici, damnatur vt insana.

7. Deinde probatur ratione, quia si perfectiones prædictæ reperiuntur in Deo formaliter, sequitur quod in Deo sit potentia, & probatur, quia vt tales perfectiones reperiantur formaliter in Deo, debent in Deo reperiri secundum suam essentiam formaliter: atqui non possunt in eo reperiri secundum essentiam, nisi reperiatur potentia in Deo, & probatur, quia illarum perfectionum essentia constat genere & differentia: ergo cum genus dicat potentialitatem ad esse realem vt ostendimus disput. præced. quæst. 3. Si in Deo perfectiones illæ secundum suam essentiam formaliter reperiantur, reperietur potentia in Deo, & sic Deus non erit amplius actus purissimus.

Nec videtur posse huc adduci Ledesmæ distinctio de continentia rei secundum suam substantiam, & non secundum modum, quia genus & differentia constituunt essentialiter, & non solum quoad modum essentiam illarum perfectionum, cum genus & differentia sint partes essentiales definitionis; ergo si creaturæ in Deo essentialiter reperiantur, continebuntur in eo secundum genus & differentiam, & sic erit formaliter potentia in Deo.

Probatur secundo, si istæ perfectiones sunt in Deo sequetur, quod poterunt de Deo formaliter prædicari: atqui absurdissimum est hoc dicere, quia sequeretur quod Deus posset dici & denominari leo, equus, animal &c. quod esset contra id quod attulimus ex Concilio Lateran. ergo. Sequela maioris probatur, quia quæ sunt formaliter in aliquo, sunt in eo per modum formæ denominantis; ergo si illæ perfectiones sunt formaliter in Deo, denominabunt eum formaliter, & consequenter poterunt de eo dici & prædicari formaliter.

Probatur tertio, si perfectiones omnes secundum quid, essent formaliter in Deo, sicut dicit illa sententia, sequeretur quod beati cognoscerent distincte omnes creaturas possibiles secundum perfectiones earum, quia beati cognoscunt distincte ea omnia quæ sunt formaliter in Deo (hoc enim pertinet ad cognitionem quidditatiuam alicuius rei, maxime quando cognitio illa est intuitiua, cognoscere ea omnia quæ sunt formaliter in ea, & cum ea formaliter identificata) & sic nullus erit altero beatior; imo quilibet beatorum Deum comprehendet, quia quilibet cognoscet quicquid est in Deo, nihilque eorum quæ sunt in eo ipsum latebit.

Probatur vltimo quia implicantia est dicere, quod perfectiones illæ sint formaliter in Deo, & quod illæ

sint

sint seclusis imperfectionibus, quia in formali & essentiali suo conceptu includunt imperfectionem, cum constent genere & differentia (vt vidimus) aliasque plures imperfectiones inuoluant, ergo si sint in Deo formaliter, erunt in eo cum illis imperfectionibus. certissimum igitur est perfectiones illas eminenter solum & nō formaliter in Deo reperiri.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. III.

Obiicitur 1. ex D. Th. 1. p. q. 14. a. 6. quod Deus includit creaturas, non sicut commune proprium, & particulare, vt animal hominem, vel vnitas numeros, sed sicut homo animal, & senarius numeros inferiores; sed homo includit formaliter animal, & numerus senarius, numeros inferiores; ergo Deus includet perfectiones omnium creaturarum formaliter & in actu, seclusis tamen earum imperfectionibus.

8. Respondeo quod D. Th. affert solum ista exempla ad ostendendum, quod Deus actu continet perfectiones creaturarum, licet diuerso modo eas contineat, ac homo animal, aut senarius numeros inferiores, Deus enim actu solum eminenti creaturas in se continet & non formaliter, si illæ creaturæ sint perfectiones, secundum quid, & non perfectiones simpliciter simplices.

Obiic. 2. sublatis imperfectionibus quas ex modo essendi, dicunt huiusmodi perfectiones in creatis, nullam includunt amplius imperfectionem: ergo poterunt in Deo reperiri secundum suam essentiam formaliter, licet alio eminentiori modo.

Confirmatur, quia istæ perfectiones consideratæ secundum suam essentiam dicunt aliquam realitatem: ergo debent secundum illam in Deo formaliter reperiri.

Respōdeo. quod si illæ perfectiones dicerent solum imperfectionem ex modo essendi, quem habent in creatis, non essent amplius perfectiones secundum quid, sed perfectiones simpliciter simplices. Respondemus ergo ad argumentum, quod omnes imperfectiones, quæ sunt in eis, nō possunt ab eis tolli, salua manente earum essentia, quippe quę essentialiter & formaliter in suo conceptu imperfectionem dicunt, vt ostendimus; & consequenter si ponantur in Deo seclusis omnibus imperfectionibus earum, non ponentur amplius secundum essentiam formaliter, sed eminenter solum.

Ad confir. resp. quod illa realitas habet intrinsece & essentialiter annexam imperfectionem, & conseq. in Deo formaliter reperiri non potest.

Instabis & dices, quod nulla negatio est de essentia alicuius entis per se, realis, & positiui, quia nullum ens per se conflatur ex duobus entibus adeo diuersi generis, sicut sunt negātio & ens positiuum; ergo cum imperfectio dicat negationem, nulla creatura ex sua ratione essentiali dicet imperfectionem, vel illá creatura non erit ens per se, sed aggregatum per accidens; ergo creaturæ poterunt secundum suam naturam in Deo formaliter contineri.

Resp. 1. quod licet nulla negatio sit de essentia alicuius positiui, quatenus positiuum est, potest tamen negatio esse aliquid essētialiter & intrinsece annexū essentię, taliter quod

sublata negatione pereat etiam & essentia rei formaliter. Quod exemplo fidei patet, cuius essentiæ taliter est annexa obscuritas & priuatio euidentiæ, vt pereunte priuatione illa, necesse sit & perire essentiam fidei formaliter: ita similiter ego dico, quod adeo annexa est cuilibet essentiæ creatæ, quæ sub genere determinato ponitur, negatio cuiuscumque alterius essentiæ propter limitationem & determinationem essentialem quam habet in ordine entis ad vnum duntaxat modum essendi formaliter vt pereunte illa negatione, necesse sit & perire formaliter essentiam creatam, quia essentia illa est essentialiter determinata ad hanc solum perfectionem, ita vt quamcumque alteram ab essentia sua essentialiter excludat.

9. Vnde respondeo secundo, quod imperfectio potest sumi duobus modis, vel priuatiue, seu negatiue vel contrarie: licet ergo imperfectio, secundum quod sonat priuationem, aut negationem, non sit de essentia creaturæ, tamen imperfectio contrarie sumpta, prout dicit repugnantiam cum alia perfectione, & exclusione cuiuscumque alterius, quæ cum essentialiter identificetur & faciat vnum ens per se, potest esse, & est de facto de essentia cuiuscumque creaturæ propter intrinsecam & essentialem limitationem ipsius.

Responderi posset tertio, licet negatio aut priuatio non sit de primaria ratione constitutiua entis creati, esse tamen de secundaria eius ratione: quodlibet enim ens creatum, est aliquod non ens, & aliquod nihil includit, essentialiter enim non est aliud ens, aut perfectio alterius entis, quamuis tamen hoc non præiudicet perseitati ipsius, quia licet ex negatione, & ex ente positiuo non posset fieri vnum ens per se, si vtrumque ex æquo & æque primario concurreret: si tamen positiuum primario, & negatio solum secundario cõcurrat, poterit hoc fieri, vt patet in fide, ad cuius constitutionem priuatio euidentiæ secundario concurrit.

Sed instabis rursus, & dices illam limitationem, qua vnum ens, non est essentialiter aliud ens, non esse essentialem enti creato: ergo poterit talis limitatio à quolibet ente creato separari, & consequenter ex illa limitatione, non repugnabit creaturam secundum suam essentiam formaliter in Deo reperiri. Consequentiæ sunt manifestæ. prob. anteced. quia v.g. in specie vniuersali Angelica, qua Angelus superior cognoscit hominem & equum, homo & equus se inuicem essentialiter compatiuntur, per eandem enim speciem cognoscit ille Angelus superior, & hominem, & equũ; ergo debent homo & equus in illa specie simul esse intentionaliter, & in esse repræsentatiuo; cum: ergo ex PP. N. Complut. in li. de anima disp. 18. q. 3. §. 2. & ex N. Salmantic. tract. de scientia Dei disp. 2. dis. 1. §. 3. illa essentia hominis, quæ est in ordine intelligibili, sit eadem essentialiter cum seipsa in ordine entis, si potest secum compati in eadem specie intentionali essentiam equi, nec habet repugnantiam cum ea propter illum modum essendi perfectissimũ, quem acquirit in tali specie Angeli superioris, multo magis poterit illam eandem essentiam equi, & quascumque alias essentias creaturarum secum compati in ordine entis in essentia diuina, propter modum essendi eminentissimum quem acquirit in ea.

10. Respondeo primo, quod quęlibet essentia creata magis est limitata in ordine entis, quam in ordine intelligibili, potest enim tot habere modos essendi in ordine intelligibili, quot sunt intellectus diuersi quibus potest intelligi, quia non est in illo ordine propter se, sed potius propter illos, à quibus intelligitur, vbi in ordine entis determinata est ad vnicum modum essendi: licet ergo daretur quod in ordine intelligibili posset secum compati alteram essentiam, non est tamen id ei concedendum, in ordine entis, propter eius limitationem in illo ordine, ratione cuius intrinsecam & essentialem repugnantiam dicit cum qualibet alia essentia in eodem ordine essendi.

Nec obiicias mihi illud quod conuenit alicui essentialiter, semper illi conuenire, & vbique, quia non dico talem repugnantiam conuenire essentiæ creatæ; prout præscindit à quocumque ordine, sed prout formaliter & reduplicatiue est in ordine entis.

Resp. 2. quod duæ illæ essentiæ hominis, & equi, non reperiuntur formaliter in specie intelligibili Angeli superioris, sed solum virtualiter eminenter: illud enim in illa specie solum reperitur formaliter, quod directe & immediate per talem speciem repræsentatur: vnde cum homo & equus solum mediate repræsententur per illam speciem, & illud quod immediate atque directe repræsentatur per eam sit ratio aliqua communis, ratio v.g. animalis, quatenus ista ratio est abstractum quoddam abstractione formali, in quo homo & equus virtualiter eminenter continentur; ideo ratio prædicta communis est ea sola, quæ formaliter in tali specie reperitur, & ratione illius homo & equus virtualiter eminenter. Si ergo homo & equus non possunt formaliter secundum suas essentias, ob earũ limitationem, in specie vna Angelica in esse intelligibili simul se inuicem compati, multo minus id poterunt in essentia diuina, siue considerentur in ordine entis, siue in ordine intelligibili. Vide Gonz. disput. 10. 1. p. concl 4.

11. Obiicitur. Si creaturarum perfectiones eædem numero & specie non essent formaliter in Deo, sequeretur quod Deus & mundus simul essent quid magis perfectum, quam Deus solus, quod tamen videtur falsum; alioquin Deus non esset infinite perfectus: ergo. Sequela maioris prob. quia creaturæ adderent aliquas perfectiones supra eas quæ sunt in Deo: ergo si creaturæ non essent formaliter in Deo, facerent cum Deo aliquid magis perfectum, quam Deus seorsim ab illis sumptus.

Resp. quod omnes illæ perfectiones creaturarum sunt virtualiter eminenter in Deo, & propterea non faciunt cum Deo aliquid magis perfectum intensiue, quam Deus præcise sumptus, sed solum extensiue. Secundo potest responderi creaturas simul cum Deo non facere quid perfectius Deo præcise sumpto, quia creaturæ non dicunt simpliciter & absolute perfectionem, sed perfectionem solum secundum quid, & perfectionis potius participationem, quam perfectionem: vnde sicut participatio alicuius rei non ponit in numero cum re cuius est participatio, ita creaturæ non ponunt in ratione perfectionis, in numero cum Deo eiusque perfectionibus, quarum sunt solum participationes. Vide D. Tho. in

3.dist.6.q.2.a.3.ad 1.1.2.q.34.a.3.ad 2. de malo q.5.a.1.ad 4. & August. li. 6. de Trinit.ca.8.vbi dicit, cum creatura adhæret creatori, illam fieri maiorem, non illum. vide etiam Ledesma de perfect. diuin. q. 1.a.2.vbi tractat istam quæst. ad longum. Nazarium 1.p. q.6.a.2. contro.vnica, & Zumel q.4.a.2.in appendice ad quæstionem secundam, quam facit supra prædictum articulum.

Obiicitur vltimo. eadem perfectio numero potest esse in Patre & Filio & Spiritu sancto secundum diuersum modum essendi; ergo non repugnabit quod creatura eadem numero diuersos modos essendi habeat; itaut & in seipsa & in Deo formaliter reperiatur.

Respondeo negando consequentiam. ratio negaitest primo, quia creatura est finita & determinata ad vnum modum essendi in ordine entis, ita vt eadem formaliter manens alium modum essendi in eodem ordine habere non possit: secundo quia creatura (vt dictum est) dicit essentialiter imperfectionem in suo conceptu formali, & consequenter repugnat eam in Deo formaliter reperiri.

DISPVTATIO XII.

DE ATTRIBVTIS DIVINIS IN COMMVNI.

EGIMVS disputatione præcedenti de perfectionibus diuinis, restat in præsenti videre, quomodo tum inter se, tum in ordine ad essentiam diuinam comparentur. & qualis sit inter eas distinctio.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM ATTRIBVTA DEI DISTINGVANTVR ex natura rei, tum inter se, tum ab essentia diuina.

§. I. *Aliqua prænotantur ad intelligentiam quæstionis.*

NOTANDVM est primò cum Salmaticensibus nostris, tomo 1. tractatu de sciẽtia Dei. disp. 1. dubio 4. §. 3. attributum ex Damasceno libro primo de fide. cap. 12. definiri, quod sit ratio, seu forma quædam absoluta, in specie atoma constituta, necessario & formaliter in Deo existens, quæ ex modo nostro concipiendi ad essentiam diuinam per modum veluti passionis, & proprietatis eius consequitur. Explicatur illa definitio: primò dicitur, quod attributum debet esse forma quædam absoluta, vt per hoc distinguatur à relationibus diuinis, quæ rationem attributi habere non possunt, cum relationes non sint tribus personis communes, sicut debet esse attributum: quod est quædam essentiæ diuinæ proprietas. Secundò dicitur, quod debet esse quid in specie atoma constitutum, vt per hoc distinguatur à rationibus inadæquatis attributorum, quæ propriè attributum non sunt. Deinde dicitur, quod debet in Deo formaliter existere, vt per hoc distinguatur à quibusdam denominationibus extrinsecis, quibus Deus denominatur extrinsecè, vt est denominaio creatoris, glorificatoris, &c. quartò dicitur quod non debet quocunq; modo

in Deo existere: sed necessario, vt per hoc, ab actibus liberis distinguatur. Tandem additur, quod debet attributum ex modo nostro concipiendi sequi ad essentiam diuinam, per modum proprietatis eius, vt per hoc distinguatur à perfectionibus diuinis, quæ sunt ex modo nostro concipiendi de substantia & essentia Dei, vt sunt illa prædicata quæ directè in linea prædicamentali substantiæ ponuntur. Ex iis igitur patet non quamcumque perfectionem Dei, nomen & rationem attributi sibi vendicare, sed illam solum, quæ per modum formæ completæ, & adiacentis, de Deo absolutè, ac necessario prædicatur: imò addunt aliqui, quod illa perfectio debet esse naturali lumine cognoscibilis, ex eo quod scilicet vocabulum attributi, secundum nominis etymologiam, videtur sonare aliquam perfectionem, quam ex cognitione perfectionis creaturarum Deo tribuimus, iuxta illud Roman. 1. *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, &c. quamuis extendatur hoc nomen non solum ad significationem perfectionum, quas Deo tribuimus, ex eo quod creaturis conuenire videmus, sed etiam ad significationem multarum aliarum perfectionum, quas certum est soli Deo conuenire posse, vt sunt immensitas, æternitas, &c.

Secundò notandum est, quod attributa diuina alia sunt positiua, alia negatiua, cum enim Deus possit concipi, vel secundum perfectiones positiuas, quas in se includit, vel secundum quod à se, quascunque imperfectiones excludit, debent consequenter attributa Dei, alia esse positiua, quæ in Deo primo modo consideratо fundantur: alia negatiua, quæ in eo secundo modo considerato fundamentum habent. Vtraque verò dicút perfectionem formaliter in Deo, quia non solum spectat ad infinitam Dei perfectionem omnem in se perfectionem positiuam includere, sed etiam habere vim excludendi à se quamcumque imperfectionem.

2. Tertiò notandum est distinctionem illam ex natura rei, quæ adeo familiaris est & vsitata in scholis Scotistarum, nec realé esse, nec rationis, sicut ipsi fingunt, sed mediam inter vtramque, & hanc esse ante omnem intellectus operationem. In quo autem talis distinctio consistat, patebit ex obiectionibus eorum.

Quartò, tádem notádum est, certú esse & indubitatú apud omnes, quod attributa diuina non possunt realiter tum inter se, tum ab essentia diuina distingui; alioquin certè Deus non esset amplius vna simplicissima res, sicut definitur in cap. firmiter, & in cap. Damnamus de summa Trinitate & fide Catholica, sed esset verè compositus ex multis realitatibus, quarum vna haberet rationem potentiæ respectu alterius: certum est enim quod Deus comparatur ad sua attributa, tamquam ad veras & reales perfectiones suas, & consequenter si realiter ab eis distingueretur, realiter & simpliciter ab eis perficeretur, sicut potentia per actum, quæ est ratio quare ipsemet Aristoteles 12. Metaph. lectione ij. apud D. Tho. negat posse fieri, quod Deus à suo intelligere realiter distinguatur, Si vis videre plura, lege Diui Thomæ commentatores in 1. p. q. 28. art. 2. Bannesium ibi dub. 3. Zumel, Nazarium contr. j. Torrem

disp. 1. Heruæum dub. 7. Valentiam dist. 2. q. 13. puncto 1. & alios ibidem.

Resolutio quæstionis.

§. II.

3. His positis, prima sententia est Scoti in 1. dist. 8. q. 4. §. ad 4. asserentis attributa diuina, tum inter se, tum ab essentia diuina ex natura rei distingui: nec potest Scotus intelligi de distinctione rationis, nã in 1. dist. 12. q. 1. §. *cõtra istã opinionẽ*, hãc rationis distinctionẽ expresse refutat. 2. sententia cõmuniter inter Philsoophos & Theologos recepta, est, non posse admitti distinctionem in attributis diuinis, tum inter se, tum in ordine ad essentiam diuinam comparatis. Ita communiter Thomistæ omnes 1. p. q. 28. art. 2. Caietanus de ente & essentia, q. 12. & 1. p. q. 39. art. 1. Capreolus in 1. dist. 8. q. 4. a. 1 Valentia disp. 2. q. 17. puncto 1. Amicus. 1. p. dist. 3. sect. 2. & hac sententiæ adeo vera est, vt sententia Scoti à multis censeatur suspecta, & parum in fide tuta. Quod autem sententia hęc secunda sit Diui Thomæ non est dubium. Poterit videri 1. p. q. 13. art. 4. & 12. de potentia q. 7. art. 6. 1. contra Gentes c. 47. & 73. & alibi sæpius.

Probatur primò, quia omnis distinctio quæ est ex natura rei ante omnem intellectus operationem inter aliqua, prouenit (si eam quæ fundatur in oppositione relatiua excipiat) ex limitatione & finitate extremorum, & propterea videmus quod quanto magis res sunt eleuatæ & perfectæ, tanto plures vniunt & continent in se perfectiones (iuxta illud commune axioma, *quæ sunt dispersa in inferioribus, in superioribus sunt vnita*:) ergo cum attributa Dei nullam habeant inter se, aut cum essentia diuina oppositionem relatiuam, nullam etiam ex natura rei habebunt inter se, vel ab essentia Dei distinctionem actualem, quæ sit ante intellectus operationem, alioquin certè essentia Dei esset actualiter, & ex natura rei limatata in ordine entis, quippe quæ ex natura rei omnẽ perfectionem in ordine entis non diceret. Etenim secundum Scotistas perfectionem sapientiæ, aliorumque attributorum, quæ sunt perfectiones simpliciter simplices, ex natura rei non includeret, sed ab eis potius ex natura rei distingueretur ante omnem prorsus intellectus operationem: ergo natura diuina non diceret formaliter, & ex proprio conceptu naturæ diuinæ, omnem perfectionem, sed ex illo formali, atque præciso conceptu esset formaliter finita, atque limitata.

Probatur secundò: impossibile est, quod detur distinctio realis, aut attributorum ab essentia diuina, aut attributorum ab inuicem; atqui si daretur inter ea distinctio illa Scotica ex natura rei, attributa diuina distinguréetur realiter, & ab inuicem, & ab essentia Dei, & vice versa essentia diuina ab eis: ergo. Maior est certa, minor prob. illa distinctio quæ causatur ex principiis realibus, est realis; atqui si attributa diuina distinguuntur formaliter & actu ex natura rei Scotica, tum inter se tum ab essentia Dei, distinctio illa causabitur ex principiis realibus; quia illa distinctio causatur ex iis quæ sũt actu, & formaliter à parte rei, ante omnem operationem intellectus; ex ipso: à

parte rei, ante omnem operationem intellectus ex ipso: ergo cum illud, quod est à parte rei ante omnem operationem intellectus, sit quid reale, si quæ detur inter attributa Dei distinctio formalis & actualis ante omnem operationem intellectus, illa debet de necessitate esse realis.

Confirmatur, quia omnis distinctio formalis dicit alietatem formalem eorum, inter quæ datur distinctio: ergo distinctio formalis & actualis, quæ est ante omnem operationem intellectus, dicit alietatem formalem & actualem eorum, quæ sunt ante operationem intellectus: ergo cum attributa diuina sint per suam realitatem propriam ante operationem intellectus, si semel verum est, quod ex natura rei actu & formaliter distinguantur ante omnem operationem intellectus, tum inter se, tum ab essentia Dei, realitas vnius attributi erit formaliter & actu alia realitas, à realitate alterius attributi, & realitates omnium attributorum, aliæ realitates à realitate essentiæ diuinæ: & sic realitas vnius attributi, non erit actu & formaliter realitas alterius attributi, nec realitates attributorum, actu & formaliter realitas essentiæ: atqui realitas, quæ non est actu, & formaliter, alia realitas, distinguitur realiter ab ipsa: ergo si attributorum diuinorum realitates non sunt actu realitas ipsius essentiæ diuinæ, nec realitas vnius attributi realitas alterius, attributa diuina distinguentur realiter tum inter se, tum ab essentia Dei.

Confirmatur, quia distinctio ex natura rei sequitur naturam illius rei, quam distinguit: ergo distinctio quæ est ex natura rei inter aliqua realia, debet esse distinctio realis, quia termini qui adduntur distinct[io]ni mo-dificant & determinant distinctionem. Ergo sicut quando dicuntur aliqua distingui distinctione rationis, *ly* rationis determinat & modificat distinctionem, ad hoc vt stet pro distinctione rationis, & non pro distinctione reali; ita quando dicuntur aliqua distingui ex natura rei, ly ex natura rei, determinabit & modificabit distinctionem & supra eam natura proprium suum conceptum appellabit & applicabit: ergo si natura rerum quæ inter se distinguuntur sit realis, appellabit suum proprium conceptum realitatis supra distinctionem, & illam modificabit determinabitque ad hoc, vt talis distinctio sit realis.

Confirmatur, quia modus sequitur naturam illius rei, quam modificat, & cuius dicitur esse modus: ergo cum distinctio ex natura rei, sit modus rerum, quas distinguit, debet sequi naturam illarum rerum, quas distinguit: ergo si res illæ quas distinguit ex natura rei, sint reales, debet distinctio esse realis, alias certè falsò ex natura rei diceretur distinguere, quia non distingueret res ad modum naturæ earum.

Confirmatur vltimo, quia distinctio actualis sicut & vnitas est proprietas entis: ergo sicut inter ens reale, & ens rationis non datur aliquod ens medium, ita non datur distinctio actualis media inter distinctionem realem & distinctionem rationis: ergo omnis distinctio actualis, vel debet esse realis, vel rationis: sed distinctio illa Scotica ex natura rei, non est distinctio rationis, cum sit actu & formaliter ante omnem operationem intellectus: ergo erit realis: & sic, si attributa diuina semel inter se, & ab essentia diuina actu ex natura rei distinguantur, realiter inter se, & ab essentia Dei distinguentur: consequentiæ omnes subsumptæ

sublumptæ sunt euidentes, supposita prima, quæ quidem potest euidenter probari: quia quælibet proprietas sequitur naturam rei, cuius est proprietas: ergo si semel verum est, quod distinctio sit proprietas entis, distinctio sequitur naturam entis, & consequenter, sicut non datur ens, quod sit medium inter reale & rationis, vt ostendunt Complutenses nostri in Logica disputatio. 3. quæst. 4. quia ista diuisio entis fit per membra contradictoria, non dabitur etiam distinctio actualis, media inter distinctionem realem, & rationis.

Quod autem distinctio actualis sit proprietas entis, probatur, quia vnitas est proprietas entis: ergo & distinctio: probatur consequentia, quin in vnitate inuoluitur formaliter distinctio, cum in ea inuoluatur formaliter diuisio ab alio: vnum enim dicit ens indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio: ergo cum diuisio dicat distinctionem ab alio, à quo diuidit vnitas, distinctionem formaliter includet: & consequenter, sicut vnitas est proprietas entis, ita & distinctio formalis, & actualis: ergo sicut non datur medium inter ens reale & rationis, ita nec dabitur distinctio formalis seu actualis media inter realem & rationis: ergo cum illa distinctio ex natura rei, quæ secundum omnem intellectus operationem antecedit, non sit rationis, erit realis, & per consequens attributa Dei, quæ distinctione illa distinguuntur, secundum illum, tum inter se, tum à natura diuina, distinguuntur realiter, tum inter se, tum à natura diuina.

Deinde ista sententia Scoti magis confutabitur, ex iis quæ dicentur, quæstione sequenti conclusione 2. Vide quæ ibi dicturi sumus.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. III.

6. Obiicitur primò, illa quæ definitionibus distinguuntur debent ex natura rei distingui, quia definitio traditur de rebus secundum naturam suam consideratis: atqui essentia diuina, & attributa ipsius definitionibus distinguuntur: ergo distinguuntur ex natura rei.

Respondeo primò distinguendo maiorem: si illæ definitiones, per quas aliqua definiuntur, ita sint diuersæ, & distinctæ, vt vna implicite alteram cōtineat ex parte conceptus obiectiui nego: si autē definitiones illæ formaliter sunt ita diuersæ, vt vna alteram excludat, concedo: at intellectus beati qui Deum intuetur secundū quod est in se, cognoscens v. g. definitionē sapientiæ diuinæ, cognoscit de facto eam ex parte rei definitæ, includere nor quidē explicite, seu implicite, definitionem & essentiæ & misericordiæ, & cæterorū attributorum diuinorum: intellectus enim beati cognoscit omnia Dei attributa, quæ à nobis hîc diuersis definiūtur definitionibus, se inuicem transcendere, eo modo quo proprietates entis se inuicem transcendunt, vt dicetur quæst. seq. concl. secunda.

7. Secundò respōdetur distinguendo eādem maiorē: si illa quæ diuersis definitionibus distinguuntur, contineantur in aliqua ratione eminentiori, in qua adunentur, & amittant quodāmodo limitationē & contractionem, quam habent in inferioribus, nego: si verò illa, quæ diuersis definitionibus definiūtur considerentur secundum illum limitationis modum, quem in inferioribus rebus contrahunt, concedo, quod distinguantur & ex natura rei, & realiter. At licet sapientia, miseri-

Tt

cordia, iustitia, & alia huiusmodi attributa Dei distinguantur ex natura rei, & realiter, si cōsiderentur secūdum illum modum contractionis, secūdum quem in creatis reperiuntur, tamen si cōsiderentur secundum modum illum eminentem, secundum quem in Deo reperiuntur, non distingūtur amplius; quia sicut practicum & speculatiuum amittunt in Theologia, fide, & lumine gloriæ limitationē suam & oppositionem, quā habebant ad inuicem, secundum quod in rebus inferioribus reperiebantur, quia in preallegatis habitibus reperiuntur sub eminenti quadā ratione, in qua spoliātur illis imperfectionibus & contractionibus, secundū quas incompatibilitatē dicebant ad inuicē & se inuicē excludebant in habitibus naturalibus: ita similiter & modo infinitè perfectiori reperiuntur omnes perfectiones simpliciter simplices in Deo sine illo limitationis, aut contractionis modo quem in creatis contrahunt: & sic licet in creatis ratione talis modi cōtractionis & limitationis, distinguantur ad inuicem ex natura rei; tamen si considerentur secundum illum modum eminentissimum secundum quem in diuinitate, & in esse illius subsistenti, quod per modum conceptus simplicissimi, vt optime inquit Caietanus, 1. p. q. 13. art. 11. dicit pelagus veluti quoddam totius entis, amittunt omem prorsus diuersitatem & distinctionem, quam habent in creatis.

Tertiò resp. ad distinctas definitiones sufficere distinctionem rationis ratiocinatę, vt patet in proprietatibus entis, quæ diuersas habēt definitiones, licet ratione solū ab inuicē distinguātur; & ratio huius rei est, quia definitiones tradūtur de rebus non absolutè secundum quod sunt à parte rei, sed secundum quod intellectui subiiciuntur.

Quartò resp. sufficere ad hoc vt tribuam diuersas definitiones aliquibus quod distinguantur inter se virtualiter, qualiter omnia attributa diuina distinguuntur, tum inter se, tum ab essentia diuina: distinctio enim illa virtualis eminens, quæ inter illa reperitur, æquiualet distinctioni reali, quæ est inter easdē perfectiones, prout reperiūtur in creaturis. Vnde sicut illa distinctio virtualis sufficiens præstat fundamentum ad hoc, vt vnā perfectionē cōcipiamus, non concepta altera; ita sufficiēs etiam prę̄stat fundamentū ad hoc, vt vni definitionē vnā tribuamus, non tribuēdo ei definitionē aliam, quam alteri perfectioni tribuimus, quamuis debeat hoc semper fieri sub conceptu præcisiuo, & non sub conceptu negatiuo, excludēte ab vna perfectione definitionem, quam tribuimus alteri perfectioni: si enim vellet, quis ita definire misericordiam Dei, vt nō solū prę̄scinderet in illa definitione à definitione iustitiæ diuinæ, sed etiam illam excluderet, tūc illa definitio nullo modo esset bona, quia nullo modo esset declaratiua naturæ illius rei quā definiret, sed potius cōtra naturā illius penitus esset, quia natura misericordiæ diuinæ nō excludit à suo conceptu conceptum iustitiæ, sed potius illum includit: & sic quando v. g. definimus sapientiam diuinam, debemus ita illam definire, vt tamen ab eius definitione alias perfectiones diuinas non excludamus, licet eas in tali definitionē non exprimamus.

Quod si dicas, quod illa, quæ ex natura rei distinguntur, semper & vbicumque sint debent distingui, quia sicut vbicumque sunt, illuc naturam suam transferunt, quia sine natura sua esse non possunt; ita vbicumque reperiuntur, illuc debent & distinctionem suam ex natura rei transferre: ergo si,

sapientia, misericordia, iustitia. & ... huiusmodi attributa diuina in creatis distinguntur ex natura rei, debent & in diuinis eadem distinctione gaudere.

Respondeo, quod si quid probat istud argumentum, probat non solum ista attributa debere distingui distinctione illa Scotica ex natura rei, sed distinctione reali, quia tali distinctione gaudent in creatis. Sed respondeo secundò ad argumentum, quod illa distinctio ex natura rei, quam habent in creaturis non conuenit illis, nisi ratione modi essendi imperfecti, limitati, & contracti, quem habent in creatis: sicut distinctio quæ est inter practicũ, & speculatiuum non conuenit practico & speculatiuo, nisi secundum modum imperfectum, quem habent in cognitionibus naturalibus: Vnde sicut practicum & speculatiuum reponuntur in Theologia, sine vlla distinctione reali, ex natura rei petita, quia in Theologia practicũ & speculatiuum absoluunt ab illo modo contractionis & oppositionis quem habent in rebus inferioribus, vt communiter asseritur à Thomistis. 1. p. q. 1. a. 4. ita similiter, & multo maiori ratione debet asseri, quod attributa diuina excludunt vt in Deo sunt, omnem distinctionem ex natura rei, tum inter se, tum ab essentia Dei, quia ab illo modo contractionis & limitationis, quem habent in creaturis penitus absoluunt, propter illam rationem eminentissimam quam acquirunt in Deo. Per prædictas quatuor solutiones plerisque Scotistarum argumentis satisfit, quæ propterea non proponuntur, quia ex eis soluta manent.

9. Obiicitur secũdò, cuilibet rei debet ex natura sua conuenire, vel quod sit vnum cum alio, vel quod ab alio ex natura rei distinguatur: atqui non potest dici, quod ex natura rei conueniat misericordiæ, esse vnum quid formaliter cum iustitia, aliàs misericordia in creatis non distingueretur à iustitia: ergo misericordia ex natura rei distinguetur à iustitia, & consequenter in diuinis eamdem habebit ab ea distinctionem.

Respondeo primò, quod nulli rei potest conuenire distingui illa distinctione Scotica ex natura rei, quandoquidem illa dabilis non est.

Respondeo secundò, quod cuilibet rei consideratæ secundum vltimam rationem & atomam, conuenit ex natura rei ab alio distingui, vel non distingui, non autem si consideretur secundum rationem communissimam; nam sicut ratio communis absthrahit à ratione particulari, ita abstrahit à determinata vnitate, vel distinctione: & propterea dicit D. Thomas cap. 4. de ente & essentia, quod natura secundum se, nec est vna, nec plures, sed secundum se, & à distinctione seu pluralitate; & ab vnitate abstrahit. Deinde addimus, quod licet ratio communis vniuoca peteret secundum se vnitatem, aut distinctionem aliquam positiuam determinatè, non tamen ratio cõmunis analoga, quales sunt omnes rationes Deo formaliter & creaturis conuenientes: & ratio est, quia ratio analoga includit in actu implicitè tamẽ inferiora, & conseq. sapientia, verbi gratia in communi dicit implicitè, quod non distinguatur à misericordia, quia in Deo hoc habet & similiter dicit implicite, quod distinguatur ab eadem misericordia, quia hoc habet in creatis.

Obiicitur tertiò, illa de quibus ante omnẽ intellectus operationẽ cõtradi-

ctoria verificantur, debent distingui ante omnē operationē intellectus: sed de intellectu & volūtate Dei v.g. cōtradictoria verificātur ante omnē intellectus operationē, quia de intellectu diuino afferitur ante omnē intellectus nostri operationē, quod generat, nec generare potest: similiter de voluntate, quod spirat, & de intellectu quod nec spirat, nec spirare potest: ergo.

Respondeo ad oppositionem contradictoriam requiri, quod sit affirmatio & negatio eiusdem de eodem, secundum idem, seu secundum eandem rationem, tam formalem, quam virtualē: vnde cum intellectus & voluntas in Deo, licet non distinguantur ex natura rei, virtualiter tamen distinguuntur, itaut talis distinctio, reali distinctioni æquiualeat: hinc fit posse aliquid de intellectu affirmari, quod de voluntate negatur, & è conuerso aliquid asseri de voluntate, quod de intellectu negatur, sine vlla tamen contradictione. Si vis videre plura quoad hanc solutionem, lege Amicum 1. p. disp. 3. sect. 2. obiect. 4.

QVÆSTIO II.

Vtrum attributa Dei ita ratione distinguantur, tum inter se, tum ab essentia Dei, vt se inuicem mutuo formaliter includant.

Resolutio quæstionis.

§. I.

PRima sent. est Aureoli in 1.d.8. q.3. a.6. prop.2. & disp. 45. a. 3. prop.1. Arimin. lib.8.q.2.a.2.& aliorū negātiū ea, vel inter se, vel ab essētia, ratione distingui posse, sed solum cōnotatione quadam extrinseca, ita vt eadem Deitas, vt connotat effectum à se producibilem, omnipotentia dicatur; sapientia verò, vt connotat res sibi obiectiue præsentes: & sic de aliis perfectionibus diuinis.

20. Secunda sententia est, quod distinguntur ratione ratiocinata; ita omnes authores, quos quæstione præcedenti pro secunda sententia citauimus: & hæc sententia verissima est. Pro cuius intelligentia, sciendum est, quod duplex est rationis distinctio, vna rationis ratiocinantis, & quæ est sine vllo fundamento in re, sed ex solo beneplacito eius, qui talem distinctionem fabricatur, vt quando intellectus idem de eodem formaliter prædicat, sicut fit in ista propositione, Petrus est Petrus: alia est rationis ratiocinatæ, quæ est cum fundamento in re: & hæc adhuc duplex est: altera quæ fundatur in eminentia rei, ratione cuius plures in se perfectiones identificat, quas tamen intellectus per rationem distinguit. altera, quæ fundatur in imperfectione rei, sicut est illa, quæ est inter gradus Metaphysicos generis & differentiæ, qui quidem ita inter se distinguuntur, vt actu alter, alterius perfectionem in suo conceptu formali non includat, taliter quod si tales gradus ponerentur à parte rei, eo modo, quo à nobis concipiuntur alter alterum formaliter non includeret, sed ambo potius abinuicem separarentur, hæc autem imperfectio aliam, adhuc inuoluit quod scilicet comparentur, isti gradus per modum actus & potentiæ, & hæc in altera rursus fundatur, in compositione scilicet essentiæ & existentiæ, vt

vidimus supra disputat. prima q.3.

Conclusio prima sit. Essentia diuina & attributa eius distinguuntur inter se ratione ratiocinata. ista conclusio est D. Thomæ plerisque in locis, sed maxime in 1.d. 2. q.1.a.3. & omnium Theologorum communiter.

Probatur ratione. Illæ perfectiones, quæ ita sunt vnum quid inter se, vt tamen æquipolleant pluribus realiter distinctis, præstant fundamentum ad distinguendas illas secundum rationem: at essentia diuina & attributa eius sunt huiusmodi: ergo. Deinde prob. conclusio omnibus argumentis quæ superiori quæst. allata sunt pro Scoti sententia præsentem enim conclusionem euidenter confirmant & probant.

Quod si quæras, vtrum ista distinctio rationis sit ab æterno inter attributa Dei.

Respondeo, quod in sententia eorum, qui non admittunt ens rationis fieri à Deo, non potest dici, quod sit ab æterno formaliter, sed solum fundamentaliter seu virtualiter: sed in sententia eorum, qui admittunt ens rationis posse fieri à Deo, dicendum est talem rationis distinctionem, esse non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter ab æterno: ita sentit Torres. in tract. de Trinit. qu. 28. a. 2. disp. 2. dub. 1. Nauarreta contro. 68. §. vltimo, & plures alij.

Et si obiicias contra istam sententiam vltimam quod Deus cognoscit se, vt est in seipso: & consequenter cum attributa Dei non habeant in Deo distinctionem illam quod Deus non cognoscet ea ab inuicem ratione distingui.

11. Respondetur, quod licet Deus non habeat formaliter in se talem distinctionem rationis inter attributa sua, habet tamen illam fundamentaliter, & hoc sufficit ad hoc, vt Deus possit facere ens rationis: nec ex hoc sequitur quod cognoscat rem aliter vt est in se, quia faciendo talem distinctionem rationis inter attributa, non iudicat nec cognoscit talem distinctionem rationis conuenire illis vt sunt in seipsis, quia falso sua attributa cognosceret, sed solum cognoscit talem distinctionem fundamentaliter illis conuenire vt sunt in seipsis, formaliter vero talem distinctionem resultare in eis, inquantum sunt ab intellectu cognita, seu ex denominatione cogniti prouenientе eis ab intellectu illa cognoscente: quod est omnino res, vt in se est cognoscere, cum talis distinctio rationis resultet de facto in eis ex denominatione cogniti prouenientе ab intellectu illa cognoscente, & sit de facto in eis fundamentum ad resultantiam huius distinctionis formalis.

Et si dicas, ex D. Thoma in 1.d. 2. q.1.ar.3. pluralitatem attributorum prouenire in Deo ex infinitate ipsius, & ex limitatione nostri intellectus; & consequenter non posse à Deo talem distinctionem & pluralitatem rationis fieri.

Respondetur, quod distinctio rationis inter attributa Dei est duplex: altera perfecta, imperfecta altera: imperfecta est, quando ita cognoscitur vnum attributum ab alio distingui, vt propter imperfectum modum cognoscendi, non cognoscatur vnum attributum aliud etiam implicite continere, & ista distinctio & pluralitas rationis attributorum Dei arguit limitationem & imperfectionem maximam ex parte cognoscentis: perfecta vero est, quando ita cognoscitur vnum attributum ab alio

ratione distingui, vt tamen ab ea aliud à quo distinguitur implicite cõtineri cognoscatur; & hæc nullam arguit limitationẽ ex parte cognoscentis, nec eam à Deo fieri repugnat. Ex iis satis intelligitur quid sit dicẽdum ad illam D. Thomæ auctoritatem, dicimus enim quod D. Thomas est intelligendus de distinctione & pluralitate rationis primo modo, non autem secundo modo considerata.

Secunda conclusio. Essentia diuina & eius attributa ita distinguuntur ratione, vt tamen seinuicem formaliter includant implicite: & propterea Caiet. 1. p. q 39. a. 1. de ente & essentia c. 6. q. 12. vocat illam distinctionem rationis, quę est inter attributa diuina & essentiam, distinctionem formalem non formaliter, sed eminenter seu virtualiter, quia hæc distinctio talis est, vt membra distinctionis non seinuicem formaliter excludant sicut facit genus, differentiam, & è conuerso, sed potius seinuicem implicite includant & transcendant, eo modo, quo ens, verum, & bonum. Hæç conclusio est communis inter Thomistas, quam sequuntur Torres 1. p. qu. 28. art. 2. disp. 2. dub. vltimo, Bannez ibidem dub. 3. respondendo ad argumenta, Zumel, Amicus 1. p. disp. 3. sect. 7. Suarez lib. 1. de essentia Dei, c. 12. & 13. Granado 1. p. tract. 2. disp. 7. & hanc nostri Salmanticenses insinuant pluribus in locis, sed præcipue optime explicant, eam in tractatu de voluntate Dei disput. 4. à num. 17. vsque ad 21. & disp. 7. dub. 8. per totum, & dub. 9. num. 85. & 86.

12. Probatur conclusio ex D. Th. locis superiori quæstione in confirmationem conclusionis nostræ allatis. Ex quibus euidenter colligitur quod conclusio præsens sit omnino de mente D. Thomæ.

Probatur ratione. Quando aliqua adunantur adinuicem, quæ se inuicem in suis conceptibus formaliter non includunt, debent ad inuicem comparari per modum potentię & actus, seu per modum perfectiui & perfectibilis, ergo si essentia diuina & attributa eius non semuicem includunt formaliter, comparabuntur adinuicem per modum actus & potentiæ, quod tamen fieri non potest; cum nullum sit in Deo ad potentiam passiuam fundamentum.

Probatur secundo, illud ens, quod est infinitum in ratione entis, debet in se formaliter includere omnem rationem entis, quæ non inuoluit imperfectionem, aut limitationem; sed tam essentia diuina, quam eius attributa, sunt ens formaliter infinitum in ratione entis, & nullam in suis conceptibus dicunt imperfectionem aut limitationem: ergo tam essentia diuina, quam eius attributa debent seinuicem formaliter includere. Maior est certa, quia infinito nihil potest addi in illo genere, in quo est infinitum: ergo infinito in genere entis nulla prorsus ratio entis, quæ à se imperfectionem, aut limitationem in ratione entis excludat, deesse poterit quia aliàs posset tali infinito fieri aliqua additio, posset enim ei addi perfectio illa entis quæ supponeretur ei deesse. Minor autem prob. & primo quidem, quod tam essentia diuina quam eius attributa nullam in se inuoluant imperfectionem certum est: tum quia essentia diuina & eius attributa sunt perfectiones simpliciter simplices, tum etiam quia aliàs Deus diceretur imperfectus, si quid

includeret in se, quod esset imperfe-ctum, quod autem tam essentia diuina, quam eius attributa sint ens formaliter infinitum in ratione entis & primo quod essent ia diuina sit talis.

13. Probatur sic. illud quod ex primo conceptu suo est ipsum esse subsistens, debet esse formaliter, & ex proprio conceptu quid infinitum in ratione entis: sed essentia Dei ex primo conceptu suo est ipsum esse subsistens: & prob. quia si conceptus ille primus entis, qui essentiæ diuinæ conuenit non esset ipsum esse subsistens per se & ratione sui, deberet esse potentia realis ad esse in essentia Dei, conuenit enim rei ordinari ad esse ratione entis: ergo si essentia diuina ex conceptu entis, non ordinatur ita ad esse, vt ex vi talis conceptus sit formaliter & in actu ipsum esse, ordinabitur solum ex vi talis gradus per modum potentiæ ad esse: & sic cum omnis potentia reducatur in actum per id quod est tale in actu formaliter, deberet Deus ex primo conceptu entis, quem habet, dicere ordinem ad aliquod agens, cui per se primo ipsum esse subsistens conueniret, per quod gradus entis, qui diceret in Deo potentiam ad esse, de potentia ad actum essendi reduceretur: ergo cum ista omnia implicent, debet de necessitate asseri, quod Deus ex primario suo entis conceptu, dicit formaliter & essentialiter ipsum esse subsistens: sed esse subsistens dicit formaliter & ex proprio suo conceptu infinitatem in ordine entis, sicut albedo subsistens (si daretur) infinitatem in genere albedinis: ergo debet Deus ex primario conceptu essentiæ suæ infinitatem in ratione entis formaliter includere, & consequenter continere formaliter omnes rationes entis suorum attributorum.

Confirmatur, quia si Deus ex primario conceptu entis non includit formaliter omnem rationem entis, non inuoluentem imperfectioné, & limitationem in genere entis: ergo ex vi illius gradus non erit ipsum esse, quia illud quod est ipsum esse, habet infinitam plenitudinem existendi: at illud cui non conuenit omnis plenitudo entis, non potest habere infinitam plenitudinem in ordine existendi: ergo si Deus ex conceptu primo entis non dicit omnem plenitudinem in ordine entis, non poterit ex vi illius dicere omnem plenitudinem in ordine existendi: maior est certa; minor probatur, quia existere conuenit alicui, ratione entis: ergo illud, cui non conuenit omnis plenitudo in ordine entis, non poterit ei conuenire omnis plenitudo in ordine existendi, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: ergo si Deus ex conceptu primo entis non continet formaliter vniuersam plenitudinem totius entis, non dicentis formaliter limitationem ex conceptu proprio, non poterit ei conuenire ex vi illius gradus plenitudo vniuersa, & infinita existendi: ergo ex vi illius gradus dicet ordinem ad esse cum diminutione, limitatione & participatione: ergo cum potentia ad esse: ergo non erit formalitar ipsum esse subsistens. stat ergo certum & indubitatú omnino quod essentia Dei debet esse infinita formaliter in ordine entis vt possit esse suum esse subsistens, & quod debet consequenter attributa sua formaliter includere.

Quod autem attributa Dei sint etiam quid in ordine entis formaliter infinitum, probatur, quia cuilibet attributo essentiæ diuinæ conuenit per se, & formaliter, quod sit esse subsistens & irreceptum: ergo cuilibet attributo Dei conuenit formaliter & per se, quod sit ens infinitum; consequentia est euidens ex dictis: Antecedens probatur: cuilibet attributo Dei conuenit formaliter, & ratione conceptus entis sibi intrinseci aliquod esse, non esse receptum: ergo esse irreceptum & subsistens.

14. Dices, quod attributo cuilibet conuenit solum identificare sibi ipsum esse subsistens, non autem esse formaliter ipsum esse subsistens.

Contra, quia si solum identicè & materialiter veluti conueniat esse subsistens cuilibet attributo, non autem formaliter; ergo verum erit dicere, quod attributum Dei non includit formaliter in suo conceptu essentiali ipsum esse: ergo esse erit extra essentiam formalem attributi diuini: & sic esse comparabitur formaliter ad essentiam attributi, tamquam actus ad potentiam, & per consequens erit in Deo vera compositio actus & potentiæ.

Confirmatur, quia quando aliquis conceptus est alius solum identice & non formaliter, oportet quod talis conceptus ab alio præscindat præcisione proprie dicta, vt patet in rationalitate quæ dicitur solum identice, & non formaliter animalitas, quia ex proprio conceptu, ab animalitate præscindit: ergo si attributum Dei sit solum identice ipsum esse subsistens Dei, itaut ipsum esse subsistens non sit de conceptu formali essentiæ attributi, oportet quod attributum Dei ex suo conceptu essentiali præscindat præcisione & abstractione proprie dicta ab esse subsistenti, & consequenter secundum proprium conceptum essentialem comparabitur ad esse subsistens, vt potentia ad actum.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicitur contra secundam conclusionem (neque enim aliquid occurrit dicendum contra primam:) illa solum se mutuo formaliter includunt, quæ ita comparantur ad inuicem, vt ratio vnius reluceat formaliter in conceptu obiectiuo alterius: atqui conceptus obiectiuus essentiæ, aut vnius attributi non relucet in conceptu obiectiuo alterius attributi; quis enim dicat, quod in conceptu sapientiæ diuinæ reluceat conceptus iustitiæ, misericordiæ &c. ergo.

15. Respondeo, quod licet essentia diuina & attributa eius non relucerent in conceptu alterius attributi secundum quod tale attributum cadit sub imperfecto modo nostro cognoscendi, si tamen consideretur, secundum quod cadit sub cognitione intellectus, cognoscentis ipsum vt est formaliter in seipso, & in Deo, tūc in conceptu obiectiuo talis attributi relucent & essentia diuina & cætera attributa, & talis intellectus de facto cognoscit ea in huiusmodi attributo implicite contineri.

Vnde respondeo secundo, quod licet in vno attributo cætera quæ sunt in Deo non contineantur, nec reluceant explicite; relucent tamen & con-

& continentur in eo implicite.

Instabis & dices, si vnum attributum implicite contineatur in alio, non solum continentia identica & materiali, sed continentia formali, de qua est quæstio, sequitur quod poterit formaliter vnum attributum de alio prædicari, etiam in abstracto, & sic poterit dici, quod sapientia Dei est formaliter misericordia Dei, misericordia Dei, iustitia Dei, intellectus Dei, voluntas Dei, voluntas Dei, intellectus Dei, & sic de cæteris: at ista sunt valde absurda, quia si istæ propositiones essent veræ, sequeretur quod posset in sensu formali asseri, quod voluntas intelligit, quod intellectus amat, quod per misericordiam Deus punit aut exercet iustitiã, quod per iustitiam miseretur, & sic de reliquis, in quibus quanta sit absurditas, satis ex seipso elucet: ergo.

Respondeo, quod istæ propositiones, intellectus Dei est voluntas Dei, misericordia Dei, est iustitia Dei, & sic de reliquis, sunt propositiones verissimæ, & non solum in sensu identico, sed etiam in sensu formali: & ad probationem in contrarium, respondeo negando sequelam: vnde omnes propositiones quæ inferuntur in argumento, sunt omnino male illatæ & falsæ.

Ad cuius euidentiam sciendum est quod attributum quodlibet potest concipi duobus modis in Deo, vel prout appellat, & reduplicat propriũ, & explicitum conceptum, quem formaliter per modum veluti differentię dicit, & exprimit, quod est considerare ipsum, secundum quod actu exercet distinctionem virtualẽ ab altero attributo, eique veluti opponitur. Secundo potest considerari, non solum præcise secundum quod reduplicat proprium conceptum, quẽ per modum differentiæ exprimit, sed absolute secundum ea omnia, quæ implicite etiam continet. hoc posito dico, quod licet possit vnum attributum prædicari formaliter de alio, si secundo modo consideretur, non tamen si cõsideretur primo modo, quia si hoc modo vnum attributum de alio prædicaretur, esset idem, ac dicere, quod illud, quod v.g. sapientia exprimit per modum differentiæ, & illud quod ei conuenit, prout virtualiter contradistinguitur contra iustitiam, conueniret quoque per modum differentiæ iustitiæ aut misericordiæ: & huius generis sunt propositiones illæ, quæ inferuntur secundo loco: nam quando v. g. consideratur intellectus diuinus, vt dicit ordinem ad suum actum, vel proprium terminum, consideratur formaliter, secundum quod appellat & reduplicat rationem veluti differentialem intellectus, vt intellectus est, & vt consequenter à voluntate distinguitur, eique opponitur, & per consequens non potest illud, quod tribuitur intellectui vt sic, tribui voluntati, & de ea prædicari, & sic de cæteris attributis.

16. Vnde ad illud argumentum, quod posset ex primis propositionibus cõcessis, v.g. ex eo quod conceditur voluntas esse intellectus, contra nos sic efformari: voluntas est intellectus: voluntas vult, ergo intellectus vult.

Respondetur negando consequentiam: sunt enim quatuor termini in hoc argumento, & in aliis similibus, cum medium in maiori & minori diuersimode accipiatur, nam voluntas accipitur in maiori absolute secundum ea omnia, quæ tam explicite, quam implicite continet, non autem

secundũ quod reduplicat proprium & differentialem conceptum, secundum quem virtualiter distinguitur ab intellectu: in minori autem sumitur formaliter, secundum quod reduplicat talem conceptum proprium & secundum quod virtualiter ab intellectu distinguitur, & postea in consequentia infertur, quod ea quę conueniunt voluntati sic sumptæ, quatenus intellectui virtualiter opponitur, cõueniunt intellectui, & sic in hoc argumento, & in aliis similibus committitur fallacia mutationis accidentis.

Ex iis patet quid sit respondendum ad aliquas propositiones, quæ ab aliquibus, qui nobiscum consentiunt conceduntur, ab aliis vero negantur, vt sunt istæ, ratio iustitię, est ratio misericordiæ, & è conuerso, vel misericordia, vt misericordia, est formaliter iustitia, dicimus enim quod istæ propositiones possunt sumi, vel secundum quod reduplicant explicitum & expressum conceptum, quem quodlibet attributum dicit per modum veluti differentiæ, & secundum quod virualiter alteri attributo opponitur, & secundum hoc, certum est quod sunt falsæ, facerent enim hunc sensum, quod illud, quod v. g. exprimitur per rationem iustitiæ per modum differentiæ, exprimitur etiam in conceptu misericordiæ, per modum differentiæ, quod tamen est falsum: si vero similes propositiones non reduplicent conceptum expressum & differentialem attributi, sed absolute sumantur tam secundum id quod attributum dicit implicite, quam secundum idquod dicit explicite erunt veræ, & admittendæ. Vide Bannez dub. 3. cit. ad 2. & Amicum disp. 3. cit. 1. p. sect. 7. ad 4.

Obiicitur, illud quod sequitur ad aliud non potest includi in eo atqui attributa diuina sequuntur ad essentiam diuinam vt proprietates eius; ergo non possunt includi in ea: Maior est certa, quia alioquin idem esset prius & posterius: minor constat ex communi sensu Philosophorum & Theologorum, & consequenter videtur argumẽtum omnino concludere.

Respondeo distinguendo maiorem, si tam illud, quod sequitur ex alio quam id, ex quo sequitur, sint actus purissimus & quid infinitum in ratione entis, sicut accidit in nostro casu, vt ostensum est supra, nego: si vero non sint actus purissimus, nec quid infinitum in ordine entis, transeat.

17. Secundo respond. supponendo prius tanquam certum, attributa diuina sequi solum virtualiter ad essentiam diuinam, non autem formali & reali sequela inuoluente distinctionem realem eius quod sequitur ab eo ad quod sequitur. Hoc posito resp. distinguendo eandem maiorem sic. Illud quod sequitur ad aliud non potest includi in eo; explicite & expresse, concedo: implicite, nego: nam verum, bonum, vnum sunt proprietates entis, quæ ad essentiam ipsius virtualiter consequuntur, & tamen implicite continentur in ente, & ens vicissim in ipsis: ita similiter dicimus quod licet attributa diuina virtualiter & ex modo nostro concipiendi sequantur ad essentiam diuinam, ad modum proprietatum ipsius, tamen includuntur implicite in essentia & vicissim essentia diuina in eis. Et ad probationẽ maioris respondeo, quod idem potest sub conceptu expresso & explicito esse posterius seipso sub implicito conceptu considerato; sicut patet in exemplo allato de proprietatibus entis: & sic attributa diuina

considerata sub propriis cōceptibus, quos per modum differentiæ exprimunt, poterunt esse posteriora seipsis, vt implicite continentur in essentia diuina, & vt per modum differentiæ non exprimuntur.

Ex iis quæ dicta sunt in hac disputatione aliquod corollarium deducimus, nimirum quod si attributa diuina considerentur secundum quod sunt in seipsis & à parte rei, nullum ex iis aliud in perfectione excedit, quia (vt diximus) quicquid includit vnum includit & alterum, cum omnia quæ sunt absoluta in Deo seinuicem transcendant: Si vero considerentur quatenus modo nostro concipiendi subiiciuntur, & per analogiam ad consimiles perfectiones quę reperiuntur in creatis, tunc possunt concipi vt inæqualia. Et ratio huius rei est, primo quia perfectiones diuinæ induunt veluti, ex modo nostro concipiendi, modum quem habent huiusmodi perfectiones in creatis, quarum ministerio eas cognoscimus vnde sicut vna in creatis est altera perfectior, ita & in Deo vna concipitur ex modo nostro intelligendi esse altera perfectior. Secundo quia vna concipitur à nobis vt principium virtuale respectu alterius. Tertio quia vna concipitur ad obiectum vniuersalius se extendere ex genere suo, quam altera. Lege Salmant. N. tract. de volunt. Dei disp. 4. dub. 1. nu. 2. & Amicum 1. p. disp. 3. sect. 8.

DISPVTATIO XIII.

DE INFINITATE DEI.

POst disputationem de attributis diuinis in communi, ad attributa eius specialia consideranda descendimus, ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia procedendo: & quia primum, quod inter attributa Dei intellectui occurrit, est eius infinitas, (ad primam enim Dei apprehensionem statim intelligitur, quod debet esse ens infinitum.) de infinitate eius prius agimus, immediate post acturi de existentia ipsius in rebus, quæ secundum D. Th. 1. p. q. 7. statim sub initium causatur ex eius infinitate.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DEVS SIT INFINITVS.

§. *I. Quæstio resoluitur.*

NOtandum est primo, quod quando quæritur hic, vtrum Deus sit infinitus, sermo non est de infinitate in aliquo genere determinato, aut de infinitate aliquorum ex eius attributis, sed de infinitate absoluta in ordine entis, vnde sensus quæstionis est, vtrum Deus sit ens absolute infinitum in ordine entis, non autem in hoc, vel illo genere tantum.

Secundo notandum est ex D. Th. quodlib. 3. ar. 3. & 3. p. qu. 10. art. 3. ad 2. quod infinitum dicitur tale, quia non finitur, seu quia caret terminis, ex quo inferes, ad hoc vt aliquid dicatur infinitum in aliquo genere, debere carere terminis illius generis, & vt aliquid dicatur absolute infinitum in ordine entis, debere carere terminis quibuscumque limitantibus, & finientibus ip-

ſum in ordine entis.

Hoc poſito, licet concors ſit omnium Catholicorum ſententia Deum eſſe infinitum, pugnant tamen inter ſe Doctores in aſſerenda huius veritatis ratione: Scotus enim in 1. diſt. 2. reiicit primam rationem, qua D. Th. in huius veritatis comprobationem vtitur j. p. q. 7. art. 2 quæ fundatur in hoc, quod Deus ſit ſuum eſſe ſubſiſtens. Vaſquez verò. 1. p. diſput. 25. c. 2. & 3. tripliciter eamdem rationem impugnat, & alteram affert, qua S. Doctor vtitur lib. 1. contra Gentes cap. 43. quæ conſiſtit in hoc, quod Deus non eſt in genere, ſed ſuper omne genus, & conſequenter quod Deus eſt infinitus.

Conluſio tamen noſtra ſit. Deus eſt infinitus, & optimè id probant rationes illæ, à D Th. adductæ loco citato 1. p. in hac concluſione conueniunt omnes Thomiſtæ 1. p. q. 7. art. 1. poteris inter alios videre Gonzalem diſp. 15. Nazar. controu. 2. in prædictum articulum, & Nauarretam controu. 24. qui ab impugnationibus aduerſariorum prædictas D. Thomæ rationes egregiè, & ſtrenuè tuetur.

2. Poteſt probari concluſio expendendo, & elucidando ipſaſmet D Th. rationes. Illud, quod eſt ſecundum totum ſuum eſſe, ſubſiſtens, & irreceptum, illud eſt infinitum in ordine entis, Deus eſt ſecundum totum ſuum eſſe, ſubſiſtens, & irreceptus, ergo: Minor eſt certa, quia ſi Deus non eſſet ſecundum totum ſuum eſſe ſubſiſtens, & irreceptus, deberet aliquid ab alio recipere, ergo non eſſet amplius prima cauſa, quia aliam ſupponeret priorem, à qua illud reciperet. Vide illa, quæ dicta ſunt diſp. 10. q. 1. & 2.

Maior autem probatur: illud, quod nullum habet limitatiuum in ordine entis, debet eſſe abſolutè in tali ordine infinitum, at illud, quod eſt ſecundum totum ſuum eſſe ſubſiſtens, & irreceptum, nullum habet limitatiuum in ordine entis, ergo. Maior eſt certa ex primo notando: quia illud dicitur infinitum, quod nullos habet terminos, in eo ordine, in quo dicitur eſſe infinitum, ergo illud dicetur abſolutè infinitum, in ordine entis, quod nullos habebit terminos abſolutè, nullumque limitatiuum in toto ordine entis.

Minor autem, quod illud, quod eſt ſecundùm totum ſuum eſſe ſubſiſtens, & irreceptum, nullum habeat limitatiuum in ordine entis probatur: quia illud, quod eſt ſecundum totum ſuum eſſe ſubſiſtens, nullam prorſus includit potêtialitatem, ſed eſt purus actus in ordine entis, atqui potentialitas eſt ratio cuiuſcumque limitationis in ordine entis, quia cum limitatio inuoluat imperfectionem, & imperfectio quæcumque ſingulariter in potentiam refundatur, vnumquodque enim dicitur imperfectum, in quantum eſt in potentia, & perfectum, in quantum eſt in actu, omnis limitatio refundetur de neceſſitate in potêtialitatem aliquam. Ergo illud, quod erit abſque vlla prorſus potentialitate, erit etiam cuiuſcumque prorſus limitationis, & imperfectionis expers: ſed illud, quod eſt ſecundum totum ſuum eſſe, ſubſiſtens, & irreceptum, eſt cuiuſcumque potentialitatis expers, quia ſi quid potentialitatis includeret, cum omnis potentia paſſiua (de hac enim eſt ſermo) ſit correlatiua potentiæ actiuæ alicuius agentis, per quod de potentia in actum reducitur, deberet aliquod agens reſpicere, per quod potentia eius compleretur, & à quo conſequenter aliquid reciperet, ergo non eſſet amplius ſecundum totum ſuum eſſe

subsistens, & irreceptum, sed secundum aliquid sui receptum: ergo vt aliquid dicatur secundum totum suum esse subsistens, & irreceptum, debet esse actus purus expers prorsus omnis potentialitatis, & limitationis cōsequenter.

Confirmatur: illud, quod continet omnes perfectiones in ordine entis, seclusis quibuscūque imperfectionibus, quæ possunt in illo ordine reperiri, est infinitum in ordine entis: at illud, quod est secundū totum suum esse, subsistēs, & irreceptū, cōtinet omnes perfectiones in ordine entis, seclusis quibuscūq; imperfectionibus, quæ possunt in illo ordine reperiri, ergo: maior videtur certa, quia illud, quod sic continet omnes perfectiones seclusis imperfectionibus quibuscumque, debet etiam à se remouere omnem prorsus limitationē, quia cum limitatio dicat imperfectionem, debet etiam remouere, & secludere à se omnem limitationem.

Minor autem probatur: quia forma abstracta abstractione formali eminenti, debet continere omnem perfectionem, quæ reperitur in iis; respectu quorum dicitur abstracta, seclusis imimperfectionibus, quæ reperiuntur in eis, & propterea idæa hominis quæ in sententia Platonis erat forma abstracta respectu omnium hominum continebat eminenter omnes homines seclusis imperfectionibus, quæ sunt in indiuiduis hominis, idæa equi omnes equos, seclusis imperfectionibus, quæ sunt in indiuiduis equi, & sic de aliis formis subsistentibus, & abstractis: ergo cum esse subsistens, & irreceptum comparetur ad omnia entia per modum formæ abstractæ respectu eorum, debet omnes perfectiones entis seclusis quibuscumque imperfectionibus, & limitationibus eorum in se continere.

3. Confirmatur: quia omnis contractio, & limitatio formæ fit per aliquam sui oppositi inclusionem, & per coniunctionem cum eo: sed esse subsistens, & irreceptum nihil prorsus sui oppositi includit, nullamque cum eo coniunctionem habet, ergo cum esse subsistens sit forma vniuersalissima in ordine entis, non debet esse quid contractum aut limitatum in vllo genere, sed debet potius esse quid simpliciter, & absolutè infinitum in ordine vniuersalissimo entis. Maior est certa, vnde enim limitatur forma in ratione formæ, nisi ex materia, in qua quando semel recepta est, limitatur, & impeditur actualitas eius, ne aliud quidpiam actuare possit? Et ratio huius rei est aperta, quia omnis limitatio prouenit ex eo, quod detrahitur aliquid sui; ergo actus limitatio proueniet ex eo quod aliquid tollatur, & surripiatur de actualitate actus, similiter limitatio potentiæ, ex eo quod tollatur, & surripiatur aliquid de potentialitate potentiæ; ergo, cum illud, quod tollit, & detrahit aliquid de alio, debeat ipsi esse oppositum, & aduersum, actus limitabitur formaliter in ratione actus per potentiā, & potētia per actū. Cū actus potentiæ, & potentia actui opponatur: & sic generaliter omnis limitatio de necessitate fiet per aliquid oppositū.

Minor autē; quod esse subsistens nihil sui oppositi includat, probatur, quia esse subsistens est forma vniuersalissima, & abstractissima entis vt sic, ergo oppositum eius debet esse aliqua ratio potentialitatis in ordine entis; sed esse subsistens nihil prorsus includit potentialitatis, cùm sit actus purissimus, ergo nihil sui oppositi prorsus includit, ergo nihil contractionis, & limitationis continet, sed est quid simpliciter, & absolute infinitum intra totū ordinē entis.

Confirmatur, quia vnumquodque dicitur perfectum, inquantum est in actu, ergo illud, quod erit actus vniuersalissimus entis non limitatus, aut finitus, erit infinitum simpliciter in ordine entis.

Dices, falsum esse, quod omnis actus per potentiam limitetur; anima enim ex D. Th. 1. p. quæst. 86. art. 1. prima secundæ, quæst. 4. art. 5. ad 1. & 5. & in 4. dist. 43. quæst. vnica, art. 1. quæst. 1. ad 4. perficitur ex vnione ad corpus, & propterea S. Doctor ait ipsam habere perfectiores operationes, quando est corpori vnita, ac quando est separata.

Respondeo cum Caiet. loco citato 1. p. cum Nauarret controu. 24. §. 2. cum PP. N.N. Complut. in Physica disp. 9. quæst. 2. §. 2. num. 12. & NN. Salmanticensibus in tract. de scientia Dei disput. 1. dub. 2. num. 32. quod licet anima nostra perficiatur intra suum genus, & intra propriam speciem ex vnione, quam habet cum corpore, quia pars est perfectior in suo toto; quam extra, perfectiusque, ac connaturalius suas ibi exercet operationes, tamen simpliciter, & absolute imperficitur in ordine entis ex tali vnione siue actuali siue aptitudinali, quia ex hac habet essentialiter, quod sit pars, & quod non intelligat connaturaliter nisi per conuersionem ad phantasmata, quod est simpliciter quid imperfectius in genere intellectionis quam intelligere sine conuersione ad illa.

Instabis rursus, & dices, licet esse subsistens nihil includat potentialitatis, includere tamen aliquid non entis, quia esse subsistens non est omne ens, cum distinguatur ab omnibus entibus creatis; ergo cum non solum potentia, sed etiam non ens opponatur esse subsistenti, esse subsistens includet aliquid sui oppositi, & consequenter non infertur ex hoc capite, quod sit quid infinitum.

Respondetur, quod licet esse subsistens distinguatur ab ente creato, tamen ita distinguitur ab eo, vt simul quodlibet ens eminenter in se contineat: ex quo fit, quod nihil prorsus non entis in se includat, quandoquidem nullam entis priuationem, sed omnia prorsus entia continet, & ex hac continentia eminentiali totius entis, habet esse subsistens, & virtutem, vt ex non ente quæcumque entia eruat: sicut enim ex eo quod generare continet formam priuationi oppositam habet vim, vt potentiam materiæ ex priuatione formæ ad habitum eius traducat, ita ex eo quod esse subsistens, eminenter contineat rationem cuiuslibet entis; habet vim, & virtutem, vt ex non ente quodlibet ens educat.

4. Secūdò probatur nostra conclusio adducendo aliā D.Th. rationem, quæ à Vasquez impugnatur: omne, & solū ens finitum constat genere, & differentia, Deus non cōstat genere & differētia, vt ostensum est Disp. xi. quæst. 3. ergo. Minor est satis fusè probata loco citato: Maior probatur, & primò quidem quod omne ens creatum & finitum secundum esse, & in ordine entis (si sit ens completū, de hoc enim est sermo) collocetur in aliquo prædicamento, hoc est certū, & indubitatū apud omnes: quod autē solū ens finitū in ordine entis collocetur in prædicamēto, probatur; quia illud omne, quod in aliquo genere reponitur, habet potētiam realē ad esse (vt eadem disput. ostensum est:) ergo debet esse quid finitum in ordine entis, cum omne esse receptum limitetur, & finiatur.

Deinde potest vlterius eadem minor sic ostendi: quia illud omne, quod ponitur sub genere, cõtrahitur per differentiam ad aliquam determinatam perfectionem per quam distinguitur ab aliâ sub eodem genere contentæ, ergo non continet in se omnem perfectionem, ad quam se genus extendit, ergo finitur, restringitur, & limitatur ad aliquam perfectionem entis, & consequenter non est quid infinitum in ratione entis.

Confirmatur, quia sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis, at asseritur de eo omni, quod est in genere ipsum habere potentiam ad esse, ergo debet negari de eo, quod non est sub genere omnis potentia ad esse; ergo cum negetur de Deo, quod sub genere contineatur, debet etiam negari de eo, quod habeat vllam potentiam ad esse; ergo debet esse suum esse subsistens, & actus purissimus, & consequenter esse quid infinitum. Hac ratione vtitur D. Thomas 1. contra Gentes cap. 43. si vis plures alias videre, lege S. Doctorem loco citato, probat enim ibi vndecim rationibus infinitatem Dei.

Soluuntur Obiectiones.

§. II.

OBiicitur i; ideò Creatura est quid finitum, & limitatum in ordine entis, quia in fieri, & conseruari pendet à Deo, ergo è conuerso, ideo Deus est infinitus, quia a nullo prorsus dependet tam in fieri, quàm in conseruari; ergo ratio infinitatis in Deo non petitur ex eo quod sit esse subsistens, & irreceptum.

1. Respondeo, transeat primum Enthymema, & negatur vltima consequentia sublumpta; licet enim detur quod ideò creatura sit finita, quia dependet ab alio, tamen vltima resolutio finitatis ipsius non sistit ibi, etenim ideo aliquid ab alio est dependens, quia ex suâ essentiâ, & ab intrinseco exigit habere esse receptum, ergo licet similiter detur, quod inferatur infinitas Dei, ex eo quod Deus non sit ab alio dependens, tamen vltima resolutio infinitatis eius, fit in hoc, quod sit ipsum esse subsistens, cũ ideo Deus non sit ab alio dependens, quia est suum esse subsistens, & irreceptum, omnis enim negatio debet in aliquo positiuo fundari, & consequenter illa negatio dependentiæ ab alio, quæ est in Deo, debet in illo positiuo fundari, quod sit suum esse, seu esse a se, ex quo sequitur, quod non sit ab alio.

2. Respondetur cum Nauarret. quod licet limitatio effectus, seu creaturę proueniat à Deo extrinsecè, & in genere causę efficientię, tamen formaliter, & intrinsecè prouenit ei ab intrinsecis principiis, & ex eo quod habeat esse receptum, ergo similiter ratio infinitatis, quę est in Deo, debet peti primo, & formaliter ab intrinsecis eius principiis, ex eo scilicet, quod habeat esse a se, & ex eo quod sit ipsum esse subsistens.

3. Resp. cum Gonz. loco citato 1. p. & cum P P. N N. Complut. in suâ Physicâ disp. 18. 4. 2. num. 22. creaturam non limitari præcise ex eo quod dicat habitudinem ad Deum, a quo & in fieri, & in conseruari dependet, quia non exprimitur præcisè ex vi dependentię a virtute infinitâ limitatio, & finitas, sed debet necessariò relucere illa creaturæ limitatio in aliquo, quod sit ipsi creaturæ intrinsecum, in hoc scilicet, quod tali modo

modo pendeat, id est in hoc, quod habeat esse receptum ab alio.

2. Obiicitur, Angelus est forma non recepta in materia, & tamen Angelus est quid finitum; ergo non ex eo præcise aliquid est infinitum, quod in materia non sit receptum.

Respondeo, quod Angelus est essentialiter potentia ad esse, quod recipit, & consequenter cum includat in suo essentiali conceptu aliquam potentialitatem, non erit quid infinitum, sed potius quid finitum simpliciter: ad hoc enim vt aliquid sit simpliciter, & absolute finitum, non est necesse, quod recipiatur in alio tanquam in materia, vel potentia, sed sufficit vel quod recipiatur modo prædicto, vel quod intrinsece includat rationem potentiæ; licet ergo ex D. Tho. 1. p. q. 50. art. 2. ad 4. Angeli habeant aliquam infinitatem, ex eo quod sint formæ non receptæ in materia, tamen simpliciter sunt in esse quid finitum, quia esse eorum recipitur in natura, & propterea in libro de causis dicitur quod intelligentia est inferius infinita, in quantum scilicet non recipitur in aliqua materia, quamuis sit superius finita, in quantum à suo superiori, hoc est à Deo esse recipit, & ex tali potentia ad esse habet Angelus, quod essentialiter sit finitus, terminosque in sua essentia includat, genus scilicet, & differentiam.

3. Obiicitur in isto discursu D. Thomæ, forma finitur per materiam, vel actus per potentiam, committitur fallacia consequentis, sicut enim non valet, vt habetur 3. Physic. textu 21. Corpus finitur ad corpus, ergo si corpus non est finitum ad corpus, est infinitum, quia tunc vltimum cælum esset infinitum, ita non valet forma finitur per materiam, vel actus per potētiā, ergo forma separata vel actus separatus est quid infinitū.

6. Respondeo, quod in illo D. Tho. discursu, nullo modo committitur fallacia consequentis, sicut enim si daretur, quod vltimum cælum non posset in alio corpore esse, aut ab alio corpore circuiri, & comprehendi, optime sequeretur, quod illud esset infinitum in ratione corporis; ita quia in illo discursu D. Th. non solum intelligitur, quod actus sit actu separatus à materia, sed etiam quod sit aptitudinaliter ab ea separatus, hoc est, quod nullam habeat aptitudinem, & potentiam, ad hoc vt in materia, vel in quacumque alia potentia per modum formæ informantis recipiatur, bene sequitur si actus limitatur per suam potentiam actum, qui est sic à potentia omnino separatus, & qui ex sua essentia nullo modo petit vniri cum ea, esse simpliciter, & absolute infinitum.

4. Obiic. ex Suare lib. 2. de attributis Dei cap. 1. num. 5. in creaturis dicitur aliqua essentia finita in gradu entis, quia talis est, vt non repugnet illi habere aliam excellentiorem in gradu entis; ergo Deus dicetur simpliciter infinitus, quia tantæ perfectionis est, vt non possit superiorem, aut æqualem habere, qui sit distinctæ naturæ ab eo.

Respond. quod ratio prima finitatis, & limitationis creaturæ, non est ea, quæ affertur in obiectione, sed datur altera prior, ex qua illa sequitur, quæ est quod sit potentia ad esse receptum, & quod habeat ex consequenti genus, & differentiam, (quæ quidem vocantur à D. Tho. in 1. dist. 43. q. 2. a. 1. 5. Metaph. lect. 18. & 3. contra Gentes cap. 49. termini natu-

ræ, & essentiæ,) & ex hoc sequitur, quod creatura habeat, aut habere possit aliam superiorem: ita etiam similiter dicimus, quod licet Deus, ex eo quod sit infinitus habeat, quod alium in perfectione superiorem non possit admittere, tamen ratio primaria infinitatis ipsius non consistit in hac, sed quod sit ipsum esse per se subsistens, & irreceptum, per quod tanquam per primariam, & fundamentalem omnium rationem Deus sibi vendicat repugnantiam, & negationem definitionis, & limitationis essentialis. quæ fit per genus, & differentiam, aut per quoscúque alios terminos: ex quo sequitur quod secunda ratio, quam ex D. Th. cap. illo 43. contra Gentes attulimus, fundatur in prima tanquam in fundamentali, & primaria, ex eo enim, quod Deus sit suum esse subsistens, habet, quod neget, & excludat à se & limitationem, quæ prouenit ex potentia ad esse, & ex esse recepto, & limitationem, quæ prouenit ex genere, & differentia, & limitationem, quæ prouenit ex materia, omnes deniquæ limitationes.

Et si obiicias, ex Suare eodem cap. 1. num. 4. quod Deus habet ex vi simplicitatis suæ formaliter negare, & excludere à se omnes prędictas compositiones, quæ fuit ex esse, & essentia, ex materia, & forma, ex genere, & differentia & consequenter non habere hoc ex vi infinitatis suæ formaliter.

Respondetur quod Deus ex vi simplicitatis suæ excludit quidem formaliter à se omnem omnino compositionem, sed limitationem, & finitatem, quæ prouenit ex compositione non excludit, nisi radicaliter ex vi simplicitatis, ex vi autem infinitatis formaliter: sicut compositio est radix, ex qua infertur limitatio compositi; ita ex simplicitate, quæ excludit omnem à Deo compositionem, infertur tanquam ex radice infinitas Dei, seu repugnantia, quam habet Deus, ad hoc vt limitetur, & finiatur: & sic esse subsistens, & irreceptum Dei in quantum excludit à se omnem compositionem, est radix, vnde prouenit, quod idemmet esse subsistens, & irreceptum excludat formaliter, & immediate omnem limitationem, & finitatem à se: nec hoc inconuenit, quia certum est, quod in Deo vnum attributũ potest esse ratio alterius attributi, & propterea dicimus æternitatem Dei per immutabilitatem eius tanquam per causam virtualem probari, ergo similiter poterit per simplicitatem Dei infinitas eius probari sed rursus simplicitas per ipsum esse subsistens probatur, ideo enim Deus excludit à se omnem compositionem, quia est esse subsistens, & irreceptum, & sic fontalis, & prima ratio, in quam vltimo refunditur infinitas Dei est esse subsistens ipsius.

Quod si obiicias infinitatem esse attributum negatiuum, & consequenter naturam eius explicandam esse per aliquid negatiuum, & non per aliquid positiuum, sicut est esse subsistens.

Respódeo, quod licet attributa Dei negatiua significent ex modo significandi, seu ex parte obiecti veluti motiui negationem; tamen ex intẽtione imponentis significationẽ, & quantũ ad res, quæ per huiusmodi nomina intenduntur declarari, & significari per modũ obiecti terminatiui; non significant solas negationes, sed aliquid positiuum, & maximas Dei per-

fectiones, quæ tamen, quia vt sunt in seipsis, cognosci non possunt, per negationes declarantur, & exprimũtur. Videantur ea, quæ dicta sunt supra disput. 10. vbi de simplicitate Dei q. vltima nu. 20. & disp. 12. num. 1.

Obiectiones quas facit Vasq. cõtra duas rationes D. Th. non attulimus, quia sufficienter solutæ sunt ex iis, quæ dicta sunt per totam disputationem.

Soluuntur obiectiones aliquæ quæ absolute infinitatem Dei impugnant.

§. III.

OBiicitur, absolute contra infinitatem Dei, quod Deus videtur non esse infinitus: quia illud, quod ita est hic, vt non sit alibi, est finitum localiter; ergo illud, quod ita est hoc ens, quod non sit aliud ens, est finitũ simpliciter in ordine entis: at Deus est ita hoc ens, vt non sit aliud ens, cum ab omnibus creaturis distinguatur, ergo:

8. Respondeo, ex D. Th. 1. p. q. 7. a. 1. ad 3. vbi hanc sibi facit obiectionem, & ita respondet. *Ad 3. dicendum, quod ex hoc ipso, quod esse Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo: prout dicitur infinitum distinguitur ab aliis, & alia remouentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso, quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subiecto:* hæc D. Thomas.

Valentia dicit hanc D. Thomæ responsionem nullo modo argumentum soluere, sed relinquere obiectionem in tota sua virtute, & concedere id, quod argumentum intendit.

Sed pace eius dixerim responsio D. Th. acutissime, & profundissime soluit argumentum, per hoc quod dicit Deum, ex hoc, quod est esse subsistens, distingui ab aliis entibus, sensus enim illorum verborum hic est, quod sicut si daretur albedo subsistens, illa distingueretur ab aliis albedinibus in subiecto receptis, ex hoc ipso, quod in subiecto non reciperetur, licet omnem perfectionem albedinis, quæ in aliis albedinibus reperitur, in se contineret, vt supra q. 4. a. 1. dixerat. ita (inquit D. Tho.) ex hoc ipso, quod Deus est ens per se subsistens distinguitur ab aliis entibus, quia cætera entia non habent esse subsistẽs, sicut ipse habet, quamuis tamen illa distinctio non impediat infinitatem eius in ordine entis, & quod per modum esse subsistentis, quod est forma vniuersalissime abstracta in toto genere entis, cæterorum entium perfectiones eminentissimo modo in se contineat, & hic est profundissimus verborum D. Tho. sensus: ex quo patet euidenter non concedi ab eo illud, quod intendit argumentum, sed potius negari eius consequentiam.

Obiicitur, si Deus esset infinitus, sequeretur, quod inter Deum & creaturam quamlibet esset distantia infinita, atqui hoc non posse dici probatur, si enim esset distantia infinita inter Deum & quamlibet creaturam, sequeretur, quod quælibet creatura, æque distaret à Deo, ac altera, atqui hoc asseri non potest, quia si quælibet æque distaret à Deo, ac altera, quælibet, esset æque perfecta, ac altera, cũ fundetur distantia creaturæ à Deo in perfectione creaturæ, & in tãtũ quælibet creatura dicatur magis, vel minus distare à Deo, in quãtum magis, vel minus est perfecta: ergo si quælibet infinite à Deo distat, cũ in infinita

non detur magis, aut minus, quælibet æqualiter à Deo distabit.

9. Respondetur primo, quod licet infinito formali non detur maius, aut minus, tamen infinito materiali datur maius aut minus: quia vt ostendunt PP. N, N. Complutens. in sua Physica disput. 18. q. 6. infinitum materialiter consideratum, seu secundum ea, ex quibus conflatur, atque componitur, potest esse maius alio infinito, licet si consideretur formaliter secundum quod formaliter dicit carentiam términorum in illo ordine, in quo dicitur infinitum, vnum non possit esse maius alio; licet ergo detur, quantum ad hoc, quod est carere termino in attingentia perfectionis diuinæ, quamlibet creaturam æqualiter distare à Deo, quia nulla creatura, quantumcumque crescat in perfectione, poterit vnquam attingere terminum illum, per quem æqualis fiat cũ Deo perfectionis, tamen creaturarum perfectio, in qua talis distantia fundatur, potest in vna creatura esse maior, quam in altera, & sic vna creatura, ratione minoris perfectionis, quam habet cum altera poterit dici magis distare à Deo distantia illa materialiter considerata, quam distet altera, licet vtraque distantia sit infinita.

Secundo respondetur cum Caietano in tractatu de infinitate Dei, quod licet distantia, qua creatura distat à Deo sit infinita ex illa parte, qua Deum respicit, quia quantumcũque in perfectione crescat, non poterit attingere Deum in perfectione, tamen ex parte, qua creaturam respicit, est finita, & sic ex parte creaturę poterit habere maius & minus, licet ex parte Dei non possit. quẽadmodum si daretur, quod tempus fuisset ab æterno, hodiernus dies magis distaret ex parte sui ab æternitate illius temporis, quam hesternus, licet ex parte æternitatis illius temporis, distantia illa magis, aut minus non pateretur.

Potuissent quidem in hac disput. aliæ de infinito fieri quæstiones, vt an præter Deum aliud infinitum in actu dari possit, & aliæ huiusmodi; sed quia omnibus his quęstionibus à PP, N. N: Complut. in Physica disp. 18. ex omni parte satisfactum est, ideo ad prædictum locum lectorem remittimus.

DISPVTATIO XIV.

DE EXISTENTIA DEI IN REBVS.

VEniet forsan in alicuius mentem huic disputationi præsentem locum non deberi, si attendantur ea, quæ à nobis superius sunt promissa. Promisimus enim prius tractare de iis, quæ pertinent ad Deum, secundum quod est in ordine essendi, seu secundum quod operatiuus non est, antequam accederemus ad tractatum illorum attributorum, quæ Deo conueniunt ratione operationis ipsius: vnde cum existere in rebus Deo conueniat ratione operationis eius transeuntis, vt cum D. Tho. determinabitur, videtur quod prius esset nobis de immutabilitate, & æternitate, quam de eius existentia in rebus agendum. Propositam quidem methodum secuti fuissemus cum D. Th. contra Gentes, qui libro 3. vbi agit de processu creaturarum à Deo, hanc agitat quæst. non autem lib. 1. vbi tamen cap. 9. eiusdem libri primi promittit se acturum de Deo secundum se, sed quia 1. p. aliam Methodum secutus est, & postquam de infinitate Dei egit qu. 7. agit immediate post, qu. scilicet 8. de existentia Dei in rebus; ideo hanc etiam cum eo methodum secuti sumus, nec tamen D. Tho. aut nos cum ipso, qui idem ac nos promiserat, vt patet ex iis, quæ dicit qu. 2. & qu. 14. immediate ante diuisionem quæstionis in art. 1. promissa frangimus.

Pimò quia, licet existere in rebus Deo formaliter, & actu conueniat ratione operationis eius transeuntis, tamen radix vnde hoc conuenit Deo, est infinitas, & immensitas essentiæ ipsius, vt immediate ante qu. 8. & 7. tradit D. Thomas, & consequenter ob connexionem rerum, rectus ordo videtur exigere, vt post quæstionem de infinitate, quæstio & disputatio fiat de existentia eius in rebus.

Secundò, quia licet verum sit, quod existentia in rebus Deo formaliter conueniat ratione operationis eius transeuntis, tamen quia sunt plerique extra Scholam D. Tho. qui id negant contendentes hanc in rebus existentiam Deo ratione substantiæ eius infinitæ, & immensæ conuenire, ideo placuit hanc difficultatem præsenti in loco discutere, vt non solum quid Deo ratione substantiæ eius competat, sed etiam quid ei non competat, apertum habeamus, antequā ad ea, quæ ei ratione suæ operationis cōueniunt descendamus.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus existat in omnibus rebus, & vtrum id optime probetur ex operatione eius transeunti.

Resolutio quæstionis.

§. I.

NOtandum est primo, quod titulus quæstionis non intelligitur solum de existentia Dei in rebus aptitudinali, seu secundum virtutem & potentiam, sed de vera, & actuali existentia ipsius, vtrum scilicet substantia, & essentia Dei actu sit, & existat in omnibus rebus; & vtrum id legitime demonstretur ex operatione eius.

1. Hoc posito prima sent. est aliquorũ qui adeo turpiter errarunt, vt Deum non esse vbique testarentur: poteris illos apud Vasq. 1. p. disp. 27. cap. 1. & apud Valentiam q. 8. p. 1. videre, hũc etiã errorem Vasq. Arist. tribuit, citans ipsum lib. 1. de cælo c. 9. sub finẽ, & lib. de mundo ad Alexandrum, vbi dicit, quod Deus non est alibi, quam in cælo, sicut, inquit, rex persarum non in omnibus ciuitatibus, sed in regia vrbe Ecbatanis, aut Susis esse solet.

Sed respondetur quantum ad primum locũ, nullum esse ibi verbum, ex quo vel leuiter possit inferri, quod Arist. fuerit in illo errore, asserit quidem illo in loco Deũ, substantiasque separatas esse extra cælum, sed ibi solum esse Deum, nullo modo asserit, accipe Arist. verba lect. 21. apud D. Th. *Patet ergo neque locum extra cælũ esse, neque vacuũ, neque tẽpus, quocirca neque apta sunt ea, quæ illic sunt, esse in loco, neque tempus senescere ipsa facit, neque vllius eorũ est vlla mutatio: &c.* Ecce textum Arist. ex quo Vasquez potest deducere Arist. in illo errore fuisse; neque enim est quidquam in toto illo capite, ex quo possit illũ errorem Arist. tribuere, pręterquam ex hoc textu. Iudica, vtrum sit, vel vllus terminus, ex quo possit turpissimus ille error Arist. affingi.

Ad secundum autem locum respõdetur, quod vertitur in dubium, vtrũ ille liber sit Arist. vt ipsemet Vasq. aduertit. Secũdo dato quod ille liber sit Arist. respondetur, quod solũ vult Arist. Deũ non esse ita peculiari modo alibi, sicut est in cælo, quia non ita se manifestat in aliis operibus suis sicut in splendidissimo illo, fulgentissimoque opere: ita debet responderi aliquibus aliis locis Arist. ex quibus vel inuitum volunt quidam in hunc errorem Aristotelem trahere.

Secunda sent. est, licet Deus existat in omnibus rebus, & id de fide sit tenendum, rationem tamen D. Tho. ex operatione Dei desumptam esse ad id probandum inefficacem. ita Scotus in 1. dist. 37. q. vnica, quem sequuntur Valentia 1. p. q. 8. p. 1. §. dico secundo: Vasq. disp. 28. a. 4. Molina in q. 8. 1. p. disp. 2. & 4.

2. Nostra & omnium Thomist. sent. est, quod Deus vbique, & in omnibus rebus existit, & quod ratio D. Th. ex operatione ipsius transeunti desumpta id omnino conuincit. ita omnes Thomist. 1. p. q. 8. a. 1. & Ferrar. 3. cont. Gentes c. 68.

Prima pars cõclusionis prob. quod scil. Deus sit secundum substantiam vbique, & quod in omnibus rebus existat: in hac conclusione debẽt omnes Catholici cõuenire, quã fides tot, adeoque euidentibus testimoniis edocet, vt act. 17. *Non longe est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus,*

mouemur, & sumus. Hierem. 23. *cælũ, & terrã impleo*: Psal. 138. *si ascendero in cælũ, tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.*

Prob. ratione desumpta ex D. Th. 3. cont. Gent. c. 68. sicut se habet res corporea ad hoc, vt sit in loco per quantitatem dimẽsiuam, ita se habet res incorporea, ad hoc, vt sit in aliquo per virtutem suam: sed si daretur aliquod corpus habens quantitatem dimensiuam infinitam, oporteret ipsum esse vbique, ergo res incorporea virtutem habens infinitam, sicut habet Deus, debet esse vbique.

Confirm. quia Deus continet sub eminenti quadam ratione quantitatem omnium corporum non solum existentium, sed etiam omnium possibilium: ergo illa omnia, quæ possunt conuenire quantitati omnium corporum, quæ sunt, & possunt esse in vniuerso, illa omnia Deus eminenti virtute sua præstare potest, ergo vbicumque quantitas potest corpora constituere, ibi potest, & virtus Dei infinita, Deum etiam constituere.

Prob. 2. pars conclusionis, in qua prima magis declaratur, & prob. adducendo, & elucidando ipsam D. Th. rationem, qua tanquam efficacissima pluribus in locis vtitur vt 1. p. q. 8. a. 1. in 1. dist. 37. q. 1. a. 1. & q. 2. a. 1. & 3. contra Gentes c. 68. ad cuius intelligẽtiam suppono ex eodem S. Præceptore secũdo loco statim citato, quod mouens & motum, agens, & patiens, operans & operatũ debent esse simul vt 7. Physic. à textu 10. vsque ad 13. inclusiue prob. quod quidem diuersimode contingit in corporalibus, & in spiritualibus agentibus, etenim quia corpus circumscriptum est terminis quantitatis, & determinatum ad situm aliquem, propterea corpus mouens, & corpus motum non possunt secundum proprias eorum substantias esse simul in eodem loco, aut situ, sed possunt solum esse simul per cõtactum. Spiritualis vero substantia, cuius essentia, omnino absoluta est à quantitate, & situ, ac per consequens loco, non est distincta situ, vel loco ab eo, quod mouet, sed vbi est, quod mouetur, ibi est & ipsum mouens, sicut anima est in corpore, & spiritus mouens cælũ in illa parte, vnde incipit motus, in dextera parte scilicet orbis illius, quem mouet, vt habetur 8. Physic.

Secundo suppono ex eodem ibidẽ, & loco citato cont. Gent. in qualibet creatura esse aliquid, quod est immediatus effectus Dei, vt est esse, & specialiter in rebus materialibus materia, in spiritualibus vero tota rei substantia: cum enim materia, & formæ subsistentes fiant per creationem, & creatio à solo Deo sit, itaut etiam instrumentaliter ad eam creatura concurrere non possit, vt 1. p. q. 45. a. 5. à D. Th. eiusque interpretibus prob. & nos infra ostendemus disput. 17. qu. 3. hinc fit ex necessitate debere Deum esse immediatum agens respectu cuiuscumque effectus.

3. His positis sic efformatur illa D. Thomæ ratio: illud agens spiritale, quod agit immediate immediatione tam virtutis, quã suppositi, debet esse ibi, vbi est effectus suus, sed Deus est agens spiritale, agens immediate immediatione tam virtutis, quam suppositi respectu cuiuslibet creaturæ, adeo vt ratio formalis sub qua ex parte effectus creaturam quamlibet attingit, sit intime imbibita in qualibet creatura, nihilque sit vlli rei intimius, quam ipsa: ergo

debet Deus intime reperiri in qualibet creatura.

Maior patet ex suppositione prima, quam statim ex D. Tho. retulimus, & potest adhuc magis suaderi ex Capreolo in 1. dist. 37. q. vnica a. 2. ad 8. contra 1. concl. quia agens est quodammodo actus respectu passi, & passum potentia respectu agentis: vnde cum actus non possit suam potentiam actuare, nisi sit ei actualiter præsens, & cum eo actualiter vnitus, hinc fit esse impossibile, quod agens agat in passum, nisi ei actualiter vniatur secundum modum & naturã agentis & passi: ergo si agens est talis naturæ, vt nihil in se habeat, ratione cuius incompossibilitatem & repugnantiam habeat essendi secundum se, & secundum substantiam suam in eodem loco, in quo passum existit, de facto habebit in eodem loco cum passo existere: ergo cum agens spiritale nullam habeat quantitatem, per quam sibi possit repugnare, quod in eodem loco existat, in quo existit passum, de facto ibidem cum eo etiam secundum propriam substantiam existet, modo tale agens spiritale agat, non solum immediatione virtutis; sed etiam immediatione suppositi.

Declaratur magis illa maior. Certum est enim & indubitatum apud omnes, quod forma non potest informare, nisi actu sit vnita suæ potentiæ: vniri autem non potest actu suæ potentiæ, nisi per applicationem virtutis actiuæ agentis, & eo modo, quo ab agente, per quod applicatur, dependet. Vnde si ab agente in fieri pendeat, debebit ab agente in fieri applicari: si autem ab agente non solum in fieri, sed etiam in esse & in cõseruari pendeat, quamdiu forma erit, & conseruabitur in tali vnione, tamdiu pendebit ab actuali applicatione agentis. ergo cum applicatio fiat per actualem coniunctionem virtutis applicatiuæ cum forma applicata, si virtus applicatiua sit virtus alicuius agentis, quod agit non solum immediate immediatione virtutis, sed etiã immediate immediatione suppositi, ibi erit suppositum agentis, vbi est effectus suus, & illud quod recipit aliquid ab ipso, si agens sit talis naturæ, vt ei non repugnet secundum propriam substantiam esse ibidem, vbi est passum, vel effectus. Ergo cum agens spiritale, quod agit immediate immediatione virtutis & suppositi, nullam in se quantitatem habeat, ratione cuius repugnet sibi ibidem existere, vbi existit suus effectus, (sicut repugnat agenti corporeo ratione quantitatis) de facto in eodem loco cum effectu suo secundum propriam substantiam suam reperitur.

Minor autem quoad singulas eius partes probatur. Et primo quidem quod Deus sit agens spiritale, & non corporeum, patet ex iis quæ dicta sunt superius disp. 10. quæst. 1. vbi demonstratum est Deum esse immaterialem, & corporis expertẽ. Quod autem sit agens respectu cuiuscumque creaturæ, & secundum id quod est intimius in seipsa, hoc est etiam euidens: quia Deus est prima & vniuersalissima omnium causa, cui consequenter ex parte cuiuscumque effectus debet correspondere prima & vniuersalissima ratio, quæ sit in eo: & propterea etiam assignatur tanquam effectus proprius Dei esse, quod vniuersalissime & intimissime penetrat quascumque alias rationes, ita vt nulla sit, in qua intime non imbibatur:

imbibatur: ergo cum prima causa actu influat in quoscumque effectus, nullus erit effectus, nulla creatura, in quam actu rationem entis, seu esse non influat, & cum Deus sit causa talis esse secundum se, & consequ. non solum in fieri, sed & in conseruari, vt ostendit D. Thom. 1. p. qu. 104. a. 1. hinc fit, quod ab influxu continuo Dei creatura dependeat, adeo vt ipso cessante, necesse sit statim & eo momento ad nihilum redigi esse cuiuslibet creaturæ; sicut cessante illuminatione solis necesse est aërem tenebrosum fieri, & luce priuari. Deinde dato quod Deus non attingeret esse vt sic creaturæ, tamen nullus potest dubitare, quin saltem in rebus materialibus materiam, & in spiritualibus totam eorum substantiam attingat, cum hęc omnia per creationem fiant, quæ soli Deo competere potest, vt disput. 27. fusius ostendetur.

4. Quod autem Deus sit agens immediatum non solum immediatione virtutis, sed etiam suppositi, quæ est vltima pars minoris, probatur: quia virtus diuina non est distincta à substantia Dei, sed est ipse Deus: ergo quotiescũq; Deus agit, agit non solũ immediatè immediatione virtutis suę sed etiam immediatè immediatione substãtiæ suæ, suique suppositi: ergo cum effectus Dei proprius in quacumque creatura sit esse, ratione cuius creatura & in fieri, & in esse, & in conseruari à Deo dependet, & illud esse sit intimè imbibitum in quacumque ratione creaturæ, Deus erit intimè & semper secundum propriam substantiam in quacumque creaturâ, ad hoc vt contactu virtutis suæ, quæ à propria substantia sua non distinguitur, applicet, & communicet esse cuicumque rationi creatæ.

Et si dicas contra hanc vltimam partem, quod Deus potest participationem virtutis suæ communicare alicui creaturæ, per quam postea produceret suos effectus, tanquam per suum instrumentum, & consequenter ex identitate, quam habet virtus principalis Dei cum propria substantia eius, non inferri de necessitate, quod Deus debeat semper agere immediate immediatione suppositi proprij, propriæque substantiæ: quia ex suppositione quod vteretur aliqua creatura tanquã instrumento ad suos effectus, mediaret illa creatura inter suppositum diuinum, & effectus suos: & cõsequenter Deus non ageret immediate immediatione suppositi, sed solum immediate immediatione virtutis: & sic non inferetur necessario & infallibiliter ex operatione Dei existentia eius in omnibus rebus.

Respondeo primo, quod licet admitteretur casus in argumento propositus, tamen non potest negari, quin potuerit Deus per seipsum producere rationem entis sibi correspondentem, tanquam proprium effectum in quacunque creatura: quia certum est quod Deus non dependet in agendo absolute, & de necessitate ab aliquo instrumento: ergo quantum est ex se potuit Deus existere in quacumque creatura ex vi operationis suæ, & sic ex vi operationis diuinæ sequitur absolute, & quantum est ex se existentia Dei in omnibus rebus.

Secundo respondeo casum esse impossibilem quia ex D. Tho. 3. contra Gentes cap. 63. ratione 3. impossibile est, quod vlla virtus creata possit adæquare virtutem Dei, & consequenter non potest à Deo communi-

cari vlli creaturæ virtus instrumentalis, per quam producat omnes omnino rationes, quas attingit in omnibus creaturis. Primo quia in qualibet creatura est aliquid per creationem productum, ad quod nequidem instrumentaliter potest creatura assumi, vt dicetur infra disp. 17. Secundo quia quælibet creatura necessario, & omnino indispensabiliter dependet secundum rationem entis vt sic à Deo, tanquam ab agente immediato immediatione & virtutis & suppositi: sicut enim non potest communicari vlli creaturæ ratio primæ causæ, ita non potest etiam communicari vlli creaturæ vis attingendi primitatem, quæ est in effectu, & supremam eius rationem, sed hæc soli Deo reseruatur. Et hoc propter duo. primo, quia omnis actio creata est accidens, & consequẽter omnis actio creata quęcumque attingit, attingit ea ex præsupposito subiecto, quia cum qualiter se habet aliquid ad esse, taliter & ad operari se habeat, & omnis virtus creata dependeat in esse à subiecto, necesse quoque erit eam in operari dependere ab eo, & ex illo præsupposito agere: & sic non poterit vlla actio creata attingere ens vt sic: quia ens vt sic nullum subiectum, nullamque dispositionem præsupponit. Secundo quia si communicaretur vis alicui creaturæ ad producendum & conseruandum ens vt sic, posset talis creatura producere & conseruare in seipsa prædictam rationem: quia virtus quæ potest in aliquam rationem vt sic absolute consideratam, potest se ad eam extendere vbicumque talis ratio reperitur: ergo sicut implicat posse communicari vlli creaturæ vim ad productionem & conseruationẽ entis vt sic in seipsa; ita implicabit ei communicari vim ad producendũ & conseruandum gradum illum vt sic in aliis creaturis. Et sic debet necessario in quacumque creatura esse aliqua ratio indispensabiliter per se correspondens Deo, tanquam agenti immediato immediatione tam virtutis quam suppositi.

Soluuntur obiectiones contra D. Tho. rationem.

§. II.

OBiicitur ideo agens corporeum non potest agere nisi in corpus sibi propinquum, quia est agẽs finitæ & limitatæ virtutis: ergo cum Deus sit agens finitæ virtutis poterit agere in distans; ergo si per impossibile daretur quod Deus distaret ab aliqua creatura, posset tamen in eam agere: & consequenter ex operatione eius in aliquid, non sequitur, nec infertur pręsentia eius in ea.

Confirmatur quia, quo agentia sunt perfectiora, eo magis possunt in ea quæ sunt à se magis distantia agere: ergo cum Deus sit agens infinite perfectum, poterit in ea quæ sunt infinite à se distantia agere: & conseq. ex operatione Dei in aliquid nullomodo sequitur præsentia eius in eo.

5. Antequam respondeamus oportet scire quod inter agens & patiens corporeum duplex potest esse propinquitas; altera situalis, quod aduenit quando vtrumque corpus, & agens, & patiens se inuicem secundũ vltima quantitatis suæ contingunt, altera in ratione agẽtis & passi (quod.

aduenit, quando vnum actu in aliud agit.) Quod autem istæ duæ propinquitates sint diuersæ non potest in dubium reuocari: quia certum est, quod aliqua corpora possunt esse situ valde propinqua, imo & se inuicem formaliter & actu tangere, etiam si vnum non agat in aliud: & deinde potest hoc euidenter ostendi, ex eo quod istæ duæ propinquitates diuersa omnino habent fundamenta, cum propinquitas in situ, fundetur in quantitate, propinquitas vero in ratione agentis & passi, fundatur in virtute actiua agentis, & passiua patientis. Ita autem comparantur istæ duæ propinquitates, vt propinquitas in ratione agentis & passi, situalem necessario supponat (si loquamur secundum cursum ordinarium, ita vt si agens corporeum (si agat immediate immediatione tam virtutis, quam suppositi in aliud corpus) debeat secundum virtutem, & secundum propriam suppositi sui quantitatem, alterius corporis, in quod agit quantitatem tangere; quamuis si solum immediate immediatione virtutis agat, sufficiat recipi virtutem ipsius in corpore illo, quod immediate tangit passum, in quod debet agere. Hoc posito respondetur quod licet alligari ad hoc, quod aliquid agat in aliud, cui sit propinquum secundum situm, hoc arguat finitatem & limitationem virtutis actiuæ, quia hoc infert quod virtus actiua sit materialis; tamen quod agens sit propinquum & præsens passo, quando actu in ipsum agit, hoc non est ex limitatione virtutis actiuæ, sed ex ratione agentis & passi vt sic: quia sicut impossibile est quod vllus actus actuet potentiam, nisi sit potentia præsens & proxima, & quod vna quantitas tangat alteram nisi sit ei situaliter præsens, & propinqua; ita implicat quod vllum agens agat in passum absque eo quod sit intime illi præsens, vel secundum virtutem, si solum agat immediate immediatione virtutis; vel secundum substantiam & virtutem, si agat immediate tam immediatione virtutis quam suppositi: quia actio est actualis contactus. quo passum tangitur & continetur à virtute actiua eo modo quo vbicatio est id, quo locatum tangitur & continetur ex quantitate corporis locantis: ex quo fit quod si virtus agentis est actu vnita cum proprio supposito, sicut est in Deo, actio vniet non solum virtutem, sed etiam ipsammet substantiam agentis passo.

Ad illud ergo quod dicitur posse Deum agere in illud à quo ex hypothesi distaret, respondetur hoc non posse fieri: eo enim ipso quod Deus ageret in illud, eo ipso traheret illud intra infinitatem virtutis suæ, sibique illud vi actionis suæ actu coniungeret & vniret: quia de ratione virtutis eius infinitæ est, quando actu agit in aliquid, quod illud contactu actiuo attrahat intra se, & substantiæ suę coniungat. Neque enim fingendum est, quod Deus res producendo à loco aliquo remotissimo recedat, vt ad eos accedat, & se illis proximum, vicinumque reddat; quin potius actione sua, quasi contactu quodam attractiuo, quem producit effectum ad se trahit, & infinitæ virtuti suæ atque substantiæ præsentem reddit.

6. Secundo respondetur cum Caiet.

& Naz. 1. p. q. 8. art. 1. quod eo ipso quod poneretur Deus situaliter ab aliqua re distans, poneretur implicantia & contradictio, nimirum quod posset Deus immediate agere in illam rem distantem propter infinitam eius virtutem, (supponeretur enim esse adhuc Deus in illa hypothesi) & quod non posset in illam rem immediate agere: quia Deus in rei veritate non esset amplius Deus, nec infinitæ virtutis, sed finitæ & limitatæ, eo modo quo situ finitus esse supponeretur.

Ad confirmationem respondetur agentia eo esse perfectiora, quo agũt in magis distantia, distinguo: quando illa agentia sunt agentia corporea, quæ in agendo dependent à loci propinquitate, concedo: quando sunt aliqua agentia quæ non pendent in agendo à loci propinquitate, nego. Quod autem istud axioma debeat sic intelligi de agentibus in aliquo genere determinato, idest, de corporeis, & de iis quæ pendent in agendo à loci propinquitate, non autem absolute de quibuscumque agentibus, euidens est, quia comparatiuum præsupponit positiuum: ergo quando dicitur agens illud esse perfectius, quod agit minus dependenter à loci propinquitate, seu in magis distans, istud comparatiuum debet supponere quod agens indigeat rei propinquitate ad agendum: sicut ergo non licet inferre, quod intelligere per conuersionem ad phantasmata sit absolute perfectius, quam intelligere sine conuersione ad illa, quia intelligere per conuersionem ad ea est perfectius, in comparatione ad animam rationalem, vt ait D. Tho. 1. p. q. 89. a. 1. ita licet agere in magis distans, sit quid perfectius agenti corporeo, quod dependenter à loci propinquitate agit, quam agere solum in id quod est minus distans; tamen simpliciter absolute non est verum, quod illud agens, quod agit in remotius, & in magis distans, sit inter quæcumque agentia perfectius: quia absolute hoc arguit imperfectionem in agente: primo quia hoc arguit quod tale agens non habet plenum dominium supra effectum: nam absolute & simpliciter, quando causa agit in sibi propinquum, magis est disposita ad plene dominandum effectui quam quando longius distat ab eo.

Secundo quia, causa quæ agit in distans, non potest esse causa effectus secundum esse illius vt sic; & consequenter non potest esse prima causa nec primum agens respectu illius: quia illud agens quod est causa prima effectus secundum rationem agẽtis vt sic, debet esse causa immediata illius, non solum immediate immediatione virtutis, sed etiam immediate immediatione suppositi: cum illa ratio à nullo agente etiam instrumentaliter attingi possit, vt ostensum est in præcedenti num. 4.

Obiicitur; Deus operatur per suam voluntatem: ergo cum voluntas Dei operetur in distans, ex operatione Dei, non inferetur præsentia eius in aliquo.

7. Respondetur quod quando Deus agit per operationem transeuntẽ voluntatis suæ, eo ipso facit ex vi operationis suæ rem sibi præsentem, vt diximus.

Obiicitur Deus producit res ex nihilo: ergo cum Deus distet in infinitum à nihilo, Deus agit in valde distania.

Respondetur quod licet res sint

valde in ratione entis distantes à Deo, quando sunt in nihilo, & antequam à Deo per actionem eius attingantur, tamen statim atque producuntur ab eo, fiunt ei ex vi actionis ipsius præsentes. Et nota quod quando dicimus Deum non agere in distans, non est mens, quod antequam res à Deo producantur, debeant esse ab ipso indistantes positiue, sicut diximus de passo corporeo, quod debet esse prius agenti corporeo vicinum, & ab eo secundum situm esse indistans, ad hoc vt possit ab eo pati & recipere aliquid; cum enim Deus sit causa totius entis, & omnium rationum quæ sunt in effectu, non potest ante actionem suam supponere rem, quam debet attingere, prius existentem, nec consequenter illam supponere vel à se positiue distantem, vel à se positiue indistantem: quia positiua distantia, vel indistantia supponit extrema positiua. Cum ergo ante actionem Dei creaturę non existant, non potest illas Deus supponere, antequam in eas agat, à se indistanter positiue: illud ergo quod intendimus, quando dicimus Deum non operari in distans, est, quod licet res creatæ, antequam à Deo per actionem earum productiuam attingantur, sint ab eo in ratione entis in infinitum veluti distantes negatiue, cum in seipsis pro illo priori sint non ens & nihil; tamen ex vi actionis diuinæ, ex summa illa in ratione entis distantia, fiunt in puncto & in instanti Deo indistantes, & virtuali contactu virtutem substantiamque eius infinitam atque immensam tangentes.

Obiicitur ex Scoto in 2. d. 45. nullum esse principium D. Th. quo ex operatione Dei probat existentiam eius in rebus, quia apud ipsum idem est, substantiam spiritalem operari circa aliquid, & existere in eo: ergo D. Tho. probat idem per idem.

Respondetur cum Caiet. 1. p. q. 8. a. 1. Naz. & Gonz. ibidem, quod operatio Dei est causa formalis, cur Deus existat in rebus: & consequenter D. Tho. non probat idem per idem, sed per causam formalem effectum eius formalem probat; sicut si per albedinem probaret aliquid esse album. Respondetur secundo ex Gonzale, posse dici quod D. Tho. probat relationem præsentiæ, quam Deus habet ad res in quibus est per operationem suam, tanquam per fundamentum talis relationis, & consequenter non est idem per idem probare, sed per causam fundamentalem, & veluti dimanatiuam relationis, relationem probare.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus existat in rebus ratione suæ operationis formaliter, an potius ratione suæ substantiæ & immensitatis.

Aliqua supponuntur.

§. I.

8. SVppono primo ex D. Tho. in 1. d. 37. q. 1. Deum quinque modis in rebus existere, per essentiam scilicet, præsentiam, potentiam, per gratiam, & per vnionem hypostaticam. Dicitur esse in rebus per essentiam seu substantiam, quia sicut aliquis dicitur esse secundum suam substantiam in loco vbi est, ita de facto Deus dicitur existere in rebus omni-

bus creatis secundum suam substantiam & essentiam, & hunc modum essendi statuit D. Tho. contra eos, qui dicebant Deum non creasse omnia immediate, sed mediis supremis creaturis. Secundo dicitur esse in rebus per præsentiam, quia omnia sunt oculis eius præsentia, nuda & aperta, & sic sicut dicimus illa esse nobis præsentia, quæ oculis nostris subiiciuntur, ita omnia dicuntur Deo præsentia, quia nihil est quod oculos Dei fugiat. Et hic modus statuitur contra eos qui prouidentiam Dei vsque ad inferiora nolebant extendere. Iuxta illud Iob 22. circa cardines cæli perambulat nec nostra considerat. Tertio dicitur esse in rebus per potentiam, in quantum potestati eius subduntur omnia. Et iste modus ponitur contra Manichæos, qui solas res spiritales potestati diuinæ subiiciebant, non autem res corporeas, quas à principio malo productas esse dicebant. Quartò dicitur specialiter esse in iustis per gratiam, inquantum speciali modo iusti habent attingere Deum per cognitionem, & amorem à gratia procedentem. Quinto autem modo in solo Christo reperitur, cum soli humanitati ipsius Verbum diuinum secundum vnionem hypostaticam sit vnitum. Notat autem D. Tho. 1. p. q. 8. a. 1. ad 4. & in 1. d. 37. q. 1. a. 1. ad 5. non esse simpliciter concedendum, Deum esse in dæmonibus, primo quia dæmon non nominat naturam simpliciter, sed naturam cum deformitate: vnde cum Deus non sit causa deformitatis, quæ est in dæmone per peccatum, non debet simpliciter concedi ipsum esse in dæmone.

Secundo: quia (vt loco allegato 1. sententia dicit) dæmon est natura intellectualis: vnde si diceretur simpliciter & absolute quod Deus est in dæmone, intelligeretur esse in eo secundum specialem illum modum, secundum quem dicitur esse in natura intellectuali per gratiam. Vnde subdit, nec de dæmone, nec de peccatore esse simpliciter asserendum quod Deus sit in eis, sed solum cum ista limitatione, inquantum sunt creaturæ.

Quod si quæras, vtrum intra quinque illos modo ex D. Th. complexus sit omnes modos, quibus Deus dicitur esse in rebus.

Respondetur affirmatiue cum Naz. prima parte quæst. 8. articulo quarto, dubio secundo: nam quod Deus dicatur esse alicubi per signa quædam particularia, specialem eius præsentiam declarantia, vt in rubo Mysterium Incarnationis figurante, Exod. 3. aut etiam per specialem cultum, vt in templis Deo dicatis, hoc ad illum modum reducitur, quo Deus dicitur esse in iustis per modum obiecti cogniti & amati ab eis per gratiam, nam prædicta loca & signa ad excitandam Dei cognitionem amoremque ordinantur; ad quem etiam modum pertinere videtur ille specialis modus, quo Deus dicitur assistere summo Pontifici, & SS. Patribus in concilio legitime congregatis pro definitione rerum fidei.

Secundo suppono, quod aliud est quærere vtrum Deus sit secundum suam substantiam in rebus, aliud an sit in illis ratione suæ substantiæ formaliter: substantia enim corporea est in loco circumscriptiue, & tamen substantia non est in loco ratione sui ipsius formaliter, sed

ratione suæ quantitatis mediáte vbicatione locum contingentis: licet ergo substantia & immensitas Dei de facto in rebus omnibus existat, non tamen sequitur inde, quod ibi substantia, aut immensitas Dei sit ratio formalis per quam Deus in illis existit.

Tertio suppono quod nulla realis denominatio potest Deo ex tempore aduenire, nisi ex reali mutatione creaturarum: cum enim noua denominatio realis adueniat ratione alicuius nouæ realitatis, aut ex connotatione saltem determinata illius, & illa noua realitas Deo non possit aduenire, debet ex consequenti creaturæ aduenire, & per aduentum suum nouum, creaturam immutare.

Resolutio quæstionis.

§. II.

9. His positis prima sententia est eorum omnium, quos quęst. præcedenti pro secunda sententia retulimus, qui dicunt Deum formaliter existere in rebus ratione suæ substantiæ vt immensæ & infinitę. Hanc sententiā præter allegatos sequitur Suarez libro secundo de attrib. Dei negatiuis cap. 2. & disput. 30. Met. sect. 7. Et propterea dicit, si res aliqua extra Deum habere posset existentiam sine actione Dei, quod Deus existeret in illa re, vi immensitatis suæ formaliter. Secunda sent. in qua omnes Thomistæ conueniunt cum D. Tho. locis quæstio. præced. nu. secundo relatis, sequentibus conclusionibus declaratur. Prima conclusio Deus non existit in rebus ratione suæ essentiæ vel substantiæ formaliter, ita vt substantia aut essentia ipsius sit ratio formalis quare in illa existat.

Probatur ratione desumpta ex D. Th. loco præallegato primo sent. d. 37. quæstio. 1. articulo secundo in c. sub finem. Illud per quod Deus existit formaliter in creaturis debet connotare creaturas existentes; sed essentia Dei ex pręciso conceptu essentiæ non connotat existentiam creaturarum, sed potius absoluit ab eis, quia essentia Dei, quantum est ex se, est absolutissima à quocumque creaturarum existentium respectu, cum sine vllis creaturis existentibus esse possit: ergo.

Confirmatur: quia Deum existere in rebus, est Deum actualiter rebus existentibus applicari & vniri; at Deus non applicatur nec vnitur rebus existentibus actu per essentiam suam formaliter: ergo. Maior patet ex terminis. Min. probatur: quia Deus non potest applicari & vniri creaturis existentibus, illasque actuali contactu tangere, nisi vel per modum agentis, vel per modum formæ substantialis, vel per modum formæ accidentalis, vel per modum suppositi sustentantis eas; at certum est Deum non vniri cum eis per modum formæ substantialis, aut accidentalis earum: quia Deus, rationem formæ naturalis & entitatiuæ habere non potest. Cum talis forma in suo conceptu imperfectionem de formali inuoluat nec etiam in ratione suppositi eas sustentantis: quia hoc soli Christo competit; ergo debet eis vniri & applicari per modum

agentis: ergo cum essentia diuina non sit id, quo immediate & in actu exercito Deus agit in eis, essentia diuina non erit id, quo formaliter & in actu vnitur & applicatur eis.

Probatur secundo, si essentia vel substantia Dei esset ratio formalis per quam Deus vniretur creaturis, & in illis formaliter existeret, sequeretur quod illa vnio, quam Deus habet cum creaturis, esset vnio substantialis: quia talis est vnio quam Deus habet cum creaturis, qualis est ratio formalis per quam se illis coniungit; atqui ratio formalis, per quam Deus formaliter vniretur cum creaturis, quando in illis existit, esset in illa suppositione substantia Dei: ergo deberet illa vnio esse formaliter substantialis. Neque enim propter aliam rationem dicitur vnio hypostatica esse substantialis, nisi quia esse hypostaticum, quod est ratio formalis, per quam Deus humanitati Christi vnitur, est aliquid sibi substantiale: ergo si Deus vnitur creaturis per aliquid sibi substantiale sicut est eius essentia, vnietur substantialiter cum eis, & talis vnio debebit dici simpliciter & absolute substantialis.

10. Tertio probatur: quia denominatio realis, quæ aduenit Deo in tempore, non potest illi conuenire formaliter ratione substantiæ diuinæ, sed ratione alicuius se tenentis ex parte creaturarum, vel saltem ratione alicuius determinate, per se & ex meritis suis aliquid temporale connotantis; sed existere in rebus est denominatio adueniens Deo in tempore; ergo non potest illa denominatio conuenire ipsi ratione substantiæ suæ, sed ratione alicuius se tenentis ex parte creaturarum: vel saltem ratione alicuius quod per se & ex meritis suis, determinate connotet aliquid temporale, & de nouo existens: ergo cum esse vel substantia Dei, quantum est ex se, præcise & ex meritis suis nihil temporale determinate connotet, non poterit per se formaliter & ratione sui esse Deo ratio formalis existendi in creaturis.

Secunda conclusio. Deus non existit in rebus ratione suæ immensitatis formaliter, sed solum radicaliter. In hac conclusione conueniunt adhuc omnes Thomistæ cum SS. Præceptore locis citatis.

Probatur ratione: prædicatum quod solum conuenit Deo ex tempore, non potest ei conuenire ratione alicuius conuenientis ei ab æterno, & ex necessitate; sed existere in rebus est prædicatum Deo solum conueniens in tempore, & immensitas Dei conuenit ei ab æterno, & ex necessitate: quia immensitas est attributum Dei necessarium: ergo non potest conuenire Deo esse in rebus ratione immensitatis formaliter. Min. est euidens. Maior probatur: quia statim atque aliqua ratio formalis habetur, statim communicat suum effectum formalem: ergo denominatio, seu prædicatum adueniens Deo eo tempore, non potest illi conuenire formaliter ratione alicuius ab æterno ei conuenientis, quia id quod conuenit ratione alicuius æterni debet esse æternum, & non temporale: ergo si immensitas essentiæ diuinæ esset ei formalis ratio existendi in rebus cum immensitas conueniat Deo, necessario & ab æterno, deberet Deus necessario & ab æterno in rebus existere.

Probatur secundo: quia immensitas Dei nõ magis determinat Deum,

quantum

quantum est ex se, ad hoc vt existat in rebus, quæ in præsenti existunt, quã in aliis, quæ possunt, vel potuerunt esse; ergo debet dari aliquid aliud per quod formaliter Deus determinetur ad existendum in his potius creaturis, quam in aliis; ergo cum id per quod formaliter determinatur Deus ad existendum in rebus, sit id ratione cuius formaliter existit, in eis debet dari aliquid aliud præter immensitatem per quod formaliter in eis existat: & sic licet infinitas Dei tribuat ei capacitatem existendi in rebus, vt annotat D. Tho. in initio quæstio. 7. & 8. prima parte, tamen debet dari, aliquid aliud, per quod formaliter & in actu in eis existat.

11. Tertia conclusio. Deus existit in rebus ratione suæ actionis transeuntis formaliter. In ista conclusione conueniunt ad huc omnes Thomistæ cum S. Th. Vide eum præcipue in 1. d.37.q.1.a.2. in c. sub finem: vbi habet ista verba. *Essentia autem eius, cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura, nisi inquantum applicatur sibi per operationem, & secundum hoc quod operatur in re dicitur esse in re per præsentiam, secundum quod oportet operans operato aliquo modo præsens esse, & quia operatio non deserit virtutem diuinam, a qua exit, ideo dicitur esse in re per potentiam, & quia virtus est ipsa essentia, ideo consequitur, vt in re etiam per essentiam sit.* Et q. 2. sequenti ar. 1. in c. sic loquitur. *Sed spiritualis substãtia quæ omnino absoluta est à situ & quantitate, habet essentiam non omnino circumlimitatam loco, vnde non est in loco nisi per operationem: & per consequens virtus & essentia, eius in loco est.*

Probatur ratione: quia Deus non est in rebus ratione suæ essentiæ nec ratione suæ immensitatis formaliter: ergo cum nihil aliud possit assignari, ratione cuius hoc ei formaliter & in actu tribuatur, nisi actio eius transiens, debet hoc ei ratione talis actionis conuenire.

Probatur secundo. Illud per quod formaliter & vltimate determinatur Deus ad existendum in rebus, est ratio formalis per quam formaliter existit in eis; atqui actio transiens Dei est id, ratione cuius formaliter & vltimate determinatur ad existẽdum in rebus: ergo actio Dei transiens debet esse ei ratio formalis existendi in rebus. Mai. patet ex terminis; quia ratio formalis est ea quæ formaliter, & vltimate determinat ad aliquem effectum formalem. Ergo per conuersionem simplicem, illud quod formaliter & vltimate determinabit ad aliquem effectum, erit ratio formalis respectu talis effectus: ergo illud quod formaliter & vltimate determinabit Deum ad existendum in rebus, erit Deo ratio formalis existendi in eis. Min. autem patet: quia post actionem transeuntem Dei, nulla est alia ratio per quam vlterius possit ad creaturas applicari, & sic debet esse ei ratio formalis existendi in eis.

Confirmatur: quia actio Dei transiens est id quo actu tangit contactu suo virtuali res omnes, & quo illas sibi applicat, easque ad se trahit, vt statim ex D. Th. vidimus: licet enim antecedenter ad actionem illam concipiantur, & sint in Deo decreta, per quæ Deus ad productionẽ creaturarum determinatur: tamen illa ratio, per quam exequitur sua decreta & voluntatis suæ determinationem, est actio transiens: ergo debet esse id per quod proximius & vicinius crea-

turis coniungitur: & consequenter debet esse ei ratio formalis existendi in eis, & illas sibi applicandi atque formaliter vniendi, quia per talem actionem träseuntem trahit illas ad se, sibique eas coniungit iuxta illud D. Amb. exponentis de bono mortis hunc locum act. 17. *Non longe est ab vno quoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur & sumus. Plus*, inquit, *absque dubio, quam gubernator est vitæ, in quo motus ipse inuentus est, non enim dicit nos ab ipso, sed in ipso moueri, docens scilicet insitam intra virtutes factas omnium nostrum esse substantiam, quia profecto in ipso viuimus, à quo hoc ipsum dicimus quod sumus.* Vbi D. Ambr. (vt vides) explicat existentiam Dei in nobis, non per hoc veluti quod Deus per suá actionem applicet se nobis, sed potius per hoc quod per eam nos sibi applicet, & nos intra se moueri & viuere faciat. Eodem modo similiter explicat illam Dei in rebus existentiam S. Aug. 7. confess. cap. 5. *Constituebam*, inquit, *in conspectu spiritus mei vniversam creaturam & feci vnam massam grandem distinctam generibus, sane finitam, te autem Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique, & denique per immensa spatia infinitum solum mare, & habens intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam, tamen plena esse spongia illa ex omni parte sua immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam & dicebam. Ecce Deus, & ecce quomodo ambit & implet ea.* Hæc D. Aug. quando ergo Deus per suam actionem transeuntem in rebus existit, non oportet fingere quod per eam vicinum se reddat rebus, quasi longe distaret antea ab eis, vt iam prænotauimus, imo potius per eam intra immensos & infinitos virtutis suæ sinus quas producit creaturas trahit, fouet atque conseruat, & tandem ad operationes mouet & inducit.

Confirmatur: quia Deus non existit formaliter & actu in rebus, nisi secundum quod facit illas à se dependentes: Deus enim non comparatur actu ad creaturas, nec actu illas connotat, nisi secundum quod terminat dependentiam earum à se: ergo cum vltima ratio, per quam Deus facit actu creaturas à se dependentes, sit actio sua, quia illa est per quam eas sibi in actu subordinat illa quoque erit, per quam formaliter & actu existet in eis.

Soluuntur obiectiones.

§. III.

12 Obiic. Deus debet denominari formaliter existens in rebus per aliquid de nouo existens in tempore: atqui actio Dei non est aliquid de nouo existens in tempore, quia omnis actio Dei est formaliter in Deo: ergo cum nihil possit in tempore & de nouo existere in Deo, alioquin Deus mutaretur, nulla actio Dei erit de nouo existens in tempore, & sic operatio Dei non poterit esse Deo ratio formaliter existendi in rebus.

Respondetur primo disting. Mai. debet denominari existens in rebus per aliquid de nouo existens, vel per aliquid quod vltimate & determinate connotet aliquid de nouo productū in tempore concedo; debet in ipso esse quid formaliter existens in tempore nego; sicut enim actio creaturæ

productiua potest Deum de nouo creatorem denominare, quia licet non in se, tamen in suo termino est in tempore: ita poterit propter eandem rationem Deum de nouo in rebus existentem denominare.

Et si dicas ex hoc posse inferri quod Deus in rebus existit per suam immensitatem connotando existentiam earum.

Respondetur negando consequentiam, quia immensitas & infinitas Dei non est id, per quod vltimo determinatur Deus ad essendum in creaturis, cum ex se immensitas Dei, has potius, quam illas creaturas, in quibus possit existere, non connotet.

Respondetur secundo ad principale argumẽtum; quod in controuersiam vertitur, vtrum actio, per quã Deus producit creaturas sit formaliter, an solum virtualiter transiens, si sit formaliter transiens, statim apparet euidens argumenti solutio, quia cum in sententia probabiliori actio transiens, non solum ratione termini, sed etiam ipsãmet secũdum se sit in Passo, actio transiens per quam Deus creaturas producet, in eis de nouo formaliter & ex tempore existet, & consequenter poterit Deo denominationem existentis in rebus tribuere: si vero solum sit virtualiter transiens, sicut est in sent. D. Tho. probabilius, licet actio Dei in illa sententia formaliter in Deo maneat, si consideretur secundum se, & consequenter sit æterna secundum istam considerationem, tamen terminatiue cõsiderata temporalis est, & extra Deum: & sic ratione termini eius tẽporalis, & de nouo existentis, poterit denominare Deũ in rebus existẽtem. Vide Nauarret. 1. p. controu. 26. §. 2. titulo. Explicantur aliæ rationes D. Th. vbi optime aduertit, quod etiam statim in initio controuersię notauerat, quod Deus non denominatur de nouo existens in rebus ratione actionis diuinæ, vt est in Deo, & vt est quid increatum, quia secundum istam considerationem est quid æternum, sed ratione actionis diuinę, vt formaliter transeuntis seu terminatiue consideratæ. Sicut enim, non dicitur Deus de nouo amare creaturas nisi ratione alicuius doni creati de nouo creaturæ, quam dicitur amare, communicati, ita non dicitur de nouo existere in creatura, nisi ratione creaturæ vt à Deo de nouo productę & ratione creationis passiuæ, per quã de nouo creatura existit in Deo, & intra immensitatẽ; virtutis ipsius trahitur & propterea dicebamus §. præced. melius explicari præsentiã Dei & existentiã eius in rebus per nouam præsentiam & existentiam creaturarũ in Deo, quam è conuerso: sicut enim dicimus corpus locatum esse in loco, non autem è conuerso, quia corpus locatum perficitur, & continetur à loco, non autẽ è cõuerso: ita quia creatura, ex vi existentiæ Dei in ipsa, continetur & perficitur à Deo, quia ex vi præsentiæ diuinæ recipit creatura totum quod est, propterea melius dicetur quod creatura existet in Deo, quã Deus in creatura: vnde cum creatio passiue recepta in creatura, faciat quod creatura tangat Deum, & intra Deum existat propterea creatio passiue sumpta denominabit Deũ existentem in creatura per modum continentis & perficiẽtis eam: & sic creatio est contactus passiuus quo Deus tangit creaturas, sine quo nec creatura tãgeret Deũ, nec Deus creaturam

Quod si dicas ex ista solutione sequi, quod Deus dicitur potius esse in creatura ratione passionis, quam ratione actionis suæ, quia creatio recepta in creatura est passio, non actio.

13. Respondetur quod sicut eadem visio recepta in homine potest constituere hominem videntem, & parietem visum; ita eadem creatio passiue recepta in creatura potest constituere & denominare creaturam fieri & contingi passiue à Deo, & Deum vt creatorem illius, & vt adhuc contingentem ipsam, ex vi actionis suæ, quamuis sit cum illa differentia, quod creatio prius denominet Deum contingentem creaturam & in ea ipsam existentem, quam creaturam in Deo existentem, cum creatura ideo sit in Deo, quia Deus attingit illam, & dat illi esse: & sic dicere quod Deus existit in rebus ratione actionis suæ vt formaliter transeuntis, est idem, ac dicere, quod Deus existit in rebus ratione creationis passiuæ, seu ratione creaturæ vt à Deo esse recipientis. Vltra quod possumus addere, quod ideo Deus dicitur ex vi actionis suæ formaliter etiam vt est in ipsomet Deo, existere in creatura, quia Deus per actionem suam formaliter terminat habitudinem dependentiæ, quam habet creatura à Deo, in quantum existit in eo, creatura enim existit in Deo, & ab eo dependet, in quantum recipit & participat esse à Deo, vnde cum creatura non recipiat suum esse à Deo, nisi per actionem diuinam, illud per quod formaliter Deus terminabit dependentiam, quam habet creatura à Deo, in quantum dicitur existere in eo, erit formaliter ipsamet actio diuina, & ratio huius rei est, quia vt supra diximus, actio diuina est illud per quod Deus formaliter & vltimate determinatur ad productionem creaturæ, & consequenter actio Dei debet esse id, per quod formaliter terminat productionem passiuam creaturæ & dependentiam eius in suo esse à Deo, & sic ipsamet formaliter actio Dei potest Deum denominare de nouo existentem in creatura, per modum terminantis dependentiam, quam creatura habet à Deo in quantum existit in eo; sicut enim potest Deus de nouo terminare dependentiam illam creaturæ, quia hoc potest fieri sine vlla mutatione ex parte sui ex sola connotatione mutationis ex parte creaturarum se tenentis; ita potest actio Dei denominare eum formaliter de nouo existentem in creatura per modum termini formalis talis dependentiæ, ex connotatione solius mutationis & perfectibilitatis creaturarum.

Quod si retorqueas exemplum quod attulimus de visione contra nos: & dicas sicut visio denominat extrinsece parietem visum, etiamsi longe distet visio à pariete, ita posse creationem passiuam denominare Deum creantem creaturam, licet creatio & creatura longissime distent à Deo & consequenter ex vi creationis passiuæ vt sic formaliter Deum non existere in creatura nec esse illi præsentem.

14. Respondetur negando paritatem, quia visio est actio immanens quæ nihil ponit reale intrinsece receptum in pariete, vnde non mirum quod non coniungat Physice & in esse entis parietem sibi, aut homini in quo est, at creatio constituit creaturam recipientem actu aliquid reale à Deo, quod immediate ab ip-

so solo ei communicari potest, & consequenter debet creatio creaturam actu Deo coniungere, virtutique ipsius actiuæ tanquam passum agenti immediato & immediatione virtutis & immediatione suppositi. & propterea dicebamus creationem esse contactum veluti passiuum, quo Deus creaturam tangit, & illam sibi præsentem fiat.

Et si dicas, quod si per impossibile creatura non esset à Deo tanquam ab eius creatore, diceretur tamen creatura esse in Deo, & Deus in creatura per immensitatem.

Respondetur vtrumque esse falsum, & quod in illo casu, nec Deus diceretur esse in creatura, nec creatura in Deo, quia sicut si separaretur quantitas ab aqua, quæ est in vase, illa aqua non diceretur amplius esse in vase, quia non dicitur esse in eo tanquam in loco suo, nisi ratione quantitatis & vbicationis circumscriptiuæ, mediante qua tangit vasis superfinem, & consequenter si semel esset spoliata quantitate sua, nec vas tangeret nec à vase tangeretur aut contineretur, vt optime aduertit Caiet. 1. p. q. 52. art. 1. & cum eo nostri Complut. in Logica disput. 13. qu. 3. n. 42. (Et ratio est euidens, quia sublata causa tollitur effectus:) ita similiter, cum creatio sit contractus formalis, quo Deus creaturam tãgit & sibi eam applicat, sublato quod creatura non sit à Deo, tollitur quod creatura vniatur Deo & sit in eo, & vice versa, quod Deus sit ei præsens aut quod existat in ea.

Et si dicas quod Deus non diceretur distans ab illa creatura, & per consequens esset illi præsens.

Respondetur. quod licet non esset distans distantia quadam positiua ab illa creatura, esset tamen distans ab ea distantia negatiua, quia Deus non haberet rationem formalem, per quam positiue præsens esset tali creaturæ; vnde si Deus diceretur præsens respectu illius, esset solum præsens præsentia negatiua, & excludente positiuam distantiam à Deo respectu illius, non autem præsens præsentia aliqua positiua, qua actu contingeret eam, & esset in ea, eodem modo (vt persistamus in exemplo allato) quo aqua spoliata quantitate diceretur solum præsens vasi præsentia negatiua & excludente ab aqua distantiam positiuam respectu vasis, licet de facto non esset ei præsens præsentia aliqua positiua, qua actu vas tangeret & esset in eo.

Obiicitur, si Deus est in loco ratione operationis suæ transeuntis: ergo Deus erit in quacunque creatura tanquam in loco, & sic in Angelis erit tanquam in loco.

15. Respondetur, quod non asserimus quod Deus sit tanquam in loco, in omnibus rebus, in quibus est per suam operationem; ad hoc enim vt dicatur esse in aliquo, tanquam in loco ex vi actionis suæ, oportet quod ex vi illius connotet locum, ita vt actio eius, vel det esse loco alicui virtutique eius locatiuæ, vel det esse alicui locato locum replenti teste D. Th. 1. p. q. 8. a. 2. in corp. vnde si actio Dei non sit productiua & conseruatiua alicuius loci, vel alicuius locati vt sic, ex vi illius non dicitur Deus esse in illa re, cuius talis actio est productiua, tanquam in loco, sed per modum agentis in passo, & sic ad illud quod obiicitur de existentia Dei in Angelis, tanquam in loco. Resp. quod si ipsimet Angeli non supponantur esse in loco, Deus quoque nõ

dicetur esse in eis, tanquam in loco, sed tanquam agens in passo; si vero supponantur esse in loco, tunc Deus poterit dici esse in eis tanquam in loco, in quantum scil. tribuit & conseruat in eis id, per quod ipsi dicuntur esse in loco.

Obiic. agere & esse in loco sunt duę rationes valde distinctæ in creatis, cum vna conueniat ratione quantitis, altera ratione potentiæ & virtutis actiuæ: ergo debent etiam in Deo correspondere eis duæ rationes distinctæ, vna per quam dicatur esse in rebus tanquam in loco, & hæc erit immensitas, altera per quam dicatur agere & creare, & hæc erit virtus eius infinita seu omnipotentia ipsius.

Respōdetur ex D. Th. 3. cont. Gent. c. 68. & in 1. sent. d. 37. q. 2. a. 1. in cap. quod existere in loco non potest conuenire Deo, nisi ratione operationis ipsius; vnde, inquit D. Th. loco citato in sent. *Si esse in loco sumatur secundum quod corpus in loco esse dicitur, sic nō potest conuenire Deo esse in loco, nisi metaphorice, in quātum scil. implet locū sicut corpus locatum, non quidem per aliquas dimensiones, sed per causalitatem ipsius met locati & per modum tribuentis & conseruantis in eo vim repletiuam: & iste modus est proprius modus essendi in loco substantiæ spiritalis, in qua modus alius essendi corpori in loco conueniens eminenter continetur.* Ex quo duo infero; primum est, quod modus ille essendi conueniens corporibus, non potest formaliter cōuenire Deo, quia inuoluit formaliter imperfectionem, cum deficiat & limitet substantiam locati intra terminos loci nec vltra illos ipsam exire sinat. Secundum est, quod duplex illa ratio essendi in aliquo & tanquam locatum in loco, & per modum agentis in passo, conuenit eminenter vni & eidem operationi diuinæ, neq; enim necesse est quod omnia quæ sunt in inferioribus multiplicata atq; dispersa in Deo etiam virtualiter multiplicentur, maxime quando aliqua ex iis, quæ multiplicantur in creaturis inuoluunt imperfectionem formaliter, nec sunt ex consequenti ex suo conceptu perfectiones simpliciter simplices.

Obiicitur, posterius non potest esse ratio formalis prioris, sed Deum esse alicubi, prius est, quam ibi Deū operari quia operari sequitur esse. ergo.

Respondetur quod Deus non est prius in aliqua creatura quam operetur in ea, imo prius est quod Deus operetur in ea, quā quod ibi sit: quia vt ostensum est, operatio Dei est ei ratio formalis cur sit in aliqua re extra se: & ad illud quod dicitur, quod operari sequitur esse: distinguo operari sequitur esse, quatenus esse facit existere propriam substantiam & essentiam illius rei, cuius est esse, concedo: operari sequitur esse in alio, nego quod hoc sit semper verum: imo operatio transiens in omnibus substantiis separatis est ratio, cur esse eorum sit ibi, vbi est eorum operatio.

Obiicitur posito priori, non sequitur posterius: ergo si prius est Deum operari in aliqua re, quam in ea Deū esse, non sequitur, quod si Deus operetur in aliqua re, ibi sit Deus.

Respondetur quod quando prius est ratio formalis posterioris, tunc posito priori debet sequi, & posterius, at operatio Dei est ratio formalis cur Deus sit in aliquo, & consequenter posito quod in eo operetur, statim sequitur quod in eo sit.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus sit in locis seu spatiis imaginariis.

Resolutio quæstionis.

§. I.

16. AD intelligentiã huius quæstionis supponimus, primo certum esse & indubitatum apud omnes, Deũ cũ infinitus sit & immensus, non ita esse in mundo, vt coarctetur & restringatur intra terminos & limites huius vniuersi. Ex quo fit quod à scriptura pluribus in locis vt Iob q.3. Reg.8. & alibi sæpius à SS. P. P. imo & ab ipso Arist. lib. 1. de cælo & mundo cap. 9. lect. 21. apud S. Tho. supra cælos, & excelsior illis esse dicatur: *Non ita quod,* inquit D. Tho, loco citato Aristotelem commentans, *Deus sit ibi, id est, extra cælum sicut in loco, sed quia non est contẽtus nec inclusus sub continentia corporalium rerum, sed potẽ totam naturam corporalem excedens.* Haud dubie ergo Deus extra totum vniuersum exit si ly extra negatiue sumatur, id est, si significet quod Deus non limitatur nec coarctatur intra ambitum vniuersi, cum eius virtus sit infinita & immensa, nec certis limitibus aut terminis claudatur, vel circumscribatur: sed si ly, extra, sumatur positiue, ita vt significet quod Deus sit positiue tanquam in loco, in illis spatiis, quæ fingimus & imaginamur esse extra cælum, & extra totum vniuersum, illud est quod in controuersiam vertitur, & de quo procedit præsens difficultas.

Secundo notandum est quod illa spatia imaginaria non sunt aliquid reale sed nihil prorsus, & ratio huius rei est euidens, cum illa spatia imaginaria in quibus fingunt & imaginantur aduersarij Deum esse sint extra ipsum, & necessaria & æterna, fingunt enim Deum ab æterno & ex necessitate ex vi immensitatis suæ in illis reperiri: ergo si illa spatia essent quid reale, daretur aliquod ens reale extra Deum, quod esset ens necessarium & necessario æternum; vnde cum sit error in fide ponere aliquod ens reale creatum, Deo coæternum, & necessario tale, non poterit asseri quod illa spatia sint quid reale, neque etiam hoc intendunt aduersarij, fatentur enim omnes illa spatia non esset realia. Quod si quæras ab illis, quid sint spatia huiusmodi imaginaria? Respondent esse non repugnantiam & capacitatem veluti negatiuam ad recipienda corpora, quæ possunt à Deo produci tum extra cœlos tum extra totum ambitum vniuersi: vnde sicut fingunt ante huius vniuersi fabricationem fuisse vastitatem quandam inanem & vacuam, vbi iam est vniuersum, quæ quidem vastitas inanis & vacua erat æqualis extensionis, ac est hoc vniuersum; ita fingunt similiter extra cælos infinita esse spatia vacua & inania, quę possunt repleri à corporibus, quæ ibi possunt à Deo produci, &

Sed contra, quia inter ens & nihil non datur medium cum contradictoriè opponantur: Ergo cum ista spatia nec sint ens, nec entis rationem habere possint, erunt purum nihil.

Deinde argumentor sic ad hominem. Per te ista spatia sunt quædam capacitas negatiua & non repugnantia ad recipienda & continenda corpora, quæ ibi possunt produci; atqui nihil dicitur produci & recipi in sua non repugnantia aut capacitate negatiua, si illa nihil includat realitatis aut positiui, (sicut est ea de qua in præsenti loquimur; neque enim loquimur de aliqua capacitate negatiua, aut de aliqua non repugnantia, quæ sit in aliquo positiuo fundata, qualis est illa, quæ est in potentia obedientiali respectu formarum superioris ordinis;) Ergo implicantiam inuoluit dicere, quod illa spatia imaginaria sunt capacitas solùm negatiua, & non repugnantia quædam, & tamen quod in illis corpora realiter producantur. Mai. est ex aduersariis, minor probatur, quis enim dicat quod homo quando producitur, producatur in suâ non repugnantia & capacitate negatiua? Quis dicat, quando albedo vnitur & coniungitur parieti, quod albedo vniatur & recipiatur in illa non repugnantia, quam habebat, ad hoc vt vniretur cum pariete? ergo cum eodem modo comparetur corpus ad non repugnantiam quam habet essendi in loco per suam extensioné & vbicationem, ac prædicta ad suas, quando corpus producetur non dicetur recipi in suâ non repugnantia, quasi in quodam loco vacuo & imaginario.

18. Dices quod duplex est non repugnantia seu. capacitas negatiua; altera, quæ coincidit cum potentia obiectiua, quam quælibet res habet antecedenter ad hoc quod ponatur extra causas; quælibet enim res antequam sit, debet prius esse possibilis & obiectum seu terminus alicuius virtutis actiuæ, & conseq. habere non repugnantiam ad essendum, & in hac non repugnantiâ certum est rem non produci, quando extra causas ponitur (vt instantia conuincit) quia illa non repugnantia est illa eadem res quæ producitur sub statu tamen possibilitatis considerata: sed sicut certum est in illa non repugnantia rem non produci; ita certum est etiam in ea spatiá imaginaria non consistere, vnde altera est non repugnantia, seu capacitas negatiua, in qua spatia imaginaria consistunt; & in qua de facto omnia corpora producuntur, & hæc est vastitas quædam negatiua, quæ concipitur per modum loci vacui recipere & continere omnia quæ producuntur, quæ quidem vastitas negatiua exigit locare illa corpora, quæ fiunt in eâ, quamuis per aliquid positiuum talem exigentiam non habeat.

Sed contra, quia spatium imaginarium (si verè sit in re fundatum & non chimericum) nihil est aliud quàm non repugnans quoddam spatium quod fingimus posse à Deo creari, per quod quodcunque corpus) quantumuis vastum posset dari) circumcingi posset & ambiri; dato enim quocunque corpore concipimus posse dari aliud maius à quo possit cingi & inuestiri vsque in infinitum, & propterea concepto cælo, concipimus extra illud, spatium non repugnans, seu imaginarium, quia concipimus posse Deum creare aliud corpus supra cœlos, quod esset ipsis vastius vsque in infinitum, at istud spatium imaginarium nihil est aliud quam potentia quædam obiectiua

spatij à Deo factibilis, seu non repugnantiæ, quam habet spatium vt fiat a Deo maius & maius vsque in infinitum; Ergo spatia illa imaginaria infinita, quæ fingimus extra cœlos, & extra vniuersum istud, nihil sunt aliud, quam spatium, prout est in potentia obiectiua respectu potentiæ diuinæ ad hoc vt fiat maius & maius vsque in infinitum: minor & conseq. videntur euidentia.

Mai. probatur, quia eodem modo cæteris paribus debemus loqui de spatio seu loco imaginario, ac de tempore imaginario at illud tempus imaginarium quod fingimus veluti ab æterno æternitati coexistere, nihil est aliud, quam extensio quædam temporis maior & maior vsque in infinitum, quam concipimus ab æterno potuisse creari; ergo spatia illa imaginaria infinita, quæ fingimus & imaginamur supra cœlos & extra totum vniuersum, nihil sunt aliud, quam extensio corporum maiorum & majorum vsque in infinitum, quæ possunt à Deo produci. vnde sicut antequam corpus humanum producatur, non debet supponi prius aliquod corpus humanum negatiuum, in quo recipiatur corpus humanum verum & reale; & sicut ante productionem corporis equini, non debet supponi prius extensio quædam negatiua corporis equini, in quâ tanquam in capacitâte quadam negatiua recipiatur corpus equinum verum & reale, & sic de aliis corporibus; ita similiter ante productionem totius vniuersi, vel quorumcûque aliorum spatiorum realium, quæ possent produci a Deo extra hoc vniuersum non sunt supponenda spatia quædam imaginaria & negatiua, in quibus, tanquam in capacitatibus quibusdam negatiuis locatiuis spatia vera & realia recipiantur, quia totum quod ante productionem cuiuscunque creaturæ supponitur, est potentia solû obiectiua ipsius, seu non repugnantia ad hoc vt producatur; est ergo corrigenda nostra imaginatio, quæ sicut percipit corpora, quæ fiunt intra hoc vniuersum, supponere spatia realia & positiua, in quibus fiant, ita imaginatur quod spatia realia totius huius vniuersi vel alia quæ possunt a Deo extra illud produci, supponunt ante sui productionem spatia quædam negatiua, in quibus spatia huiusmodi realia recipiãtur, hoc enim est imaginarium omninò atque chimericum.

Confirmatur, quia omnia negatiua reducuntur ad aliqua positiua; ergo negatiua capacitas, quæ est in spatiis imaginariis ad recipienda & continenda corpora, debet reduci in positiua spatia quæ possunt à Deo produci cû positiua capacitate recipiendi & continendi corpora alia, quæ concipiuntur posse in eis collocari.

19. 2. Probatur ratione alia petita ex eodem D. Thoma in c. eiusdem art. 3. in prima ratione citati. Vbicunque Deus est, ibi est per suam operationem transeuntem; Atqui Deus nihil operatur in spatiis illis imaginariis; ergo Deus non est positiuè & formaliter in illis. Mai. est D. Th. loco cit. & satis ex ipso D. Tho. pluribus aliis in locis q. præced. notatis probata Min. autem est etiam euidens, quia vbi nullus est effectus, ibi nulla est operatio transiens, quia operatio transiens Dei infert effectum eius formaliter, ergo cum illa spatia imaginaria non sint effectus Dei, cum illa spatia nihil sint reale, nulla erit ibi operatio Dei.

Confir. quia omnis relatio positiuæ præsentiæ, quæ est in Deo in ordine ad

aliquid extra ipsum, fundatur in hoc, quod illud quod est extra Deum sit ei positiuè præsens; Ergo cum illa spatia non habeant ex parte sui positiuā præsentiam in comparatione ad Deum, (cum nihil sint positiuum) Deus non habebit relationem positiuæ præsentiæ ad ea.

Confir. quia præsentia quam habet Deus in ordine ad ea quę sunt extra se, est præsentia per modum continentis; ergo cum spatia imaginaria à Deo contineri non possint, quia illud quod nihil est (sicut sunt illa spatia) non est capax ad hoc vt cōtineatur ab aliquo, Deus non erit in eis.

20. Probatur 3. quia nihil est assignabile in Deo, per quod Deus dicatur existere in illis spatiis imaginariis, ergo de facto in eis non existit. Conseq. patet; probat. antec. Si quid esset, per quod Deus in eis existeret, vel esset propria eius existentia, vel eius immēsitas; neutrum dici potest; ergo. prob. mino: primò non potest dici quod per propriam existentiam in eis existat, quia existentia rei cuiuslibet facit existere rem conformiter ad exigentiam naturæ & essentiæ rei; ergo cum essentia Dei sit absolutissima à quocumque alio extra se, cum essentia Dei consistat in hoc quod sit ens a se, seu ipsum esse subsistens, existentia Dei non faciet existere Deum, nisi in se, non autem in ordine ad illa spatia fictitia. Quod etiam Deus non habeat existere in illis per suam immensitatem, prob. quia per immensitatē Dei potius negatur in Deo ordo positiuus ad aliquid extra Deum, quam in eo talis ordo ex vi illius formaliter constituatur, cum per eam formaliter vt sic, negetur quod mensuretur aut mensurari possit ab aliquo extra se.

Confir. vltimò nostra sententia ex SS. PP. cum enim August. lib. 3. contra Maximinum, cap. 21. interrogaretur, vbi nam esset Deus antequam esset mundus? Respondet *In seipso habitasse*. Eidem interrogationi similiter respondet idem Augustinus in Psalm. 122. exponens primum eius versiculum, Ad te leuaui oculos meos, &c. Ita sentit etiā D. Bernard lib. 5. de consideratione, qui simili quęstioni ita satisfacit, *Alias verò* (inquit) *vbi erat Deus antequam mūdus fieret ibi est, non est quod quarat vltra vbi erat: prater ipsum nihil erat; ergo in seipso erat*, & Tertull. lib. contra Praxeam c. 5. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, & ipse sibi & locus erat, & omnia*. Si vis videre plura alia SS. PP. loca; lege Granado loco supra à nobis citato & Nauarr. etiam controuers. 27. §. 2.

Soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiiciuntur ab aduersariis plura loca tum sacræ scripturæ, tum SS. PP. in quibus asseritur, quod Deus est supra cœlos.

21. Respondetur cum D. Tho. loco supra cit. suppositione prima, quod Deus est extra cœlos, non per hoc, quod sit positiuè præsens alicui rei extra se, sed per hoc, quod non contineatur à cœlis, vno verbo est supra cœlos in se, non autem in ordine ad aliquid extra se, quod sit supra cœlos. Est vnicus solum locus D. August. l. de ciuit. Dei cap. 5. qui videtur facere difficultatem, videtur enim Aug. ibi asserere, Deum esse in spatiis imaginariis supra cœlos.

Sed respondetur, quod D. August. nunquam, admisit spatia illa imaginaria, imo vt optime aduertit Gra-

nando, ex impossibilitate eorum, arguit August. impossibilem fuisse ante creationem mundi, durationem infinitam, quam volebant quidam adstruere, quos hoc argumento refutat August. *Si spatia temporis ante mundum cogitas, similiter ergo extra mundum cogitas infinita spatia locorum?* Quod autem hoc non admittat, sed potius reiiciat, patet ex verbis sequentibus. *quod si dicas inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum. Respondetur eis isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum.*

Obiicitur ex D. Tho. quodlibet. 10. art. 1. vbi ait Deum esse non solum in eis, quæ sunt, sed etiam in eis quas imaginari possunt, & subdit postea, Deum etiam esse in imaginatis. Respondetur quod D. Thom. nullo modo loquitur ibi de spatiis imaginariis, sed de rebus possibilibus, quæ possunt imaginari esse, in quibus ait Deum esse (intellige) potentialiter, & quantum est ex se, inquantum scilicet potest illas producere, & in eis semel productis existere. Quod autem legitima sit ista D. Tho explicatio, patet, ex eo, quod quærit ibi. quærit enim in eo loco, vtrum proprium Dei sit esse vbique: Et respondet affirmatiuè, quia cum Deus (inquit) sit in loco, ratione virtutis suæ, & virtus Dei se extendat, non solum ad ea, quæ sunt, erunt, & fuerunt, sed etiam ad ea, quę possunt imaginari esse, Deus consequenter erit etiam in imaginatis. Ecce discursum S. Doctoris. Ergo sicut, per illum discursum non intendit, quod Deus actu, & de facto producat ea, quæ possunt imaginari esse, sed solum, quod possit illa, quantum est ex se producere, si vellet; ita etiam intendit solum, quod quantum est ex se, possit Deus existere in illis, ex suppositione scilicet, quod illas res produceret, quamuis de facto in eis formaliter non existat, non ex defectu virtutis diuinæ, sed ex defectu solius existentiæ illarum rerum possibilium in seipsis: vnde quando dicit D. Tho. proprium esse Dei, esse vbique, eo quod conueniat ei esse etiam in imaginatis, idem est, ac illud, quod dicit, 1.p. q. 8. art. 4. resoluens eandem quæstionem, proprium esse Dei, esse vbique, *Eo quod quæcumque loca, etiam imaginaria ponantur, oportet quod in quolibet sit Deus.*

Obiicitur, priùs est aliquam rem esse alicubi, quam quod ibi operetur: sed Deus potest operari in spatiis imaginariis, aliquod corpus in eis producendo: ergo debet prius esse in eis, antequam in eis operetur; ergo debet semper esse in eis, ne cum operatur in illis teneatur, accedere de nouo ad illa, & per consequens mutetur.

22. Respondetur primo argumentum supponere falsum, quod scilicet dentur spatia illa imaginaria, & conficta extra Deum. Deinde dato quod essent, non tamen prius diceretur Deus esse in illis, quam in eis operaretur; ad illud ergo, quod obiicitur, primò rem esse alicubi, quam quod operetur ibi, concedo quidem hoc esse verum, quando res illa, quæ agit, est accidens corporeum, cui operatio non est ratio essendi in loco: at quando operatio, est ratio essendi in loco sicut est in substātiis separatis, & maxime Deo, tunc res non debet esse alicubi prius, quam

ibi operetur: vnde ad id quod dicitur, quod mutaretur Deus, quando de nouo produceret aliquid in illis spatiis, si prius non esset in eis, ex eo quod de nouo Deus esset alicubi, vbi non erat antea.

Respondeo negando sequelam illam, quia (vt sæpius dictum est) Deus non dicitur esse in rebus, per hoc, quod veluti à loco aliquo recedat, & rebus approximetur, sed per hoc, quod in seipso immotus manens trahat intra se, ex vi operationis suæ transeuntis, res, quas producit, sibique, educendo illas ex nihilo, præsentes faciat, non enim ex mutatione Dei, sed ex mutatione creaturarum, dicitur Deus in illis existere; quia sicut si ex vi operationis meæ, haberem vim trahendi ad me ex aliquo loco valde remoto, atque distanti, rem aliquam & faciendi mihi illam præsentem, mutatio non se teneret ex parte mei, sed ex parte illius rem quæ traheretur ad mei præsentiam; ita quia quando Deus ex vi operationis suæ educit res ex nihilo, trahit illas intra vastitatem immensitatis suæ, sibique eas hoc modo coniungit, atque præsentes facit, propterea tota mutatio se tenet in illo contactu atque præsentia, ex parte creaturarum, & nullo modo ex parte Dei.

Obiicitur. si Deus destrueret omnes creaturas quæ sunt mediæ inter cælum & terram, Deus existeret in medio quod supponeretur vacuum inter duo illa corpora, cum Deus non possit esse in duobus extremis, absque eo quod sit in medio earum, aliàs sicut diuiduntur extrema inter se, ita diuideretur substantia Dei in duas partes, quarum vna esset in cœlo & altera in terra: ergo ne illud absurdum sequatur debet necessario admitti Deum esse in vacuo, & conseq. in spatiis imaginariis.

23. Respondetur cum Vasquesio quod aduersarij loquuntur de Deo eodem modo ac si corpus aliquod esset, dicimus ergo quod licet Deus, in hyppothesi facta, in duobus illis extremis esset, non esset tamen in medio, quia sublata ratione formali quare Deus dicitur esset alicubi, tollitur etiam de necessitate, quod sit ibi. Vnde cum Deus sit in rebus ratione operationis, & nihil operaretur in illo medio, quod supponeretur vacuum inter cælum & terram, nullo modo posset esse in eo, quamuis existeret in cælo & in terra. Nec tamen propterea diuideretur aut secaretur Deus à seipso, quia idem in seipso manens intra vastissimum immensitatis suæ sinum cælum terramque attraheret, absque eo quod intra eum vacuum illud interiacens positiue contineret atque complecteretur, quia cum vacuum nihil sit, continentiæ consequenter capax esse non potest.

Quod si dicas spatia imaginaria non esse nihil omnino, sed esse capacitatem quandam negatiuam ad recipienda spatia realia, proportionata & commensurata extensioni eorum negatiuæ, quod probatur euidenter in suppositione illa qua Deus destrueret omnia corpora intermedia inter cælum & terram, tunc enim in illo medio vacuo, & in spatio illo imaginario capacitas esset ad recipiendum spatium reale æqualis solum & non amplioris extensionis, quam esset illud, quod fuit destructum, quia non posset in illo medio produci aliquod spatium, quod esset maius magisque extensum, quam

illud, quod erat antea: ergo debet in illo spatio imaginario esse capacitas quædam negatiua ad recipiendum spatium reale talis extensionis, & non maioris, quæ quidem capacitas negatiua est æque extensa negatiue, ac est extensum spatium reale quod recipit: ergo Deus erit de facto in illo spatio imaginario.

Respondetur dato quod in vacuo, quod medium esset inter cælum & terram, capacitas illa negatiua foret, tamen non diceretur Deus esse in illo positiue & in actu, sed solum negatiue, per non repugnantiam, & veluti fundamentaliter inquantum scilicet Deus haberet ex vi virtutis suæ infinitæ & immensæ, capacitatem ad existendum in vacuo illo per productionem veri & realis spatij, aliarumque creaturarum, quæ possent ibi ab ipso produci. quomodo enim posset Deus esse positiue in illo vacuo sine ratione formali, per quam dicitur esse alicubi, quæ est eius operatio? vnde cum Deus nihil operaretur in illo vacuo, non posset consequenter dici existere in eo positiue, sed solum negatiue & per non repugnantiam.

24. Respondeo secundo, quod sicut destructo & annihilato penitus corpore verbi gratia vnius equi, non remanet amplius alicubi negatiua eius extensio: ita destructo illo spatio reali, quod mediat inter cælum & terram, non remanet amplius distantia formalis inter cælum & terram, nec in illo medio, quod vacuum est inter ea, aliqua formalis extensio negatiua, quia in illo medio nihil est prorsus: verum est tamen, quod ex vi actionum, quibus cælum & terra producta fuere cum tali situatione, vt scilicet cælum ambitu suo terram tali modo contineret, remanet semper in eis post destructionem distantiæ formalis quæ erat inter ea, fundamentalis distantia, per quam exigunt, in suppositione quod reproducerentur inter ea aliqua corpora, seu spatia realia atque formalia, quod illa non essent magis extensa, nec conficerent maiorem distantiam quam erat ea, quam prius conficiebant præcedentia spatia, annihilata atque destructa. Sicut enim si destrueretur & annihilaretur à Deo aër, qui replet concauitatem vasis alicuius, non posset postea loco aëris succedere aliud corpus, quod conficeret intra vas illud, maiorem distantiã maiusque spatium, quam aër, qui erat antea in eo, quia scilicet partes circumferentiæ concauæ vasis, sunt dispositæ cum tali distantia fundamentali ad inuicem, & non cum maiori; & propterea determinant quodcumque corpus in tali vase producendum, ad conficiendam solum talem distantiam formalem & non maiorem, taleque spatiũ formale & non maius: ita quia cælum & terra creata sunt cum tali distantia, non solum formali, sed etiam fundamentali ab inuicem, & non cum maiori, ideo fit, quod pereunte & destructa distantia formali, quæ causabatur inter ea, per talem spatiorum realium interiacentium extensionem remaneat tamen adhuc inter ea, distantia eadem fundamentalis, per quam petunt, ex suppositione, quod reproducantur inter ea, aliqua spatia realia, seu corpora intermedia, constituentia formalem inter ea distantiam, quod illa non sint maioris extensionis, quam ea

quæ erant antea; quia ex situatione quam habent, fundamentum solum habent ad talem distantiam formalem inter se, & non ad maiorem; & consequenter determinant quæcumque corpora inter ea producenda, ad hoc, vt talis distantiæ longitudinem non excedant.

Quod si daretur totum vniuersum penitus destrui, & produci postea alia duo corpora separata ab inuicem sine vlla tamen distantia, etiam fundamentali adinuicem, quod vtrum fieri possit, relinquo firmioribus ingeniis iudicandum, dico quod tunc posset Deus inter illa duo corpora, quæcumque spatia realia producere, & quamcumque quam vellet inter ea distantiam formalem statuere.

Dices in illa hypothesi quod destruerentur omnia spatia realia, quæ sunt inter cælum & terram, tunc cælum & terra non essent vicina & proxima, nec vnum ex eis esset alteri præsens: ergo deberent esse inter se formaliter distantia; & sic interuenirent de necessitate inter ea aliqua spatia imaginaria.

25. Respondeo quod sicut ad formalem distantiam requiritur, quod sint inter corpora distantia spatia quędam realia, per quæ formaliter mensuretur distantia formalis; ita ad formalem & positiuam præsentiam situalem vnius corporis respectu alterius requiretur realis & positiuus contactus vnius respectu alterius, immediatus quidem, si sit immediata præsentia; mediatus vero, si præsentia sit solum mediata: & sic cum ex hypothesi cælum & terra non se inuicem positiue contingerent immediato aut mediato contactu, nec inter ea forent spatia realia, per quæ positiua posset inter ea constitui distantia, non dicerentur consequenter ab inuicem positiue distantia, nec etiam sibi inuicem positiue præsentia aut vicina, quia esse vicinum inuoluit aliqualem distantiam formalem, & consequenter aliquod corpus intermedium, sed dicerentur inter se distare distantia fundamentali, vel si dicerentur præsentia aut vicina hoc est solum per præsentiam aut proximitatem negatiuam, distantiæ formalis solum, non autem fundamentalis exclusiuam.

Obiicitur si Deus non esset in spatiis imaginariis extra cælum, Deus moueretur per accidens, ex suppositione quod traheretur vniuersum extra sphæram conuexam orbis primi.

Respondet Bannez. prima parte quæstio. 8. articulo secundo ad vltimum, quod illa tractio non posset fieri, nisi supra primum orbem producerentur spatia aliqua realia, per quæ hoc vniuersum moueretur, terminusque aliquis, ad quem motus ille terminaretur: quia motus localis, inquit, non potest fieri nisi per spatia realia, & ab vno termino locali ad alium terminum localem.

Sed secundò resp. data possibilitate hypotheseos, non tamen inde sequi, quod Deus moueretur per accidens; sicut enim ideo dicitur moueri per accidens qui existit in naui, quia pendet localiter à naui quæ mouetur: ita ad hoc vt Deus diceretur per accidens moueri ad motum huius vniuersi, deberet ab eo localiter dependere, tanquam

à loco definitiuo, vel circumscriptiuo: vnde cum Deus nullo ex prædictis modis ab hoc vniuerso pendeat, sed extra totum illud sit, non quidem in spatiis imaginariis, sed in se, & in vastissima immensitate sua, intra quam deberet semper hoc vniuersum contineri, quocumque illud traheretur; propterea sine vlla prorsus mutatione Dei, cum sola connotatione mutationis factæ in hoc vniuerso, denominationeque extrinseca prouueniente Deo ex tali mutatione, tractio illa perageretur.

Obiicitur, sicut se habet æternitas ad omne tempus etiam imaginariū, ita se habet immensitas Dei ad omnem locum etiam imaginarium; atqui æternitas Dei continet omne tempus etiam imaginarium eique actu coexistit, ergo debet immensitas Dei omnem locum, etiam imaginarium continere eique actu præsens esse.

Respondetur concedendo mai. & ad min. ad illud quod dicitur quod æternitas Dei continet omne tempus etiam imaginarium: si per hoc intelligant quod æternitas continet in se eminenter omnem realitatem temporis possibilis, & cuiuscumque alterius durationis quæ vere posset esse concedo; si vero per hoc intelligunt, quod æternitas Dei continet omne tempus fictitium quod nihil est, nec potest, potuit, aut poterit vnquam esse, nego quod æternitas huiusmodi tempus imaginarium cōtineat, neque enim æternitas debet in se continere illud quod nihil est & quod est pure chimericum, sed solum possibiles durationes: ita similiter dico de immensitate, quod immensitas Dei debet quidem in virtute sua eminentiali continere omnem locum imaginarium, possibilem tamen, sed nego, quod debeat continere locum, qui est pure imaginarius & chimericus, & qui nullo modo sit possibilis, sicut sunt illa spatia imaginaria aduersariorum, illud enim quod nihil est, & nihil vnquam esse potest, contineri in Deo, nec potest, nec debet, ad illud autem quod dicitur in eadem minori, omni tempori imaginario æternitatem coëxistere: Respondetur hoc esse falsum, tempori enim imaginario, quod creationem mundi præcedit, etiamsi illud possibile fuerit, non coëxtitit æternitas secundum August. 11. de ciuit. Dei c. 5. & 6. & ratio huius rei est euidens, quia coëxistentia duorum, dicit existentiam amborum; ergo cum illud tempus imaginarium nunquam extiterit non potest æternitas Dei dici ei coëxtitisse, non quidem ex defectu alicuius se tenentis ex parte æternitatis, quia quantum est ex se æternitas potuisset ei coëxistere, si tempus extitisset, sed ex defectu existentiæ illius temporis, quę erat necessaria, vt ei æternitas coëxistere potuisset: ita similiter ego dico de immensitate, illam quidem capacem esse, quantum est ex se ad hoc, vt possit esse præsens omnibus & quibuscunque spatiis, modo per actionem Dei transeuntem ponerentur: quibus tamen actu præsens non est, quia actu non ponuntur.

Obiicitur, immensitas quæ est in Deo, tantum habet quantitatis virtutis, quantum haberet quantitatis molis corpus infinitum si daretur; atqui si daretur corpus infinitum tanta esset eius quantitas molis, vt de facto repleret omnia loca imaginaria: ergo immensitas, quæ est in Deo, debet habere tantam quantitatem virtutis,

tutis, vt de facto repleat etiam omnia loca imaginaria.

Respondetur cum Gonzale disp. 17. 1. p. ad 3. concedo mai. & nego min. cum enim illa spatia imaginaria nihil sint, & nihil non sit capax repleri, spatia illa, conseq. repleri per vnam quantitatem non possunt.

Et si dicas & instes quod illud corpus saltem per suam quantitatem impleret omnia loca & spatia possibilia; atqui immensitas Dei tantam habet quantitatem virtutis, quantum illud corpus haberet molis: Ergo sicut corpus illud infinitum impleret per suam quantitatem actu omnia loca possibilia; ita immensitas Dei debet actu omnia loca possibilia implere.

27. Respondetur 2. disting. mai. impleret omnia loca possibilia, relinquendo ea vt sunt in seipsis in statu puræ possibilitatis, & continendo ea veluti localiter in tali statu, nego, quia in illo statu nihil sunt formaliter in seipsis. Impleret, omnia loca possibilia, ponendo à parte rei omnem quantitatem eorum possibilem, concedo, quia cum illud corpus deberet esse infinitum, deberet conseq. in se continere actu omnem prorsus quantitatem possibilem. Ad min. autem, atqui immensitas Dei tantam habet quantitatem virtutis quantam habet corpus illud quantitatem molis. distingo; ita vt immensitas Dei per suam quantitatem virtutis præcisè consideratam sine actione diuinâ trahat actu possibilia extra statum suæ possibilitatis, nego, ita vt relinquat ea in illo statu concedo, & postea negetur consequentia, quia cætera non sunt paria: corpus enim infinitum per suam quãtitatem poneret à parte rei omnem quantitatem locorum possibilium, & conseq. non mirum quod impleret seu contineret ea, at immensitas Dei non ponit ea à parte rei, sed relinquit ea in statu puræ possibilitatis, & consequenter cum illa in illo statu nihil sint in seipsis, & illud quod est nihil contineri aut impleri actu non possit; propterea licet immensitas Deum infinitum constituat in ordine ad se, infinitamque vt sic quantitatem virtutis ei tribuat, tamen non tribuit illi actu illa loca possibilia vt sunt in seipsis formaliter implere, nec in eis formaliter & in actu existere, quandiu in illo statu puræ possibilitatis remanent. Vel 2. Resp. quod si illud corpus infinitum non exhauriret in se quantitatem omnium corporum possibilium, sed ab eis semper distingueretur, tunc in illa hypothesi non posset quidem produci vllum corpus extra terminos corporis illius infiniti, sed quæcunque producerentur, deberent necessariò intra infinitatem eius concludi; tamen sicut immensitas actu non existit in rebus possibilibus, non quidem ex defectu sui, sed quia illæ actu in seipsis non existunt: Ita corpus illud infinitum non contineret actu intra se omnia corpora vel loca possibilia, ex eo quod illa actu in seipsis non essent.

28. Ex iis quæ dicta sunt in præsenti disput. satis euidens est solutio quæstionis cuiusdam, quæ posset fieri hic, Vtrum scilicet vbique esse sit proprium Dei? Respondemus enim affirmatiuè cum S S. Præceptore 1. p. q. 8. art. 4. cum Gonzale, ibidem, non quod vbique esse in actu, sit passio & proprietas Deo necessario conueniens, alioquin ab æterno conueniret Deo vbique esse, & in omnibus locis creaturisque possibilibus, cuius tamen contrarium definit S. Doctor in 1. dist. 37. q. 2. art. 3. & pluribus aliis

in locis totâ hac disput. à nobis citatis, in quibus docet Deum non esse alicubi, nisi ratione suæ operationis, sed ad istum sensum, quod Deus solus sua virtute propria & naturali, & sine sui mutatione & dependentia à loco, quibuscunque in locis creaturisque, quæ de facto existunt debet necessariò reperiri, taliter quod repugnet Deo aliquid reperiri in rerum natura, in quo de facto non existat, & ratio D. Th. est euidens, quia cum Deus sit in rebus per suam operationem, repugnetque dari aliquid a parte rei quod non sit per eam, implicabit conseq. dari aliquid, in quo de facto Deus non reperiatur, & cum Deus operetur, quæcunque operatur, virtute propria, non aliena, & operetur in rebus, perficiēdo simpliciter eas, absq; eo quod ab eis perficiatur, erit consequenter in omnibus rebus propria virtute, sine sui mutatione & dependentia ab eis.

Posset etiam hic inquiri de modo speciali secundum quem Deus dicitur per gratiam esse in iustis: Sed ista quæstio limites Metaphys. transit, & ad Theologiam omninò pertinet. consule, si lubet de ea aliquid videre, Gōzalé, 1. p. q. 8. Suarem in tractatu de Trinitate lib. 12. cap. 5. PP. NN. Salmanticenses in eodem tractatu disput. vlt.

DISPVTATIO XV.

DE IMMVTABILITATE DEI.

HVic disputationi præsentem locum dedimus, tum quia immutabilitas ad infinitatem Dei consequitur, sicut & existentia Dei in rebus, de qua in præced. disp. egimus, ideò enim immutabilis est Deus, quia infinitæ est essentialiter perfectionis, actusque purissimus, expers cuiuscunque potentialitatis, tum etiam quia immutabilitas radix est & principium veluti virtuale æternitatis, de qua disp. seq. sumus acturi: ab hac tamen disput. breuiter nos expediemus, quia nulla est inter authores circa præsentem materiam controuersia, quæ possit nos detinere.

QVÆSTIO VNICA.

VTRVM DEVS SIT OMNINO IMMVTABILIS.

§. I. *Resolutio quæstionis.*

ITa apud omnes constans est & indubitatum Deum esse immutabilem, vt teste Arist. li. 1. de cœlo c. 9. lect. 21. apud D. Tho. paulo ante finem, Philosophi inter enchiridia Philosophismata circa diuina, constituerint necessarium esse, primum principium esse intransmutabile, accipe eius verba; *Etenim quemadmodum in en-*

chiridiis philosophismatibus circa diuina multoties declaratum est rationibus, quod diuinum intransmutabile necessarium est omne primum & summum esse, &c. Quæ verba exponens S. Tho. sic habet, *Circa primum considerandum est quod apud Philosophos duo erant genera dogmatum; quædam enim erant, quæ à principio secundum ordinem doctrinæ multitudini apponebantur, quæ vocabantur enchiridia: quædam autem erant magis subtilia, quæ proponebantur auditoribus iam prouectis, quæ vocabantur syntagmatica, id est coordinalia, vel actomatica, id est conditionalia, dogmata autem Philosophorum vocantur Philosophismata: dicit ergo quod in enchiridiis Philosophismatibus circa res diuinas, multoties rationibus manifestabant quod necesse est omne diuinum esse intransmutabile, quasi non subiectum motui, & primum quasi non subiectum tempori, & summum quasi non contentum loco.* Deinde statim immediate post Arist. immutabilitatem Dei probat duabus rationibus, quarum primam deducit S. Tho. opusc. 2. c. 4. sub his terminis.

Ex his apparet quod necesse est Deum mouentē omnia, immutabilem esse; cum enim sit primum mouens, si moueretur necesse esset seipsum vel à seipso, vel ab alio moueri, ab alio quidem moueri non potest: oporteret enim esse mouens aliquid prius ipso, quod est contra rationem primi mouentis: à se ipso autem si mouetur hoc potest esse dupliciter, vel quod secundum idem sit mouens & motum, aut ita quod secundum aliquid sui sit mouens & secundum aliquid motum; eorum quidem primum esse non potest, cum enim omne quod mouetur, in quantum huiusmodi sit in potentia, quod autem mouet, in actu sit, secundum idem esset mouens & motum, & sic oporteret, quod secundum idem esset in potentia & in actu, quod est impossibile. Secundum etiam esse non potest, si enim esset aliquod mouens & alterum motum, non esset ipsum secundum se primum mouens, sed ratione suæ partis, quæ mouet, quod autem est per se, prius est eo, quod non est per se, non potest igitur primum mouens esse, si ratione suæ partis hoc ei conueniat; oportet igitur primum mouens omnino immobile esse hæc D. Tho.

Confir. altera ratione desumpta ex D. Thom. ibid. omnis motus videtur ab aliquo immobili procedere, quod non mouetur secundum illam speciem motus: Sicut videmus, quod alterationes & generationes, & corruptiones quæ sunt in istis inferioribus reducuntur sicut in primum mouens, in corpus cæleste, quod secundū hanc speciem motus non mouetur, cum sit ingenerabile, & incorruptibile, & inalterabile; & ratio huius rei est, quia illud quod mouetur ab alio moueri necesse est ex Arist. 7. phys. lect. 1. & 8. phys. lect. 2. ratione praeced. ostendit, D. Th. ergo ne detur processus in infinitū, tandē sistēdum est in aliquo mouente quod non moueatur, & conseq. quod sit immobile in illo genere motus, in quo alia ab ipso mouentur, alioquin si esset adhuc mobile secūdum se in illo genere, oporteret, quod moueretur ab alio, quia quælibet res est mobilis secūdum quod est in potentia, & cum illud quod est in potentia sit reducibile in actum per id, quod est tale in actu, debet illud quod est mobile reduci in actum, per aliquid quod sit in actu illud, ad quod mobile quod mouet est in potentia; & sic vt nō detur processus

in infinitũ, debet de necessitate omne quod est mobile in aliquo genere motus, reduci in aliquod principium primumquod sit immobile in illo genere; ergo illud quod est principium primũ omnis motus debet esse immobile omnino.

2. Probatur 2. alia ratione petita ex eodem Arist. cap. illo 9. 1. de cœlo, quam D. Tho. sic format lect. 21. cit. Omne quod mouetur, aut ad hoc mouetur, vt fugiat aliquod malum, aut ad hoc quod requirat aliquod bonũ: sed primum ens non habet aliquod malũ, quod possit euadere, quia nihil ipsi nocere potest, neque indiget aliquo bono, quod possit acquirere, cum sit perfectissimum; ergo primo enti non conuenit vllo modo moueri. Mai. est certa si intelligatur de motu, qui ex inclinatione naturali procedit, omnis enim motus qui est secũdum illam inclinationem, debet esse propter bonũ & cõseruationem illius vnde procedit, vnde cum illud quod est primum, ab aliquo extrinseco moueri non possit, quia pateretur ab eo à quo moueretur & conseq. ei subiiceretur, cum omne passum agenti subiiciatur, primum debet esse tale, vt ab alio non moueatur, alioquin non esset amplius primũ, sed subditum alteri atque subiectum: ergo si primum moueatur debet moueri ab intrinseco, & ex inclinatione naturali: & conseq. cum omnis motus, qui est naturalis, sit in conseruationem & bonũ illius vnde procedit, oportet quod talis motus, vel sit ordinatus ad fugiẽdum aliquod malũ quod esset nociuũ ei, vel ad prosecutionem alicuius boni quod esset eius perfectiuũ, vnde cum nec ab aliquo malo natura primi lædi possit vel offendi, vel ab aliquo bono extrinecè perfici, nec ab intrinseco, nec ab extrinseco moueri poterit, sed erit ens omnino immobile.

Probatur 3. ratione desumpta ex D. Th. 1. p. q. 9. a. 1. Illud quod est actus purissimus, expers cuiuscunq; potentialitatis, nõ potest moueri aliquo motu quicunque ille sit, sed Deus est actus purissimus expers cuiuscunque potentialitatis, vt ostensum est supra disput. decima per totam: Ergo nullo motu poterit moueri, quicũque ille sit; ergo Deus erit omninò immutabilis. Mai. est certa, quia moueri dicit essẽtialiter aliquid recipere, & per receptionem illius aliter se habere; ergo moueri supponit de necessitate potentiam in eo quod mouetur, vt possit aliquid recipere, & aliter se habere nunc ac prius min. autem est plusquam sufficienter probata loco cit.

3. Confir. quia quo formæ sunt abstractiores à materia eiusque conditionibus, eò minus subiiciuntur mutabilitati: ergo cum actus purus sit ab omni potẽtialitate eiusq; conditionibus separatus & abstractus, debet esse expers cuiuscunque mutationis & mutabilitatis. Antec. probat. inductione. Forma enim Angelica non tot patitur mutationes, sicut humana, & inter Angelicas, quo vna est altera perfectior & actualior, magisque cons. a potentiæ conditionibus immunis, eò minus est mutationibus subdita, & propterea videmus quod Angeli quò magis sunt perfecti, eò per pauciores & vniuersaliores species cognoscũt, & cons. minus multiplicãt motus actionesque suas; & ratio huius rei euidens videtur, quia vt dicebamus, omnis mutatio fundatur in potentialitate, & receptione, & per cõsequẽs in imperfectione rei; ergo quò magis aliquid elongabitur à potentialitate, minusque de potentia habebit, eò minus erit mutationi subiectum, quia sicut affirmatio est causa affir-

mationis, ita negatio est causa negationis: ergo cum actus sit id per quod aliquid remouetur & elongatur à potentia, & tantum aliquid neget & excludat de potentialitate, quantum admittit & includit in se de actualitate, quanto aliquid erit magis actuale, tanto minus habebit in se mutationis & mutabilitatis: ergo illud ens quod nihil omnino includet potentialitatis, sicut est Deus, qui est actus purissimus, nihil prorsus includet mutabilitatis.

Probatur 4. alia ratione desumpta ex eodem D. Th. ibidẽ, quia omne quod mutatur, debet de necessitate esse cõpositum: ergo cum Deus sit omninò simplex nullam admittẽs in se compositionem, nulla prorsus erit in eo mutabilitas. Conseq. patet, prob. antec. quia illud quod secundũ aliquid trãsit, & secundum aliquid manet, illud admittit in se compositionem: atqui hoc accidit in omni motu: ergo: prob min. quia omnis motus est trãsitus subiecti de vno in aliud; si enim sit motus propriè dictus, erit trãsitus subiecti de vno contrario in aliquod contrarium, si verò sit solũ mutatio, erit transitus subiecti de nõ esse ad esse, modo talis mutatio sit perfectiua, quia si corruptiuá sit, erit transitus subiecti ab esse ad non esse alicuius formæ, Mai. autem probatur, quod scil. subiectum transiens de vno in aliud debeat de necessitate cõpositionẽ admittere, quia subiectũ trãsiẽs sic de vno in aliud vel acquirit aliquid quo priuabatur vel perdit, aliquid, quod habebat, ergo vel debet esse aliquid quo cũ faciat cõpositionẽ, si sit aliquid, quod per mutationem amittat; vel debet esse aliquid, quo cum faciat compositionem, si sit aliquid quod per mutationem recipiat.

Probatur 5. ratione eiusdem S. Thom. ibidem. Omne quod mouetur, motu suo aliquid acquirit, ad quod antea nõ pertingebat; at Deus, cum sit infinitus comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis nõ potest aliquid acquirere, ad qudd antea non pertingebat; ergo nullo modo potest ei motus competere. Mai. est certa si intelligatur de motu connaturali, & ab intrinseco prouenienente, qualis esset ille, qui Deo conueniet si quis posset ei conuenire, vt ostensum est ratione secunda, omnis enim inclinatio rei, est in sui perfectionẽ; & conseq. omnis eius motus, debet esse ordinatus ad acquisitionem alicuius perfectionis. min. autem est euidens, & probata superius disput. 11. vbi ostensũ est Deum continere rerum omnium perfectiones.

Quod si dicas creaturas dicere aliquas perfectiones, quas formaliter Deus non includit, si considerentur secundum quod sunt formaliter in creaturis, & conseq. ad eas secundum istam considerationem posse Deus inclinari & moueri.

Contra, quia si perfectiones considerentur secundum quod sunt formaliter in creaturis, inuoluunt aliquas imperfectiones, & conseq. cum Deus sit expers cuiuscunque imperfectionis, & insuper contineat sub eminenti quadam ratione & seclusis imperfectionibus omnes illas perfectiones, sic non poterit vllo modo in eas inclinari aut moueri secundum illum modum, secundum quem reperiuntur formaliter in creaturis.

Probatur 6. Omnis motus, vel est ab intrinseco, vel ab extrinseco; at ostensum est ratione præcedẽti, quod nullus motus ab intrinseco procedens potest esse in Deo: ergo si quis motus possit esse in Deo, erit ab extrinseco proueniens; atqui nec iste

potest esse in Deo: Ergo nullus.

Probatur sub sumptum in quo est difficultas, primò, quia (vt diximus ratione secunda ex Arist.) Primò diuino non est quid diuinius, quod tamen verum non esset, si Deus alicui subiiceretur in receptione motus, cum omne passum agenti subiiciatur. Secundò quia omnis motus receptus ab extrinseco debet esse ab aliquo contrariò, cum enim omnis motus à mouente seu agente debeat esse, & nullum agens agat in sibi simile, sed in dissimile & in contrarium ex Arist. lib. 1. de gener. corrup. c. 7. & lib. 2. de anima c. 4. deberet ille motus qui ab extrinseco esset in Deo, esse ab aliquo agente contrariò atqui Deus nullum habet contrarium, Deo enim solum non ens opponitur quod certè in Deum agere non potest, cum non ens agere non possit, ergo nihil agere potest in Deum, aut ipsum mouere. Quod autem Deus nullum habeat sibi contrarium aut oppositum præter non ens probatur. quia contrarium non continet suum contrarium, sed potius illud a se excludit; atqui Deus est esse subsistens & irreceptum omnem rationem entis in se includens & solam rationem non entis a se excludens; Ergo solum non ens est ipsi oppositum, hac vtitur demonstratione S. Aug. tomo 3. li. vnico de fide & Symbolo c. 4. explicans illud Exodi 3. Ego sum qui sum, vbi sic ait. *Nam secundum hoc quod vnigenitus est filius Dei, non potest dici fuit aut erit, sed tantum est, quia quod fuit iam non est, & quod erit nondum est, ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum & varietate: nec arbitror aliunde manare quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuauit &c. Ego sum qui sum &c. Ex quo iam spiritualibus animis patere confido nullam naturam Deo posse esse contrariam: si enim ille est, & de solo Deo proprie dici potest hoc verbum: quod enim vere est, incommutabiliter manet, quoniam quod mutatur, fuit aliquid, quod iam non est, & erit, quod nondum est, nihil habet Deus contrarium. Si enim quæratur à nobis quid sit albo contrarium, respondemus nigrum: si quæratur quid sit calido contrarium, respondemus frigidum, si quæratur quid sit veloci contrarium, respondemus tardum & quæcunque similia: cum autem quæritur quid sit contrarium ei quod est, recte respondetur quod non est.* Hæc Aug.

Vltimo probatur. quia videmus quod res quælibet quandiu auellitur à suo fine, tandiu motu agitatur, sed vbi acquisierit finẽ suum, statim trãquilla manet acquiescit in finis possessione, quod experientia probat: nam ignis sursum semper fertur donec sphæram suam attigerit, & lapis deorsum semper dilabitur donec centro suo coniungatur, sed vbi lapis & ignis centrum suum, attigerint, statim ab omni motu cessant & in cẽtro quiescunt: similiter creaturæ rationales, quandiu sunt in via, tandiu possunt moueri, crescere & augeri in assecutione maiori & perfectiori sui finis per augmentum meriti, sed vbi fuerint in termino, iam cessat augmẽtum in merito perfectiorque finis assecutio & propterea vbi ceciderit arbor ibi permanebit in æternum, inquit scriptura, status enim termini status est immutabilis: ergo cum Deus sit sua beatitudo, suus ipsemet finis, nec indigeat extra se quærere à quo beatificetur. sed sit potius beatitudo & finis omnium vltimus, ad aliud extra se moueri non indigebit nec poterit, sed in semetipso semper

& in æternum & quieuit & quiescet, ita vt iure possit dicere illud quod Malac. 3. de seipso prædicat, Ego Deus & non mutor.

Soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur Sap. 7. omnibus mobilibus mobilior est sapientia, sed Sapientia diuina de qua fit ibi sermo, est Deus, ergo.

6. Respondetur cum D. Th. 1. p. q. 9. a. 1. ad 2. vbi sic resp. ad secundum dicendum quod sapientia dicitur esse mobilis similitudinarie, secundum quod similitudinem suam diffundit vsque ad vltima rerum, nihil enim esse potest, quod non procedat à diuina sapientia per aliquam imitationẽ, sicut à primo principio effectiuo & formali, prout etiam artificiata procedunt à sapientia artificis: sic igitur in quãtum similitudo diuinæ sapientiæ gradatim procedit à supremis quæ magis participant de eius similitudine vsque ad infima rerum quæ minus eam participant, dicitur esse processus quidam & motus diuinæ sapientiæ in res, sicut si dicamus solem procedere vsque ad terram in quantum radius luminis eius vsque ad terram pertingit & hoc modo exponit Dionys. c. 1. cæleſt. Hierarch. in initio, dicens quod omnis processus diuinæ manifestationis venit ad nos à Patre luminum; similem adhuc responsionem eidem argumento reperies apud eundem S. Doctorem in 1. dist. 8. q. 3. a. 1. ad 1.

Obiicitur appropinquari & elongari significant motum: sed ista dicuntur de Deo in Sacra scriptura vt Iac. 4. Appropinquate Deo & appropinquabit vobis; ergo Deus est mutabilis.

Respondetur ex eodem D. Th. ibi. ad 3. quod ista dicuntur de Deo metaphorice, sicut enim sol dicitur intrare domum vel exire, in quantum radius eius pertingit ad domum; sic dicitur Deus appropinquare ad nos vel recedere à nobis in quantum percipimus influentiam bonitatis illius, vel ab eo deficimus.

Obiicitur ex Philos. 3. Physic. textu 16. quod exit de otio in actum, aliquo modo mouetur; sed Deus aliquando creat in actu cum antea hoc non faceret ergo Deus debet moueri.

Respondetur ex D. Th. in 1. dist. 8. q. 3. a. 1. ad 4. vbi huic argumento sic respondet. *Ad 4. dicendum quod in omnibus in quibus operatio differt à substantia, oportet aliquem esse modum motus ex hoc quod exit de nouo in operationem, quia acquiritur in ipso operatio, quæ prius non erat, in Deo autem operatio sua est sua substantia, vnde sicut substantia est æterna ita & operatio: sed non sequitur operationem operatam ab æterno, sed secundum ordinem sapientiæ, quæ est principium operandi.*

Possent hic fieri aliquæ obiectiones ex Mysterio Incarnationis deprom ptæ, sed non est huius loci ostendere, quomodo in illo ineffabili mysterio tota mutatio se tenuerit, ex parte humanitatis, & nullo modo ex parte Verbi diuini rationem termini pure perfectiui exercentis. Vide Ledesma de perfect. diuin. q. 6. ar. 3. vbi hoc ex professo tractat, & interpretat. D. Th. in 3. p. q. 1.

DISPVTATIO XVI.

DE ÆTERNITATE DEI.

POſt diſput. de immutabilitate Dei rectus ordo poſtulat, vt de eius æternitate agamus, quandoquidem ad immutabilitatem æternitas conſequitur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DEFINITIO ÆTERNITATIS TRADITA à Boetio, quod ſit interminabilis, vitæ tota ſimul perfectaque poſſeſſio, ſit legitima.

§. *I. Reſolutio quæſtionis.*

1. COnclusio noſtra eſt, quod illa definitio, quam Boëtius 3. de conſol. proſa 2. tradit de æternitate, eſt legitima, ita communiter ſentiunt omnes cum D. Th.1.p.q.10.a.1.& in 1. diſt.8.q.2. a.1.& d.19.q.2.ar.1.

Explicatur prædicta definitio, dicitur primo æternitas, poſſeſſio, ad deſignandam immutabilitatem, indeficientiam, & ſtabilitatem æternitatis, illud enim dicimur poſſidere, ſupra quod ius omnino firmum, & ſtabile habemus, & à quo dimoueri nullo modo poſſumus, & quia æternitas tribuit ei, cui per ſe & ab intrinſecis principiis conuenit, ita quiete & pacifice poſſidere tum eſſe, tum vitam, vt ab eis nullo modo dimoueri poſſit, aut in eorum poſſeſſione, inquietudine aliqua vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco moleſtari, hinc fit quod æternitas poſſeſſio quædam firma & ſtabilis iure merito nuncupetur: ita D. Th. 1.p.q. art.1.ad 6.& in 1. ſent. loco citato ad 6.

Secundo

Secundo dicitur, tota simul, vt per hoc à tempore distinguatur, cuius essentia tota simul non est, sed per successionem acquiritur & per partes; vbi æternitas non per successionem, aut per partes possessionem vitæ, vel esse acquirit, sed totius esse, vitæque amplitudinem simul, vniformiter, & sine vlla mutatione aut variatione possidet: ita D. Th. 1. p. q. & a. citatis ad 5. & loco citato sent. ad 4. vbi dicit quod per istas duas particulas duplex imperfectio, quæ est in tempore excluditur: imperfectio scilicet diuisionis, quæ per istam particulam, tota, excluditur; & imperfectio successionis, quæ per istam particulam, simul, tollitur. *Ad* 4. inquit, *dicendum, quod in successiuis est duplex imperfectio, vna ratione diuisionis, altera ratione successionis. quia vna pars non est cum alia parte, vnde non habent esse nisi secundum aliquid sui: vt autem excludatur omnis imperfectio a diuino esse, oportet ipsum intelligere sine aliqua diuisione partium perfectum, & hoc dicit hoc nomen tota; non enim dicit rationem partium item oportet ipsum intelligere sine successione & hoc importatur per aduerbium simul.*

Tertio dicitur quod illa possessio vitæ, quam dicit æternitas, est perfecta, ad excludendum nunc temporis, inquit D. Tho. loco citato 1. p. ad 5. licet enim nunc temporis, totum simul sit, cum partes non habeat; tamen absolute non est quid perfectum, sed absolute quid imperfectum: vel si vis, dicito cum eodem, S. Doct. loco citato 1. sent. quod per ly, tota, excluditur imperfectio, quæ est in substãtia & essentia durationis, & per ly, perfecta, imperfectio, quæ in modo habendi quamcumque durationem creatam inuoluitur. *Ad* 5. inquit, *dicendum quod imperfectio esse, potest considerari dupliciter, vel quantum ad durationem, & sic dicatur esse imperfectum, cui deest aliquid de spatio durationis debita, sicut dicimus vitam hominis qui moritur in pueritia vitam imperfectam, & talis imperfectio tollitur per ly tota est etiam quædam imperfectio quantum ad modum habendi & talis imperfectio tollitur per ly perfecta.* Hæc S. Doct.

Quarto dicitur quod æternitas est possessio vitæ, potius quam esse, quia esse non se extendit (inquit D. Tho. loco citato 1. p. ad 2.) ad operationem sicut facit viuere, quod non solum de operatione, sed etiam de esse prædicatur in viuentibus, quia in viuentibus, viuere est esse, vt dicitur tertio de anima textu 37. vnde cum æternitas sit duratio Dei, non solum secundum esse, sed etiam secundum operari, hinc est quod congruentius dictum est, quod sit possessio vitæ, quam esse, & maxime, quia in vita actuali & formali esse viuentium relucet & apparet; vel secundo possumus dicere cum eodem in 1. sentent. loco cit. ad 2. quod potius dixit Boëtius æternitatem esse possessionem vitæ, quam esse, quia in illo, qui solus habet æternitatem, esse & viuere sunt omnino idem, & illam summam Dei actualitatem, quæ tanta est, vt etiam suum operari & viuere sibi identificet, voluit forsan nobis indicare.

Tandem dicitur, quod æternitas est possessio interminabilis vitæ, ad designandum quod æternitas est adeò mirabilis vitæ possessio, vt nec principium, nec finem habeat, aut habere possit, sed omni prorsus termino careat.

Soluuntur obiectiones.

§. II.

OBiicitur contra illam particulam quæ primo explicata est, quod æternitas est in genere durationis; ergo in definitione æternitatis potius debuit poni duratio loco generis, quam possessio.

Respondetur cum D.Th.in 1.sent. loco sępius citato ad 6.vbi hęc habet huic obiectioni respondens. Ad 6.dicendum quod duratio quamdam distinctionem dicit ex ratione nominis & quia in diuino esse non debet intelligi aliqua talis distensio, ideo Boëtius non posuit durationem, sed possessionem, metaphorice loquens, ad significandum quietem diuini esse; illud enim dicimus possidere, quod quiete & plene habemus, & sic Deus possidere vitam suam dicitur, quia nulla inquietudine molestatur. Possemus & nos addere, quod ideo æternitas dicitur possessio, quia cum duratio sit permanentia formalis in esse, & quamdiu res in suo esse permanet, tamdiu suum esse dicatur possidere, non immerito tranquilla æternitas, quæ est duratio vitæ & esse Dei, dicitur possessio quædam formalis esse & vitæ Dei.

Obiic.si æternitas est tota simul, sequitur quod duæ contradictorię sint simul veræ; ergo cum implicet duas contradictorias esse simul veras, vt ostensum est supra disp.2.q.2. implicabit æternitatem esse totam simul: conseq.est euidens; prob.ant.quia in æternitate vere asseritur quod Petrus disputat, & quod Petrus nō disputat; ergo cum istæ propositiones sint cōtradictoriæ, si semel verum est quod æternitas sit tota simul, duæ istæ cōtradictoriæ erunt simul veræ.

Resp.quod contradictio debet esse respectu eiusdem, & pro eodē nunc indiuisibili tam formaliter quam virtualiter, vnde cum instans æternitatis, quamuis sit formaliter indiuisibile, diuisibile tamen sit virtualiter, & coexistens diuersis temporum differētiis: hinc fit quod per respectum ad instans æternitatis non magis opponuntur inter se istæ propositiones, quam si enuntiarentur pro diuersis temporum differentiis, & sic potest vtraque esse de facto vera. Verum quidē est, vt optime aduertit Gonz. 1. p. disp. 20. sect.3.ad 1.quod si prædictæ propositiones enuntiarentur sub ista forma, Petrus disputat in æternitate, Petrus non disputat in æternitate, tunc essent cōtradictoriæ. Et negatiua ex suppositione quod Petrus disputasset aliquando, esset falsa, quia cum negatio sit malignantis naturæ ponit conseq. oppositum omnino affirmationi, & per conseq. propositio illa negatiua facit istum sensum, quod Petrus in nulla parte virtuali æternitatis disputauit. Imo dico, quod etiāsi non apponatur mēsura æternitatis in propositionibus prædictis, si tamen affirmatiua intelligatur in comparatione ad mensuram æternitatis, cum contradictio sit eiusdem de eodem secundum idem, & per comparationem ad eandem mensuram, & vna pars oppositionis totum destruat, quod altera ponit, oportet quod negatiua, in qua dicitur quod Petrus non disputat, tollat quod Petrus disputauerit in æternitate; & sic de facto erit falsa, & æquiualebit huic, Petrus in æternitate non disputat, quam certissimum est

esse falsam, ex suppositione quod Petrus aliquando disputauerit.

3. Obiicitur, quando dicitur quod æternitas est possessio vitæ interminabilis, vel ly interminabilis sumitur negatiue; ita vt per hoc solum significetur quod vita, cuius æternitas est duratio, habeat negationem termini & finis vel sumitur positiue. primum dici non potest, quia æternitas est attributum Dei positiuum, & vere in Deo existens, & consequenter nõ potest per negationem aliquam formaliter constitui. Secundum etiam asseri non potest, quia si per impossibile daretur quod æternitas Dei terminaretur & penitus annihilaretur, tamen non haberet iam aliquid minus, quam illud, quod habebit per totam æternitatem, sed totum illud positiuum quod habebit in æternum de facto iam haberet: sicut enim si iam annihilaretur aliquis Angelus, ille habuisset omne illud æuum, quod habiturus est per totam æternitatem, nec quicquam ipsi positiuum deesset, sed sola negatio ex parte termini & finis quam iam habiturus est; ita si Dei æternitas annihilaretur, nihil minus habuisset positiui, pro toto illo tempore quo fuit existẽs, quam illud, quod per totam æternitatem est habitura, sed illud quod solum ei deesset, esset negatio termini & finis, quã tamen iam includit: ergo interminabilitas illa, quæ ponitur in definitione æternitatis solam negationem videtur importare; & sic cum iam ostensum sit, quod in definitione æternitatis non debet poni aliqua negatio, quia æternitas est attributum Dei positiuum, videtur quod iste terminus est male omnino appositus in tali definitione.

Respondeo quod per interminabilitatem positam in definitione æternitatis, non significatur aliqua negatio, sed aliquod reale positiuum, licet illud positiuum per negationem explicetur: & ad illud quod obiicitur de æuo Angelorum: Respondetur quod inter æuum Angelorum, & æternitatem, magna est differentia: neque enim æuum habet ex vi propria, & ab intrinsecis principiis semper durare, sed habet hoc solum, supposito influxu diuino, & ex vi conseruationis diuinæ: & ideo si poneretur, quod æuum vnius Angeli cras annihilaretur, & cessaret, non diceretur tali æuo defuisse pro tempore, quo extitit aliquid positiui intrinseci, quod sit in æuis aliorum Angelorum, sed solam negationem conseruationis diuinæ connotaret, quam aliorum Angelorum æua sunt habitura; at si æternitas Dei cras cessaret, & haberet terminum, hoc euidẽter argueret deesse æternitati aliquid reale positiuum, quod iam habet quia æternitas ab intrinsecis principiis exigit non habere terminum, negatio enim ad terminũ, quæ significatur per interminabilitatem, est negatio repugnantiæ fundata in aliquo positiuo, per quod realem & positiuam habet repugnantiam ad hoc vt terminetur: vnde sicut negatio materialitatis, quam spiritualitas, quæ est in Angelis; dicit, fundatur in aliquo positiuo reali, & intrinseco, ratione cuius repugnat ei materiam aliquam habere, & propterea si daretur quod Gabrielitas v. g. non diceret istam negationem materialitatis, poneretur hoc ipso quod Gabrielitas illa nõ esset eiusdẽ rationis, ac ea, quæ nunc est, quia deberet priuari aliqua perfectione positiua reali quã iã habet, ratione cuius repugnat ei materialitas: ita posito, quod

æternitas posset crastina die non esse, & quod posset carere termino, quo debet priuari, & de quo facto priuabitur, deberet necessario æternitas esse alterius rationis, ac est nunc, & priuari aliqua positiua, & reali perfectione, quæ de facto est in ea, ratione cuius repugnantiam habet positiuam, ad hoc vt aliquando terminetur.

QVÆSTIO II.

Vtrum æternitas includat in sua ratione formali rationem mensuræ.

Resolutio quæstionis.

§. I.

4. AD intelligentiam quæstionis aduertendũ est primo ex Aristotele 10. Metaph. cap. 2. & 3. quod mensura est id, quo quanta res sit, dignoscimus & quantæ eius partes, vnde cũ per quantitatem non solum extrinsecã, sed etiam intrinsecam extensionem subiecti, eiusque partes cognoscamus, quantitas tum intrinseca, tum extrinseca rationem mensuræ habere poterit, respectu eius, cui conuenit.

Secundo notandum est, quod duratio ad genus quantitatis, vel formalis vel virtualis pertinet, quia sicut per quantitatem molis, res corporea extenditur; ita & per durationem, res quæ durat, habet extensionẽ quamdam in ratione durandi, vel formalem vel virtualem: tẽpus enim, quod est rerum temporalium duratio est quædam quantitas formalis, extendens formaliter res corporeas quas mensurat; duratio vero rerum spiritualium, quantitas quædam virtualis eas virtualiter extendens.

His positis prima sententia est aliquorum qui tenent æternitatem esse formaliter mensuram diuini esse, & rationem illam formalis mensuræ quam dicit, consistere in relatione quadam rationis. hæc sent. tribuitur Ferrar. 1. contra Gent. c. 15. Syluest. in conflato. quæst. 10. in ea etiam sunt Zumel & Bannez prima parte, quæst. 10. addit tamen Bannez concl. 3. quod respectus ille rationis, quem importat mensura in æternitate, non est ratio formalis constitutiua æternitatis, sed potius vniformitas: & quod eius respectus concurrit ad eius constitutionem, vt modus intrinsecus, & per modum complementi ipsius vt concl. 4. asserit.

Secunda sententia asserit ad essentiam æternitatis nullo modo rationẽ mensuræ pertinere, sed potius æternitatem compleri per aliquid reale, & per aliquid rationis, & quod illud reale consistit in hoc quod sit duratio quædam, manens & vniformis sine principio, & fine; & quod illud rationis quod includit, est negatio mensuræ. Ita Vasq. disput. 31. cap. 3. & fusius cap. 5. & 6. vbi suam stabilit sententiam, cui suffragatur Suar. disp. 50. Metaph. sect. 4.

Nostra vero & omnium Thomistarum sententia sequentibus declaratur conclusionibus.

Prima conclusio; Non potest negari quin æternitas aliquam mensuræ rationem habeat. In hac conclusione non determinamus, vtrum rationem mensuræ radicalis, seu fundamentalis, & virtualis dicat; an vero rationem mensuræ formalis, postea enim illud determinabitur. In hac

conclus. omnes prorsus Thomistæ conueniunt, nec vllum esse crediderim qui nobis in hoc refragetur, poterunt videri Nauar. 1. p. contr. 28. §. 1. concl. 3. & toto §. seq. Gonz. disp. 20. sect. 4. Naz. 1. p. q. 10. art. 1. contr. vnica, & alij pro prima sententia citati.

Probatur conclusio ex D. Tho. 1. p. q. 10. art. 5. in c. vbi bis dicit æternitatem esse mensuram esse permanentis, & in 1. sent. d. 19. qu. 2. articulò primo, dicit quod ratio mensuræ complet rationem æui & æternitatis.

5. Probatur ratione. Illud per quod cognoscitur quantum sit res extensa siue formali, siue virtuali extensione, est mensura talis rei: atqui æternitas Dei, est ratio, per quam cognoscitur, quantum Deus virtualiter in sua duratione sit extensus; ergo æternitas eius, est mensura ipsius in genere durationis. Maior patet ex suppositione prima: min. autem probatur, quia quælibet res cognoscitur durare, & quanta sit, siue formaliter, siue virtualiter in durando extensa, per suam durationem formalem, sicut quilibet effectus formalis per suam causam formalem: ergo cum æternitas Dei sit formalis eius duratio, Deus cognoscetur formaliter vt durans, & quantum sit in duratione virtualiter extensus, per æternitatem tamquam per rationem formalem Dei in ratione durantis constitutiuam.

Probatur secundo, quia quidquid est perfectionis in cæteris durationibus, debet concedi durationi diuinæ, seclusis tamen earum imperfectionibus, atqui cæteræ durationes comparantur ad ea, quorum sunt durationes, vt eorum mensuræ in durando, & ratio mensuræ vt sic, non dicit aliquam in eis imperfectionem: ergo debet ratio mensuræ in æternitatis duratione reperiri. ma. est certa, quia sicut quidquid in cognitionibus, quidquid in iustitiis creatis reperitur, totum illud. (seclusis tamen imperfectionibus) sapientiæ & iustitiæ diuinæ tribuitur: ita quidquid in creatis durationibus reperitur, debet seclusis earum imperfectionibus æternitati Dei, quæ est eius formalis duratio, concedi. Minor autem est certa, & primò quidem, quod durationes creatæ habeant rationem mensuræ respectu eorum quorum sunt durationes, non est dubium, cum per eas cognoscatur quantum res durent, quarũ sunt durationes, quod autem talis ratio mensuræ nõ arguat in eis aliquam imperfectionem, ex ratione mensuræ vt sic formaliter, probatur. quia quod aliquid sit ratio formalis cognoscendi aliud præcise vt sic, hoc non arguit aliquam imperfectionem: ergo cum definitio mensuræ sit, vt ex Aristotele suppos. 1. vidimus, quod sit id, quod est ratio & regula aliud cognoscendi, durationes creatæ ex præcisa ratione mensuræ vt sic, non includent aliquam imperfectionẽ, sed potius summam perfectionem. Licet ergo verum sit rationem formalem mensuræ arguere imperfectionem in mensurato, & propterea non posse poni formaliter in Deo, tamen videtur quod non possit æternitati non concedi aliqualis ratio mensuræ, eo modo, saltem, quo conclusione sequenti declarabitur.

Probatur tertio, illud in quo Deus dicitur esse, tamquam in continente ipsum per modum durantis, est mensura Dei in illo genere: sed Deus di-

citur esse in æternitate, tamquam in aliquo veluti ipsum continente; ergo. Maior est certa, quia illud, quod aliquid comprehendit, dicitur ipsius esse mensura. Min. autem probatur: quia Isa. 57. dicitur Deus habitare æternitatem: ergo cum ille qui dicitur habitare aliquam domum, ab ea contineatur, Deus qui dicitur habitare æternitatem, ab ea continebitur, non quidem tamquam excessum ab excedente, sed tamquam æquale ab æquali.

6. Secunda conclusio, ratio mensuræ quam æternitas includit, non est ratio mensuræ formalis, sed ratio mensuræ virtualis. In ista conclusione conueniunt nobiscum Gonz. Naz. & Nauar. & licet Bannez & Zumel & alij Thomistæ dicant æternitatem formaliter includere ratione mensuræ, & quod illa ratio mensuræ est aliquid rationis, forsan tamen non intendunt, quod æternitas secundum se considerata includat illam relationem rationis, sed solum quod includat eam, prout subiicitur nostro modo intelligendi, vt infra explicabitur.

Probatur prima pars conclusionis ex D. Thoma prima parte quæstio. 10. articulo secundo ad 3. vbi habet ista verba. *Vnde non dicitur Deus æternus quasi sit aliquo modo mensuratus, sed accipitur ibi ratio mensuræ secundum apprehensionem nostram tantum*: ergo si consideretur æternitas secundum se, sicut eam in præsenti conclusione accipimus, non potest afferi secundum mentem D. Tho. quod formaliter includat aliquam rationem mensuræ formalis.

Probatur ratione: mensura formalis & proprie dicta, arguit realem distinctionem inter mensuram & mensuratum realem, dependentiam mensurati à mensura, & relationem realem mensurati ad mensuram, quæ quidem relatio fundatur in illa dependentia reali, quam habet mensuratum à sua mensura: ergo cum ista omnia arguant imperfectionem formaliter in suis conceptibus ex parte mensurati, non possunt reponi formaliter in Deo.

Et si dicas quod in definitione mensuræ, quam ex Arist. retulimus, non exprimuntur omnes illæ imperfectiones, sed solum quod mensura sit ratio cognoscendi quantitatem rei, siue virtualem, in quo nulla ex prædictis imperfectionibus declaratur, & maximè si quantum, in cuius cognitionem mensura inducit, sit quantum virtuale, & non quantum molis & formale; licet enim secundum ex suo conceptu imperfectionem aliquam dicat, non tamen primum, cum certum sit quantitatem virtutis in perfectione rei fundari, & propterea Deo etiam non denegari.

7. Respondetur quod ex communi omnium Philosophorum intelligentia ratio mensurati dicit formalem dependentiam à mensura, & relationem realem ad eam, fundatam in tali dependentia vt apud Complut. nostros in Logica disput. 14. quæstio. 4. videri poterit. Sicut ergo ex reali dependentia, quam debet habere effectus à sua causa, arguitur imperfectio in effectu, & realis ipsius distinctio à sua causa, & propterea nihil potest in Deo habere formaliter rationem effectus; ita ex reali dependentia quam habet mensuratum à mensura formali, arguitur imperfectio eius, & distinctio realis quam debet habere à sua mensura, & per consequens ratio mensurati & men-

suræ formalis atque realis, non possunt poni formaliter in Deo. Vnde licet in definitione illa Aristotelica, & ex hoc præcisè quod mensura sit ratio cognoscendi quantitatem rei, non exprimatur aliqua imperfectio ex parte mensurati, si illud quod mensuratur sit quantum virtuale & non formale (quia ex hoc quod aliquid cognoscatur per aliud tãquam per rationem cognoscendi, non infertur vlla imperfectio in eo quod ita cognoscitur, cum certum sit in Deo multas rationes reperiri, quę per alias cognoscuntur.) tamen implicitè imperfectiones superius à nobis allatæ in prædicta definitione includuntur, illud enim quod est ratio cognoscendi aliud, vt realiter & formaliter mẽsuratum à se, supponit quod huiusmodi mensuratum sit à se realiter dependens, & conseq. quod inuoluat alias imperfectiones quæ ex reali dependentia vnius ab altero consequũtur. Et hæc pro 1. p. conclusionis.

Prob. 2. pars primo, ex iis quæ dicta sunt in prima conclusione, quia vidẽtur ad minus probare hanc secundam partem, quod scilicet æternitas sit mensura virtualis esse diuini secundum eius durationem.

Prob. 2. quia ad hoc, vt æternitas dicatur habere rationem mensuræ virtualis, sufficit quod ita comparetur ad esse Dei, in quantum durat, vt de facto præstet respectu illius, seclusis tamẽ imperfectionibus illud omne quod pręstaret, si vere haberet rationẽ mensuræ ipsius in durando: at nullus dubitat, quin hoc modo comparetur æternitas ad Deum. Ergo.

Cõfirmatur. quia ideo vnum attributum in Deo dicitur esse causa virtualis respectu alterius, quia aliquando vnum attributum ita comparatur ad aliud, vt si quam posset habere causam aliam, de facto non haberet præter illud attributum, verbi gratia. Ideo immutabilitas Dei dicitur causa virtualis æternitatis, quia æternitas ita comparatur ad immutabilitatem, vt si quam posset æternitas habere causam, aliam non haberet præter immutabilitatem: Ergo cũ Deus consideratus secundum quod permanet & durat in suo esse, ita comparetur ad æternitatem, vt si quam posset habere mensuram in durando, aliam præter æternitatem nec haberet, nec habere posset, æternitas dicetur merito mensura virtualis Dei in durãdo.

8. Confirmatur. quia, sicut per hoc quod attributum vnum dicitur causatum virtualiter ab altero, tollitur ab attributo virtualiter causato omnis imperfectio, quæ est in causato formali, & per hoc solum innuitur, quod illud attributum, quod est causa virtualis, æquiualet propriæ rationi causæ, sublatis quibuscumque imperfectionibus ex parte attributi causati virtualiter; ita per hoc, quod dicitur æternitas mensura virtualis Dei, innuitur solum, quod æternitas æquiualet propriæ rationi mensuræ, sublatis quibuscumque imperfectionibus ex parte Dei, quem dicitur virtualiter secundum durationem eius mensurare, & conseq. sicut immutabilitas potest dici causa virtualis æternitatis: ita potest æternitas dici mensura virtualis durationis diuinæ, seu Dei in quantũ durat & permanet in suo esse.

Ex his possumus Bannezium & alios qui cum ipso sentiunt cum aliis Thomistis conciliare. quando enim Bannez dicit quod æternitas includit per modũ cuiusdã modi intrinseci & per modũ cõplemẽti, aliquid rationis, nõ cõsiderat æternitatẽ formaliter secũ-

dum se, sed vt subiicitur modo concipiendi intellectus nostri, qui cognoscendo æternitatem cognoscit eam per modum mensuræ formalis Dei in durãdo, & propterea tribuit ei relationẽ quamdam mensuræ rationis in comparatione ad Deum, cum enim ascendat ex durationibus creatis ad cognitionẽ durationis diuinæ, propterea comparat æternitatem ad Deum eo modo, quo videt durationes creatas ordinari ad res, quarum sunt durationes, & consequenter per modum mensuræ; & sic æternitas secundum quod subiicitur modo proprio concipiendi intellectus nostri acquirit quamdam relationem mensuræ rationis, quæ est veluti quidam modus intrinsecus eius, non quidem sibi vt est in se conueniens, sed vt modo nostro concipiendi subijcitur: nec aliud Thomistæ illi volunt, quando dicunt in ratione æternitatis cõnotari aliquid rationis, quod certe nullo modo potest eis negari, quia sicut sapientia, aut quodcumque aliud attributum Dei, prout subiicitur considerationi nostræ, acquirit aliquam distinctionem rationis ab aliis attributis, fundatam in distinctione virtuali quam habet ab eis: ita æternitas Dei considerata à nostro intellectu, acquirit aliquam distinctionem rationis ab esse diuino; & similiter aliquam relationem mensuræ rationis, fundatam in virtuali distinctione, quam habet ab esse diuino, vt est virtualis mensura durationis ipsius.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

§. II.

Obiicitur ex D. Tho. in 1. sent. d. 19. q. 1. art. 1. ad 4. vbi habet ista verba, *Diuina magnitudo nullo modo est mensurabilis vel mensurata, nec ab alio, nec à se, quia mensuratio ponit terminationem.*

9. Respondeo, quod D. Tho. loquitur de aliqua mensurabilitate positiue finita & limitata, & quæ à mensura excedatur (vt ex contextu patet) non autem de mensurabilitate aliqua, quæ sit omnino mensuræ adæquata. Vel secundo respondeo D. Tho. negare solum, quod magnitudo Dei ab alio mensuretur, quia ad illam mensurandã alia requireretur magnitudo, vt ibid. dicit, non autem quod esse Dei non possit ab eius magnitudine mensurari, non quidem tamquam à mensura excedente, sed tamquam ab aliqua mensura virtuali adæquata, & virtualiter solum ab esse Dei distincta.

Obiicitur ex D. Tho. 1. p. loco citato pro nobis in secunda concl. vbi dicitur quod Deus non dicitur æternus, quasi sit aliquo modo mensuratus, & quod æternitas habet rationem mensuræ secundum apprehensionem tantum: ergo non potest dici secundũ mentem D. Th. quod æternitas habeat rationem mensuræ virtualis, alioquin ęternitas, non esset solum secundum apprehensionem nostram mensura.

Resp. quod quando D. Tho. dicit æternitatem esse tantum mensuram secundum apprehensionem nostram, particula

particula ista, tantum, est solum exclusiua mensuræ formalis, & realis, quia illa solum est, quæ proprie & simpliciter rationem mensuræ habet; quod autem D. Th. nullo modo excludit ab æternitate Dei rationem mensuræ virtualis, potest ostendi euidenter, quia vt optime ex summulistis notant Complut. nostri in summulis Logic. lib. 2. capite vlt. nunquam particulæ exclusiuæ cuicumque iungantur, excludunt ea, quæ necessario rem concomitantur, vt cum dico tantum Petrus currit, non excludo, quod visibile currat, quando dico, diligo tantum salutem, non excludo media necessaria ad eius consecutionem: cum ergo relatio mensuræ rationis, quam intellectus noster æternitati tribuit, sit fundata in virtuali ratione mensuræ, quam habet æternitas per comparationem ad Deum, & omnis relatio inuiolabilem habeat connexionem cum suo fundamento, consequenter quando D. Thomas dicit æternitatem tantum esse mensuram secundum apprehensionem nostram, non excludit per ly, tantum, ab æternitate virtualem mensuræ rationem, in qua fundatur relatio illa mensuræ rationis, quam ipse astruit, sed solum rationem mensuræ realis.

Instabis & dices rationem mensuræ dicere imperfectionem, & consequenter non esse ponendum in Deo fundamentum ad mensuram rationis, quam noster intellectus æternitati tribuit, sed illam relationem esse solum rationis ratiocinantis & non rationis ratiocinatæ.

10. Respondeo quod ratio mensuræ realis arguit quidem imperfectionem ex parte mensurati, vt supra diximus, sed ratio mensuræ virtualis, tantum abest, quod ponat aliquam imperfectionem in mensurato, quin potius arguit summam eius perfectionem: arguit enim, quod non distinguitur realiter à sua mensura, sed quod realiter sit propria sui ipsius mensura, & consequenter relatio mensuræ rationis, quam tribuit intellectus noster æternitati, est omnino in re fũdata, & in summa scilicet æternitatis & esse diuini perfectione; licet enim noster intellectus fundamentum non habeat ad ponendam in Deo rationem mensuræ secundum imperfectiones, quas mensura inuoluit, ex parte mensurati, vt quod Deus sit dependens ab æternitate, quod realiter ab ipsa distinguatur, &c. tamen maximum habet fundamentum ad tribuendum ei rationem mensuræ, quæ ponit summam in mensura perfectionem, sicut est, quod sit ratio cognoscendi quantum res duret, & quod realiter identificet sibi suum mensuratum, & alia huiusmodi.

Obiicitur, illud quod est infinitum non potest mensura definiri, & propterea dicit D. Tho. 1. par. quæst. 10. art. 4. in Cor. *Quod si motus semper duraret, tempus non mensuraret ipsum secundum totam durationem, cum infinitum* (inquit) *non sit mensurabile, sed mensuraret quamlibet circulationem quæ habet principium & finem*: atqui Deus est infinitus: ergo non potest aliqua mensura definiri: ergo non potest æternitas habere rationem mensuræ respectu illius.

Respondeo distinguendo maiorem, non potest definiri mensura aliqua reali & realiter à mensurato distincta, & quæ veluti finiat positiuè mensuratum, tribuatque ei terminos positiuos, concedo: non potest

definiri mensura aliqua virtualiter & ratione solum distincta à mensurato, nego maiorem: quia talis mensura non imponit mensurato terminos, & limites positiuos, sed dicitur solum definire ipsum veluti negatiuè, quatenus scilicet nihil est in mensurato, quod non mensuretur à mensura; vnde sicut dicitur Deus seipsum per suam cognitionem comprehendere, non quia circumscribat & limitet se positiuè, eo modo quo locus locatum limitat atque circumscribit, sed quia nihil est in Deo, siue formaliter, siue virtualiter, quod à cognitione eius non attingatur: vno verbo quia tanta est cognoscibilitas eius actiua, quanta passiua: ita quia nulla est extensio virtualis in Deo in durando, ad quam æternitas non pertingat, & cuius æternitas non sit ratio & causa veluti formalis: ideo potest legitimè asseri quod æternitas mensurat virtualiter Deum, secundum quod durat, & in esse suo permanet; vnde ad illud quod obiicitur ex Diuo Thoma, respondetur Diuũ Thomam solum velle, quod in illa suppositione tempus non haberet veram & realem rationem mensuræ, quæ terminaret, finiret, & clauderet positiuè omnem illum motum, nec magis intendit D. Thomas.

Obiicitur, attributum reale Dei non completur per aliquid rationis: sed æternitas est attributum Dei verum & reale: ergo non potest compleri per aliquid rationis, sicut est ratio mensuræ.

Respondeo quod æternitas Dei potest considerari vel secundum quod est in se, vel secundum quod subiicitur nostro modo concipiendi: si secundum se consideretur, completur in propria ratione per rationem mensuræ virtualis, si vero consideretur secundum quod subiicitur nostro modo concipiendi, completur per relationem mensuræ rationis fundatam in ratione virtualis mensuræ, quam habet secundum &c. Nam (vt exemplum quod Valquez disputatione 31. 1. parte capite 3. contra Thomistas affert in ipsum retorqueamus) sicut animal secundum se consideratum fundat distinctionem rationis, quam intellectus ei tribuit, præscindendo ipsum ab inferioribus, nec potest subiici intellectui nostro vt sic, nisi ex vi intellectus exerceatur in ipso illa distinctio rationis: ita nec potest æternitas secundum quod est speciale Dei attributum ab aliis contradistinctum intellectui nostro subiici, nisi ex vi cognitionis nostræ tribuatur ipsi relatio mensuræ rationis, per quam quodammodo ex modo nostro concipiendi completur eius distinctio à cæteris attributis.

Obiicitur, si ratio mensuræ ingrederetur rationem æternitatis, deberet in definitione æternitatis hoc declarari: atqui nihil est in definitione æternitatis, quod declaret esse rationem aliquam mensuræ in ea: ergo.

Respondetur, quod ratio mensuræ, quæ est in æternitate, declaratur per hoc, quod dicitur esse possessio vitæ interminabilis Dei: & enim quando dicitur esse formalis possessio, innuitur quod continet vitam interminabilem, (quia hoc ipso, quod res possidetur, continetur intra dominium possidentis;) vnde cum ratio mensuræ, dicat continentiam mensurati, per hoc consequitur quod æternitas, dicitur possessio interminabilis vitæ, insinuatur satis, ipsam continere per modum mensuræ il-

lud, quod habet talem vitam.

Obiicitur oportet quod mensuratum sit distinctum, saltem ratione, à mensura: atqui non potest aliquid assignari in Deo, quod sit distinctum ab æternitate, respectu cuius habeat rationem mensura: ergo.

Et si dicas esse, ipsum esse Dei, vt virtualiter ab æternitate contradistinctum. Contra quia æternitas non potest esse mensura Dei, secundum esse, sed solum secundum durationem ipsius: atqui esse Dei consideratum secundum quod durat, non est distinctum etiam ratione ab æternitate, quia duratio Dei, est eius æternitas: ergo æternitas non poterit dici mensura Dei vllo modo.

12. Respondetur quod Deus consideratus vt durat, est mensuratus ab æternitate, tanquam à sua duratione; vnde sicut effectus formalis distinguitur à sua causa, ita cæteris paribus (certum est enim non esse causam proprie dictã in Deo) Deus vt durans distinguitur ab æternitate, sicut à ratione formali, per quam formaliter habet durare.

Quod si quæras, quid sit illud, quod formaliter; & veluti primario mensuratur ab æternitate, ratione cuius, cætera quæ sunt in Deo, mensurantur ab ea.

Respondetur esse attributum immutabilitatis: sicut enim mutabilitas rerum temporalium, est ratio, quare res temporales mensurantur tempore; ita immutabilitas Dei, est ratio quare quæcumque sunt in Deo, æternitate mensurentur.

Ex his satis apparet falsitas sententiæ, quam tenet Vasquez, æternitatem scilicet includere aliquid reale, & aliquid rationis, & illud rationis quod includit, esse negationem mensuræ. Primo, quia illud quod est ens per se, non potest conflari ex duobus ita diuersi generis, sicut sunt ens reale & rationis. Secundo, quia (vt vidimus) tantum abest quod æternitas dicat negationem mensuræ quin potius dicit formaliter secundum se rationem mensuræ virtualis, & secundum quod subiicitur nostro modo concipiendi, rationem mensuræ rationis, & consequenter, si quam dicat æternitas negationem mensuræ, erit solum negatio mensuræ realis, & realiter distinctæ à suo mensurato, non autem negatio mensuræ virtualis, aut rationis. Tertio, quia negatio mensuræ, quam importat æternitas, non est solum quid rationis, sicut existimat Vasquez, sed est vera & realis negatio repugnantiæ, qua positiue repugnat æternitati, quod possit habere rationem mensuræ realis, & formalis, respectu sui mensurati. Certum est enim, quod mensura virtualis, quam includit æternitas, excludit ab ea, veram rationem mensuræ realis, & formalis, tribuitque ei realem & positiuam cum ea repugnantiam, quia sicut repugnat æternitati non esse ipsum esse subsistens, ita eodem modo debet ei repugnare, realiter ab esse Dei distingui.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus sit æternus, & vtrum æternitas sit formaliter duratio.

§. I.

Resoluitur quæstionis.

Prima conclusio æternitas formaliter Deo conuenit, & con-

sequenter Deus est formaliter æternus. Ista conclusio est de fide iuxta illud D. Athanasii æternus Pater, æternus filius, æternus Spiritus sanctus, & iuxta illud Psal. 101. tu autem Domine in æternum permanet.

13. Probatur ratione desumpta ex D. Tho. lib. 1. c. gent. c. 15. & opusc. 2. c. 6. & 7. & 1. p. q. 10. art. 2. Illud quod ita est, vt sit omnino immutabile, est æternum: Deus ita est, vt sit omnino immutabilis, vt demonstratum est disp. præc. ergo Deus est æternus: minor & conseq. sunt euidentes, probatur maior, illud quod ita est, vt non possit non esse, est æternum: sed illud, quod ita est, vt sit omnino immutabile, semper est & non potest non esse; ergo quod est ita, vt sit omnino immutabile, est æternum. Maior patet, quia nihil est, esse æternum, quam semper esse, seu nunquam ab essendo desistere, eo enim ipso, quod aliquid nunquam ab essendo destiterit, aut futurum sit desistere, eo ipso, nec principium in suo esse habuit, nec in eo finem vnquam habebit, in quo æternitas consistit.

Minor autem probatur, quod scilicet illud quod est omnino immutabile, sit ita, quod nec vnquam potuerit uon esse, nec vnquam possit non esse, & primo quidem, quod illud, quod est omnino immutabile, debuerit semper habere esse, & nunquam fuisse sub non esse, probatur, si enim quod est immutabile, aliquando non fuisset, sed accepisset aliquando esse, post non esse, transisset de non esse ad esse: ergo aliter se habuisset nunc ac prius; ergo mutatum fuisset, & sic non esset omnino immutabile: ergo vt omnino sit tale, non potuit vnquam fuisse sub non esse, sed debuit semper esse. Similiter quod illud, quod est omnino immutabile, nunquam possit transire ad non esse, probatur, nam si posset aliquando non esse, & amittere illud esse quod habet, non esset omnino immutabile, quia de esse, transiret ad non esse, & consequenter mutaretur: ergo vt aliquid sit omnino immutabile, debet taliter esse, vt nunquam incœperit esse, nec vnquam esse desistat; ergo supposito, quod Deus sit (quod demonstratum est disp. 9. q. 2.) & quod omnino sit immutabilis quod ostensum est disp. præc. de necessitate debet esse æternus.

Probatur, secundo. Illud quod est necessitatum ad essendum, est æternum: sed Deus est necessitatus ad essendum, ergo Deus est æternus. Maior est certa, quia necesse, dicitur esse illud, quod aliter esse non potest: ergo illud quod est necessitatum ad essendum, non potest habere negationem essendi, sed semper debet esse, alias aliter esse posset, quam sit. Minor autem probatur, quia illud cui conuenit esse a se, & non ab alio, est necessitatum ad essendum: atqui Deo conuenit esse a se, & non ab alio, vt ostensum est disp. 10. q. 2. ergo. Maior patet, quia illud cui conuenit aliquid per se, semper illi conuenit; ergo cui conueniet esse a se, & per se, non autem ab alio, semper illi esse conueniet. Maior autem ostensa est loco citato, quia cum Deus sit prima causa, non potest ab alio suum esse emendicare.

Confirmatur ex eodem D. Thom. opusc. cit. quia illud quod potest aliquando esse, & non esse, non potest illi esse per se conuenire, sed debet

hoc illi conuenire ab alio, quia illud quod potest esse vel non esse, quantum est ex se est indifferens, & in potentia ad vtrumlibet, vel ad esse, vel ad non esse: ergo cum illud omne quod est indifferens, & in potentia ad aliquid, reducatur de potentia in actum per aliud, quod est tale in actu & per se, illud omne quod potest esse vel non esse, debet necessario supponere aliquid aliud, à quo habeat esse; atqui Deus est prima causa, & primum ens: ergo Deus non potest supponere aliud ens, à quo esse recipiat, ergo debet esse per se, & necessario consequenter esse, ergo semper esse, ergo æternus esse.

14. Secunda conclusio, æternitas secundum rationem suam formalem, est duratio formalis Dei, ita vt ratio formalis, qua Deus durare dicitur, sit æternitas. Ista conclusio, exceptis Bannez & Zumel, qui 1. par. qu. 10. artic. 2. aduersantur ei, est omnium aliorum Thomistarum. Capreol. in 1. distinct. 9. quæst. vnica art. 2. in solut. ad arg. 4. loco posita. Caiet. art. 2. quæst. 10. 1. parte §. aduerte. Syluest. in conflato quæst. 10. art. 1. annot. 2. Gonzal. 1. parte disp. 20. sect. 2. Nazar. 1. parte quæst. 10. art. 1. in expos. textus §. ex prædictis patet &c. denique Durand. & omnium fere scholast. in 2. distinct. 2.

Probatur conclusio primo ex Diuo Tho. 1. parte quæ. 10. art. 2. in corp. vbi hæc habet, *Non solum Deus est æternus, sed est sua æternitas, cum tamen nulla alia res, sit sua duratio*: ergo cum D. Tho. contra opponat æternitatem aliis durationibus, sentit quod æternitas, est duratio formaliter, & art. 1. eiusd. quæst. cum sibi obiecisset art. 1. in arg. secundo, quod æternitas est duratio quædam, in resp. non renuit, sed hoc potius admittit, idem facit etiam ibid. ad 6. & in 1. sent. dist. 19. quæst. 2. art. 2. *Secundum*, inquit, *quod tria prædicta nomina, æternitas scilicet, æuum, & tempus significant durationem quandam*.

Deinde probatur ratione, debet admitti duratio formalis in Deo, seu ratio aliqua formalis, per quam formaliter Deus dicatur durare: sed non potest assignari alia ratio, præter æternitatem: ergo. Maior est certa, quia duratio, est perfectio simpliciter simplex, cum nullam in se admittat imperfectionem. Deinde posset illa maior euidenter sic ostendi, ex definitione ipsius durationis, quia duratio nihil est aliud ex communi Philosophorum omnium sententia, (vt ostendunt Complut. nostri disput. 21. Phys. quæst. 3.) quam persistentia quædam formalis in esse: ergo cùm Deus formaliter in suo esse semper persistat, debet necessario poni duratio formalis in eo: at præter æternitatem, nulla alia potest assignari duratio, seu ratio formalis, per quam Deus duret in suo esse. Probatur, vel enim ratio formalis per quam Deus durat, est ipsum esse Dei, vel ipsa æternitas: non esse Dei: ergo æternitas. Minor probatur, quia duratio est mensura esse rei duratis, vel secundum mutabilitatis, vel secundum immutabilitatis rationem (vt ostendit D. Tho. in 1. dist. 19. quæst. 2. art. 1.) ergo cum omnis mensura, virtualiter saltem à re quam mensurat, distinguatur, duratio Dei virtualiter ab esse Dei distinguetur, & consequenter ratio formalis per quam Deus durat, non erit esse ipsius. Maior autem probatur, quia non potest alia ratio assignari, in qua duratio

Dei formaliter consistat, præter esse Dei, vel eius æternitatem: ergo si non consistat in esse ipsius Dei formaliter, consistat formaliter in æternitate.

15. Confirmatur sicut se habet tempus ad res temporales, æuum ad æuiterna, ita æternitas ad Deum; & propterea quotiescumque D. Thom. loquitur de differentia æternitatis, loquitur semper de ea, per comparationem ad tempus, & æuum, & contradistinguendo eam ab ipsis, vt patet ex 1. parte quæst. 10. artic. 5. & ex 1. dist. 19. quæst. 2. art. 1. ergo cum distinctio rei petatur per comparationem ad ea, quæ sunt sub eadem ratione communi, sicut æuum & tempus, sunt sub ratione communi durationis, ita sub eadem ratione erit quoque æternitas constituenda: ergo æternitas erit duratio formalis Dei.

Confirmatur quia duratio dicit extensionem quandam, vel formalem, vel virtualem in durando (vt ipsemet Bannez fatetur 1. parte quæst. 10. art. 1. dub. 1. not. 1.) ergo cum æternitas significet formaliter extensionem virtualem durationis diuinæ, & propterea quando æternitatem Dei significare volumus, significamus eam per extensionem quandam ad omne tempus possibile, æternitas Dei erit eius duratio, per quam formaliter durabit, & per quam ad omne tempus possibile extendetur.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

16. Obiicitur ex D. Th. in 1. dist. 8. quæst. 2. art. 1. ad 6. quod duratio quandam distensionem significat, *Propter quod* (inquit Doctor) *noluit Boetius vti isto nomine in definitione æternitatis, quia esse Dei nullam habet extensionem, sed loco eius posuit istud vocabulum possessio*: ergo ex mente D. Tho. non datur duratio formalis in Deo, & consequenter æternitas non erit duratio formalis ipsius.

Respondeo distinguendo antecedens, duratio extensionem quandam significat, formalem vel virtualem concedo, formalem semper, nego, nisi quantum ad modum significandi, & ad significationem primo huic nomini impositam (vt ibid. dicit D. Th.) cum enim à rebus temporalibus, & sensui subiectis, cognitionem hauriamus, nomina consequenter, quæ rebus imponimus, prius res temporales, & sensui subiectas significant, quam alias, quæ tempori, & sensui non sunt subditæ, & sic licet nomen durationis, sit prius impositum ad significandam extensionem formalem durationis temporalis, (quam vult solum D. Tho. à Deo excludere;) tamen non solam illam, sed etiam virtualem cuiuscumque durationis alterius significat extensionem. Vnde ad consequentiam argumenti Respondeo eodem modo, quod æternitas, non est quidem duratio formalis, secundum quod duratio dicit extensionem formalem, quamuis non possit absolutè negari, quin æternitas sit duratio formalis, cum ad hoc sufficiat, quod dicat extensionem virtualem.

Et per hoc soluitur obiectio quædam Aureoli in primum dist. 9. in 2. pa. art. 2. vbi negat æternitatem, esse durationem formaliter, quia (inquit) duratio formaliter importat successiuam quandam extensionem prioris & posterioris.

Respondetur enim solum tempus, successionem hanc importare, non autem quamcumque aliam durationem, nam vt optime ostendum Complut. N. in phys. disp. 21. quæst. 2. §. 2. nequidem æuum successionem illam importat: ergo multo minus æternitas, de cuius definitione est, quod sit tota simul.

Et si dicas ex eod. Aureol. ibid. sicut immensitas tribuit solum Deo, vim quandam, ad attingendum omne spatium permanens imaginarium, non autem aliquam quantitatem formalem permanentem, ita æternitatem Dei non importare in eo aliquam moram, aut permanentiam in suo esse, in quo duratio formaliter consistit, sed solum tribuere ei vim quandam ad attingendum omne spatium imaginarium successiuum, seu quodcumque tempus imaginarium.

Respondeo quod licet immensitas Dei, non tribuat ei aliquam quantitatem formalem & molis, tribuit tamen ei quantitatem, & magnitudinem infinitam virtutis, & perfectionis, per quam Deus habet vim, & ad implenda omnia loca possibilia, & est in seipso formaliter infinitus & immensus: ita quamuis æternitas, non tribuat Deo extensionem aliquam formalem durationis, tamen per æternitatem, Deus non solum habet vim ad coexistendum cuicumque tempori possibili, sed etiam per eam formaliter, totus in seipso, simul, & vniformiter durat, tanquam per propriam & infinitam durationem.

Obicies ex Bann. mensura distinguitur virtualiter in Deo, à re quam mensurat in eo: sed æternitas est mensura durationis diuinæ: ergo æternitas Dei, debet virtualiter ab eius duratione distingui. Maior est certa. Minor probatur, quia sicut res temporales corruptibiles comparantur ad tempus; ita ex sacra scriptura & SS. PP. Deus comparatur ad æternitatem: at qui res corruptibiles comparantur ad tempus, tanquam ad mensuram suæ durationis: ergo Deus ad suam æternitatem comparatur tanquam ad mensuram suæ durationis.

19. Respondeo concedendo maiorem & distinguendo minorem æternitas est mensura durationis diuinæ passiuè considerata, seu esse diuini, quatenus recipit denominationem a duratione diuina, concedo æternitas est mensura durationis diuinæ formalis & actiuæ, seu rationis formalis, per quam Deus denominatur formaliter durans, nego. Ad probationem in contrarium respondetur, quod quando sacra scriptura, & SS. PP. comparant Deum ad æternitatem, sicut res corruptibiles ad tempus, comparant solum quantum ad hoc, quod sicut res corruptibiles, mensurantur secundum successionem, & secundum prius ac posterius a tempore, ita Deus mensuratur a sua æternitate, non successiuè, sed secundum totum suum esse simul, & vniformiter, non autem quantum ad hoc, quod sicut tempus extrinsecum primi mobilis, mensurat tempus internum, & intrinsecam durationem rerum corruptibilium; ita similiter æternitas mensuret durationem aliquam intrinsecam Dei, distinctam ab ipsa æternitate. Vnde potest sic responderi in forma ad argumentum. Sacra scriptura, & SS. PP. eodem modo cōparant Deum ad æternitatem, quo corruptibilia ad tempus comparantur, distinguo, quantum ad hoc, quod est Deum, secundum suum esse mensurari ab æternitate simul, & vnifor-

mitter, & res corruptibiles successiuè a tempore mensurari, concedo; quantum ad hoc, quod sicut res corruptibiles mensurantur, non solum secundum suum esse, sed etiam secundum proprias & intrinsecas durationes a tempore extrinseco, ita Deus mensuretur ab æternitate secundum aliquam aliam durationem, ab æternitate virtualiter distinctam, nego.

Vel 2. Respondetur quod sacra scriptura, & SS. PP. comparant æternitatem ad Deum, eo modo, quo res corruptibiles comparantur ad tempus, quantum ad ea in quibus analogantur, & æquiparantur ad inuicem concedo, quantum ad ea in quibus nec analogantur, nec æquiparantur, nego: at non potest omnino comparari Deus eodem modo ad suam æternitatem, sicut res corruptibiles ad tempus extrinsecum primi mobilis, quia cum tempus intrinsecum, quod est intrinseca mensura rerum corruptibiliū, nō possit esse prima mensura rerum temporaliū, cùm maior vniformitas in tēpore primi mobilis reperiatur, propterea non solum secundum proprium esse, sed etiam secundum formalem & intrinsecam durationem suam a tempore primi mobilis petūt mensurari: at duratio Dei, non habet superiorem aliquam mensuram, a qua possit mensurari, sed inter omnes durationes suprema est, & consequenter ab alia non potest mensurari, & sic Deus non debet mensurari secundum durationem suam ab aliquo alio, ita vt duratio ipsius sit mensurata, quia supremum in aliquo genere, non potest ab alio mensurari, sed debet solum secundum suum esse, quatenus est immutabile, ab æternitate mensurari: sicut ergo quælibet res corruptibilis immediatè mensuratur a tempore suo intrinseco, & primum mobile a suo, ratione mutabilitatis intrinsecæ quam habent, non autem ratione alicuius alterius durationis intrinsecè prius mensuratæ: ita debet Deus ratione immuabilitatis omnimodæ, quæ est in suo esse, immediatè mensurari a propria, & intrinseca duratione æternitatis, non autem mediante aliqua alia duratione, ab æternitate distincta, alioqui certè, sicut colligitur quod intrinseca duratio rerum corruptibilium, quæ in tempore earum intrinseco consistit, non est prima duratio, quia mensuratur ab alia, nimirum a tempore primi mobilis: ita similiter colligeretur, quod duratio diuina, non esset prima, quia mensuraretur ab alia: imò sequeretur quod esset duplex duratio in Deo, quia sicut tempus intrinsecum rerum corruptibilium, mensuraretur a tempore primi mobilis tanquam a duratione aliqua, ita duratio diuina, deberet mensurari ab æternitate, tanquam ab altera & prima duratione.

Ex quo possumus sic in ipsum Bannesium argumentum retorquere, sicut se habent res corruptibiles ad tempus, ita Deus ad æternitatem: sed res corruptibiles, comparantur ad tempus tanquam ad durationem primam cui, subiiciuntur, & a qua mensurantur: ergo debet Deus ad æternitatem comparari, tanquam ad durationem aliquam primam, a qua in genere durationis mensuratur; & sic si detur adhuc in Deo, altera duratio, secundum quam mensuretur ab æternitate, dabitur in Deo duplex duratio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angeli mensurentur æternitate tanquam duratione propria, an alia duratione & quænam illa sit.

§. I.

Aliqua supponuntur ad intelligentiam quæstionis.

18. Notamus primo certum esse, quod Angeli mensurantur æternitate, tanquam duratione generali, & communi rerum omnium, & propterea quæstio non procedit in isto sensu, sed vtrum Angeli mensurentur æternitate tanquam propria mensura.

Notandum est secundo ex Aristotele 2. Metaph. textu 2. & sequ. & 4. Phys. cap. 14. ad rationem mensuræ quatuor requiri conditiones. Prima est, quod sit aliquo modo indiuisibilis, & propterea secundum communem vsum per ea quæ sunt simpliciora in aliquo genere, mensurantur alia eiusdem generis, per vnitatem enim numerum, & per granum hordei quantitatem continuam mensuramus. Secunda conditio est, quod sit vniformis & inuariabilis, vt per illam sine vllo erroris periculo, possimus, ferre iudicium de mensuratis, cum enim mensura sit ea per quam mensuratum cognoscimus, si aliquando mensura vno modo se haberet, aliquando altero, non posset nos certificare de mensurato, & consequenter vt possit nos in certam rerum quas mensurat cognitionem deducere, debet esse vniformis, & eiusdem semper rationis, non autem variabilis. Tertia conditio est, quod sit notior suo mensurabili, ita vt si sit mensura solum secundum vsum hominum, illud sit saltem quoad homines notius, si vero sit mensura naturalis, & fundata in natura rei, illud sit ex natura rei, & quoad se notius. Quarta tandem conditio, quæ ex aliis consequitur, & quam Arist. loco citato met. textu 4. refert, est, quod mensura sit proportionata, & eiusdem generis cum re mensurata: *Semper autem*, inquit, *cognatum est metrum (id est mensura) magnitudinum quidem, magnitudo, & secundum vnumquodque longitudinis longitudo, & latitudinis latitudo.* Ex qua conditione apparet, quantum aberrauerit Vasq. à veritate, disput. 35. c. 2. 1. p. vbi asserit cum Ochamo & Gabr. quod tempus est mensura Angelorum, quæ certè sententia euidenter contrariatur vltimæ huic conditioni, ab Arist. & D. Thom. multis in locis requisitæ, vt 1. p. q. 10. ar. 5. in 1. d. 19. q. 2. ar. 1. & d. 8. 4. 2. a. 2. in corp. q. 3. de. pot. ar. 14. ad 17. in 2. d. 2. q. 1. art. 1. & alibi sæpius, si placet hanc sententiam videre ad longum refutatam, lege Nauarretam 1. p. contro. 30. per totam, nos breuitati consulentes, paucis sic illam impugnamus.

19. Impossibile est quod res quę est omnino secundum suum esse inuariabilis, possit tempore mensurari: ergo cum Angelus sit secundum esse inuariabilis, supposito influxu diuino, quem connaturaliter postulat, impossibile est quod tempore mensuretur. Consequentia patet. Probatur antecedens quia mensura ex Arist. 10. met. c. 2. debet esse ratio cognoscendi rem quam mensurat, atqui tempus, non potest esse ratio cognoscendi illud, quod est secun-

dum suum esse inuariabile; qui enim fieri potest, quod illud, quo nihil est variabilius, sicut est tempus, possit nos ducere in cognitionem rei inuariabilis? Certè illud quod ducit in cognitionem alterius, debet vel continere illud in cuius cognitionem ducit, vel saltem aliquam cum eo habere similitudinem: ergo cum variabilitas temporis, nec inuariabilitatem essendi, nec similitudinem, sed potius dissimilitudinem, & contrarietatem cum ea habeat, non poterit esse ratio cognoscendi inuariabilitatem, quam aliqua res potest habere in essendo, nisi ad modum quo vnum oppositum est ratio cognoscendi alterum oppositum: vnde dicere quod tempus, est mensura Angelorum, est idem, ac dicere quod oppositum, est mensura sui oppositi, nigrum albi, frigidum calidi, imperfectum perfecti.

Confirmatur quia mensura, debet nos ducere positiuè, & viâ affirmationis, non autem viâ negationis, & remotionis in cognitionem sui mensurabilis: at tantum abest, quod tempus, ducat nos positiuè, & viâ affirmationis in cognitionem esse Angelorum, & modi connaturalis eorum, quin potius quidquid per tempus de Angelo cognoscimus, debet illud esse viâ negationis & remotionis, separando scilicet ad Angelo omnes conditiones & imperfectiones temporis: ergo impossibile est, quod tempus sit mensura durationis Angelicæ. Vnde aliud est (vt optime aduertit Nauarr.) quod durationem Angeli cognoscamus per coexistentiam ad tempus nostrum, aliud autem quod vtamur tempore, tanquam mensura durationis Angelicæ; alioqui certè deberet similiter asseri, quod tempore tanquam mensura durationis diuinæ vtimur, quia durationem quoque diuinam cognoscimus per coexistentiam ad tempus nostrum, sicut ergo hactenus inauditum est, quod tempus assignetur pro mensura durationis diuinæ, licet per coexistentiam ad tempus eam cognoscamus, ita non debet vllomodo dici, quod tempus sit mensura durationis Angelicæ, licet eam per coexistentiam ad tempus cognoscamus: Imo sicut viâ negationis ascendimus per tempus ad cognitionem durationis, tum diuinæ, tum Angelicæ, ita potius a tempore remouere debemus rationem mensuræ respectu vtriusque durationis, quam ei talem rationem tribuere.

Confirmatur quia mensura applicatur mensurato tribuendo ei aliquā sui participationem, atque similitudinem, propterea tanto magis mensuratum est perfectum, quanto magis ad mensuram suam accedit, eique conformatur: ergo cùm Angeli nullam prorsus habeant conformitatem in durando cum tempore, imo diuersum prorsus ab eo habeant durandi modum impossibile erit tempus habere rationem mensuræ respectu durationis Angelorum.

20. Notandum est tertio quod in Angelo diuersæ sunt operationes, aliæ immanentes, aliæ transeuntes, immanentes aliæ sunt omnino naturales, & necessariæ, quales sunt illæ quibus quilibet seipsum & Deum vt authorem naturæ cognoscit, & diligit; aliæ autem liberæ, quas quando libuerit, exercere potest, vel etiam ab eis abstinere & cessare: transeuntes autem (siue formaliter, siue virtualiter solum dicantur tales) sunt illæ, quæ aliquem effectum habent

ad extra, inter eas aliæ sunt continuæ, quibus motu continuo & successiuo, aliæ discretæ, quibus motu discreto mouetur. Rursus quælibet ex illis potest considerari vel actiuè, vt se tenet ex parte Angeli, vel passiuè, vt se tenet ex parte passi, circa quod Angelus operatur. His prænotatis pro intelligentia quæstionis, ad eius decisionem procedamus.

§. II.

In quo ostenditur quod æternitas non est mensura propria durationis Angelicæ.

Conclusio prima, æternitas non est mensura propria durationis Angelicæ. In hac conclusione omnes conueniunt, nec vllus est qui possit eius veritatem in Conrrouersiam vertere,

Probatur ratione petita ex D. Th, q. 10. 1. p. art. 3. & seq. æternitas est duratio rei omnino immutabilis, tam secundum esse, quam secundum operationem: at licet Angelus sit secundum suum esse immutabilis, quia nihil habet intrinsecum per quod possit corrumpi, tamen secundum operationes suas, mutabilis est, cùm possit aliquando circa liquod operari, aliquando vero ab operatione cessare: ergo.

21. Probatur secundo: æternitas est duratio rei omnino, & de quacumque potentia interminabilis: at Angelus non est omnino interminabilis, primo quia ab æterno non fuit, sed principium habuit, & consequenter a parte ante, non est sine termino. Secundo quia licet a parte post sit interminabilis, secundum cursum ordinarium, tamen de potentia absoluta, potest in nihilum redigi; etsi enim sit semper in suo esse perseueraturus, hoc tamen non habet ex virtute sua, & ab intrinseco, sed ab influxu diuino, quem si subtraheret Deus, statim in nihilum prorsus redigeretur: ergo Angelus non habet interminabilitatem requisitam, ad hoc vt possit eius duratio æternitate mensurari.

Obiicitur quod Angeli vocantur æterni iuxta illud Psal. 75. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, vbi per montes æternos intelliguntur Angeli, per quos Deus homines illuminat: ergo Angeli mensurantur æternitate.

Respondeo ex D. Thom. 1. p. q. 10. ar. 3. in corp. *Quod cùm æternitas, ad immutabilitatem consequatur, secundũ quod aliqua a Deo, quandam immutabilitatis percipiunt rationem, secundum hoc etiam aliquam participant æternitatis rationem, & æterna dicuntur:* Cùm ergo Angeli immutabilitatem quandã recipiant a Deo quantum ad hoc, quod nunquam esse desinant, possunt dici aliquo modo æterni, inquantum scilicet æuum quo mensurantur, est aliqualis participatio æternitatis.

Obiicitur illud quod habet totum suum esse simul, est æternum: atqui Angeli habent totum suum esse simul, cùm in Angelis, non sit successio, nec prius, aut posterius, vt ostendit D. Tho. q. cit. ar. 5. ergo Angeli sunt æterni.

Respondeo primò ex eod. D. Th. ibid. ad 2. distinguendo maiorem, si illud quod habet totum suum esse simul, non habeat adiunctam secum vllam mutationem, concedo, secus autem, nego. At Angeli habent an-

nexam cum immutabilitate secundum esse substantiale, transmutabilitatem affectionum, intelligentiarum & locorum, & consequenter æternitate non mensurantur.

Respondeo secundo distinguendo maiorem, si illud, quod gabet totum suum esse simul, sit interminabile omnino, tam a parte ante, quam à parte post, & de quacumque potentia, concedo, secus autem nego, vnde cùm Angeli non fuerint semper, sed initium sui haberint, & vlterius possint de potentia Dei absoluta deficere, non erunt consequenter æterni.

Obiicitur vbi simul sunt præsens, præteritum, & futurum, ibi est æternitas: atqui in Angelo sunt simul præsens, præteritum, & futurum, quia in eo non est successio: ergo in Angelo est æternitas.

Respondetur quod licet in Angeli duratione, non sit aliqua successio, sed illá Angelus totam simul habeat, tamen non continentur in ea actu omnes differentiæ temporis, neque enim Angelus per suam durationem actu coexistit tempori futuro, sed ad illam coexistentiam ex vi durationis suæ, negatiuè solum se habet, & propterea de potentia absoluta, potest fieri, quod de facto ei non coexistat: at æternitas, debet ita tota simul, cuilibet differentiæ temporis coexistere quantum est ex se, vt a tali coexistentia, ex parte sui, de nulla potentia possit impediri; vnde, vt optime dicunt complut. nostri disp. 21. phys. q. 2. §. 4. ad 2. & Nazar. 1. p. qu. 10. art. 5. contra 1. §. sed explicanda est paulo fusius, &c. sicut solus Deus continet in sua essentia actu, omnes aliarum rerum perfectiones, non autem Angelus, ita sola Dei duratio, continet actu omnes aliarum rerum durationes, eisque coexistit actu, non autem duratio Angeli. Videantur Complut. nostri loco citato.

§. III.

Determinatur quanam sit duratio qua Angeli mensurantur, tam secundum esse, quam secundum operationes.

22. Secunda conclusio. Actiones necessariæ & naturales Angelorum, sicut & eorum substantia, æuo mensurantur. In ista conclusione cõueniunt omnes Thomistæ 1. parte qu. 10. art. 5. & 6.

Probatur ex D. Tho. quodl. 5. art. 7. in Cor. cuius hæc sunt verba. *Sed attendendum quod substantiæ spirituales mensurantur æuo non solum quantum ad earum substantiam, sed etiam quantum ad earum propriam operationem.*

Probatur ratione desumpta ex D. Tho. art. illo 5. quæ. 10. 1. par. æuum est duratio rei, quæ licet immutabilis sit secundum suum esse, compatitur tamen secum aliquam mutabilitatem: atqui tam esse substantiale Angelorum, quam eorum operationes naturales & necessariæ, sunt omnino secundum se immutabiles, licet admittant secum aliquam mutabilitatem accidentalem ex parte subiecti, in quo sunt: ergo tam esse Angelorum substantiale, quam eorum operationes naturales & necessariæ æuo mensurantur. Maior patet, pro qua poterunt videri Thomistæ loco citato & Complutenses nostri disp. 21. Phys. quæst. 2. §. 3. Minor probatur: & primo quidem quod Angeli sint omnino secundum suum esse substantiale, & secundum suas operationes necessarias immutabiles,

hoc est certum, & in confesso apud omnes, quia Angeli nec ab esse substantiali, nec ab operationibus illis, quibus Deum vt auctorem naturæ, & seipsos cognoscunt & diligunt cessare possunt, & consequenter tam in esse, quam in illis operationibus necessariis sunt immutabiles. Quod autem secum compatiantur aliquam mutabilitatem euidens etiam est, quia Angeli mutabiles sunt, & secundum locum, & secundum diuersas affectiones, & cognitiones, quas possunt vel exercere, vel etiam non exercere, quando libuerit: ergo tam esse Angelorum quam eorum operationes admittunt secum formaliter aliquam mutationem accidentalem ex parte subiecti, in quo sunt.

23. Tertia conclusio. Actiones liberæ Angelorum immanentes mensurantur tempore discreto. Ita Thomistæ omnes cum D. Tho. loco citato: quod etiam insinuant Complut. nostri dist. 21. quæst. 6. ad vltimum.

Ad huius conclusionis intelligentiam sciendum est, quod tempus discretum constituitur ex multis instantibus sibi inuicem succedentibus & ad inuicem ordinatis, quæ ad diuersas Angeli operationes, simul incompossibiles sibi inuicem succedentes, & ad inuicem ordinatas consequuntur. Per hoc autem prædictum tempus à nostro distinguitur, quia nostrum est continuum, illud discretum: nostrum, non solis instantibus sed partibus quoque per instantia vnitis atque coniunctis constat, illud solis instantibus: nostrum non habet duo instantia sibi inuicem immediatè succedentia, bene autem istud: tandem instans nostri temporis multo tempori coexistere non potest; at instans Angelicum multis horis potest coexistere: quandiu enim Angelus in vna eademque actione perseuerat, quæ cum alia succedente compossibilitatem non habet, tandiu idem instans durat, & tale instans comparatum ad aliud, mensuratiuũ alterius actionis, incompatibilis cum ea quam mensurat, eique consequenter vel præuiæ, vel succedentis tempus discretum constituit: sicut enim vnitas ad aliam vnitatem ordinata numerum facit: ita instans Angelicum ad aliud instans ordinatum tempus discretum Angelorum facit atque componit, quo quidem dicuntur plures operationes Angelorum mensurari, sicut & quælibet quolibet ex illis instantibus.

Ex quibus sequitur quod posset (vt dicebamus) tempus illud Angelicum sic veluti definiri, quod scilicet sit numerus quidam plurium instantium Angelicorum sibi inuicem succedentium & ordinatorum, quæ consequuntur ex diuersis operationibus Angelicis, sibi inuicem succedentibus, ordinatis, & incompossibilibus. Addidi illud vltimum, quia operationes illæ, vt ex eis diuersa instantia fluere possint, debent esse tales, vt simul esse non possint: si enim simul esse possent, eodem instanti mensurari possent, & consequenter non haberent vim sufficientem ad constituendam successionem, quæ est in tempore requisita: quod autem dentur in Angelis aliquæ operationes, quæ sint simul incompossibiles, satis euidens est, quia certum est quod Angeli non possunt simul & vnico intuitu omnia intelligere, & consequenter debent aliqua obiecta post alia cognoscere, secundum quod ordo obiectorum exposcit: & ex iis sufficienter declaratur natura & defini-

tio temporis discreti: his positis probatur conclusio nostra primo ex D. Tho. 1. parte quæst. 10. art. 5. & quæ. 53. art. 3.

24. Probatur ratione. Debet assignari aliqua duratio, qua mensurentur illæ operationes Angelicæ, quæ ob incompossibilitatem, quam habent ad inuicem in eodem intellectu, simul esse non possunt, sed de necessitate sibi inuicem succedere debent: atqui non potest assignari eis aliqua alia duratio præter tempus discretum: ergo: Maior est certa, cuilibet enim rei existenti debet assignari propria aliqua duratio. Minor autem probatur, quia illæ operationes nec æuo mensurari possunt, nec tempore nostro: non æuo, quia cum æuum sit duratio rei indefectibilis secundum suum esse, & illæ operationes sint defectibiles, æuo consequenter mensurari non possunt; nec etiam tempore nostro, quia tempus nostrum continuum est, partibusque quantis compositum: ergo cum istæ operationes non sint continuæ, sed discretæ, nec partibus constent, quæ quantitatis rationem habeant, tempore nostro non poterunt mensurari.

Confirmatur, mensurabile dependet à sua mensura, eique subiicitur, tanquam rei magis regulari, magisque vniformi: nullus autem dixerit, quod Angeli qui sunt omnino expertes materiæ pendeant in suis operationibus immanentibus à tempore nostro, tam in sua regularitate, quam in vniformitate: ergo nec potest dici & asseri, quod operationes eorum tempore nostro mensurentur. aliud enim est, quod tempori nostro coexistant, aliud autem quod tempore nostro, tanquam propria duratione mensurentur. Vnde sicut inferebamus supra suppos. 2. contra Vasquezium, nullatenus inferendum esse Angelos mensurari tempore nostro secundum esse eorum, ex hoc quod tempori nostro coexistant, alias Deus etiam posset dici tempore nostro mensurari, quia tempori quoque nostro coexistit: ita ex eo quod illæ operationes tempori nostro coexistant, non licet vllo modo inferre, quod tempore nostro mensurentur: imo sicut via quadam negationis & remotionis, per tempus, ad durationem operationum illarum Angelicarum ascendimus, ita potius tempori nostro rationem mensuræ respectu earum debemus denegare quam concedere: ergo assignanda erit de necessitate alia duratio prædictis operationibus, quæ sit eis proportionata, atque conformis: cum vero tempus discretum sit omnino eis proportionatum, erit illud eis pro duratione assignandum: quod autem prædictum tempus sit eis proportionatum probatur, quia sicut quælibet ex illis operationibus non est quanta, ita quælibet ex partibus temporis discreti, cuilibet ex illis operationibus per modum mensuræ correspondens, non est quanta, cum quælibet pars temporis discreti sit instans: & sicut operationes illæ sibi inuicem ordine quodam succedunt, & vna post alteram: ita instantia, quibus tanquam partibus suis tempus discretum constat, sibi inuicem ordine quodam succedunt, & vnum post alterum: ergo inter operationes illas, tempusque discretum omnimoda interuenit conformitas, atque proportio.

Quarta conclusio; Operationes Angeli transeuntes, passiuè sumptæ, & quantum ad earum effectus tem-

pore nostro mensurantur. Si autem considerentur actiuè, & ex parte Angeli, seu vt sunt in Angelo, mensurantur tempore discreto, si sint discretæ; si verò continuæ, tempore continuo. Probatur ista conclusio: & primo quidem quoad primam eius partem, quod scilicet operationes Angelorum transeuntes passiue sumptæ tempore mensurentur, est expressa D. Thomæ sententia Opusculo 36. capite penultimo: quoad 2. eius partem est etiam eiusdem sanctissimi præceptoris 1. parte quæst. 53. art. 3. Sed probatur conclusio ratione quoad omnes eius partes, quia cuilibet rei debet assignari mensura proportionata: ergo actionibus transeuntibus Angelorum passiuè sumptis, tempus nostrum; actiuè autem sumptis, si discretæ sint, tempus Angelicum discretum; continuis verò, continuum est assignandum. Antec. patet: conseq. autem probatur, & primo quidem quoad priorem eius partem probatur sic, quia actiones illæ passiuè sumptæ seu secundum suos effectus consideratæ, subduntur tempori nostro & ab eo dependent, & consequenter ab eo possunt mensurari. Quoad secundam autem eius partem probatur adhuc, quia cum actiones illæ actiuè consideratæ remaneant formaliter in Angelo (sunt enim solum virtualiter, & ratione effectus, non autem formaliter transeuntes, secundum probabiliorem Thomistarum sententiam, quam sæpius insinuant Salmanticenses nostri in tractatu de Angelis disput. 3. per totam, & maximè dub. 6.) oportet quod formaliter & in seipsis consideratæ sint purè spiritales, & consequenter tempore nostro non mensurabiles; vtpote quæ superioris ordinis sunt, & ab eo omnino independentes: ergo si tempore nostro mensurari nequeunt, erit eis aliud tempus pro duratione assignandum, quod sit naturis earum proportionatum atque conforme: ergo discretis discretum, continuis vero continuum est assignandum.

Quod si dicas actiones intellectus nostri mensurari tempore primi mobilis, licet sint spiritales, & consequenter posse actiones Angelorum eodem tempore mensurari. Respondetur negando consequentiā quia anima existens in corpore pendet ab eo tam in modo essendi, quam in modo suo operandi, & sic non mirum quod quamdiu est in corpore, quod amissibiliter informat, tempore illo mensuretur: at Angelus est omnino à rebus corporeis independens, & consequenter tempore nostro mensurari non potest, sed aliud necessario exigit superioris omnino rationis: & sic secundum continuas, tempus continuum spiritale; secundum discretas, discretum spiritale exiget.

Quod autem in Angelis dentur huiusmodi actiones virtualiter transeuntes, quorum aliæ sint discretæ aliæ continuæ, patet ex motu Angelorum, qui vel discreto, vel continuo motu secundum quod libuerit moueri possunt. Cum enim Angeli non moueantur motu locali, nisi ex vi actionum suarum, per quas diuersis contactibus virtualibus, vel discretis vel continuis, diuersorum locorum, quos antea non occupabant, partes contingunt, hinc fit, quod sicut possunt, prout placuerit, vel motu discreto, vel continuo moueri; ita vel discretas, vel continuas actiones elicere possint, quibus vel discretè, vel continuè diuersis locorum partibus se applicant.

26. Vltima conclusio. omnes durationes prædictæ secundum quod habent rationem mensuræ reperiuntur in Angelo supremo, dixi secundum quod habent rationem mensuræ, quia sicut PP. nostri Complutenses in Phys. disput. 21. quæst. 6. ita tribuunt cuilibet rei corruptibili suum tempus intrinsecum, per quod intrinsecè durat, vt tamen illud rationem mensuræ non habeat, sed in tempus primi mobilis, tanquam in primam illius generis mensuram reducatur: sic cuilibet Angelo proprię durationes intrinsecæ, tum esse, tum operationibus ipsius conuenientes & proportionatæ ita sunt adscribendæ, vt tamen illæ rationem mensuræ non habeant, sed tam illæ quam Angeli quorum sunt durationes, in durationes homogeneas Angeli supremi, tanquam in mensuram propriam reducantur: & sic æuum Angeli supremi mensurabit tum esse, tum æuum inferiorum Angelorum, tempus discretum actionum ipsius, tempus discretum & actiones cæterorum Angelorum; & tandem tempus eius continuum, tempus continuum aliorum, actionesque eorum prædicto tempore mensuratas. hoc posito nostra conclusio est D. Tho. loco sæpius citato 1. parte & omnium Thomistarum ibidem.

Probatur ratione: ille à quo omnes Angeli quoad durationem sui esse suarumque operationum mensurantur atque regulantur, debet esse is, in quo reperiuntur prædictæ durationes per modum mensuræ: atqui supremus Angelus est ille, à quo omnes alij Angeli inferiores, quoad durationem sui esse, suarumque operationum mensurantur, atque regulantur: ergo debet esse ille, in quo prædictæ durationes per modum mensuræ reperiuntur. Maior patet ex terminis. Minor probatur: quia illius est mensurare & regulare Angelos quoad omnes eorum durationes, cuius est habere magis perfectè, magisque regulariter, & vniformiter omnes illas durationes: atqui hoc ad Angelum supremum pertinet: quia sicut & perfectius esse & perfectiores operationes habet, quam habeāt cæteri Angeli, ita & perfectiores debet habere durationes, effectus enim perfectior ex causa perfectiori consequitur, & maximè si sit causa naturalis, & cætera sint paria: ergo cum durationes sint effectus dimanatiuè profluentes ab illa re cuius sunt durationes, ex perfectiori esse, perfectioribusq; operationibus, perfectiores durationes, tum esse tum operationum emergent, & consequenter Angeli supremi durationes, cæteris in perfectione præstabunt, & ad eas tamquam ad mensuras proprias & homogeneas, cæterorum Angelorum durationes reducentur.

Et si dicas operationes liberas defectibiles esse, & consequenter accidere posse, quod Angeli superioris actiones non erunt ita perfectæ, sicut Angeli inferioris.

27. Respondeo, quod operationes Angelorum propter integritatem naturæ eorum, non sunt defectibiles, secundum quod ordinantur in finem naturalem: & ratio est, quia ex D. Thoma 1. parte quæst. 62. artic. 4. ad 4. Angeli nullam habent difficultatem aut impedimentum in agendo circa finem naturalem, sed tota difficultas bene operandi, quæ est in Angelis, prouenit eis ex hoc, quod aliquod bonum opus est supra virtutem naturæ eorum: cum ergo iam

iam Angeli sint in statu beatitudinis, per quem remouentur ab eis omnia impedimenta, quæ possent impedire perfectum modum operandi eorum in ordine supernaturali, redduntur consequenter & in ordine ad finem naturalem, & in ordine ad finem supernaturalem indefectibiles omnino eorum operationes. Imò cum rectus ordo postulet, quando nullum est impedimentum retardans, quod agens, etiam liberum agat secundum totam virtutis suæ perfectionem, posito quod Angeli nulla habeant impedimenta, quæ eos retardent ab agendo secundum totam perfectionem libertatis suæ, nec in ordine naturali, nec in ordine supernaturali, rectus beatitudinis, in qua sunt, ordo postulabit, vt secundum vniuersam virtutem libertatis suæ agant, & consequenter quod Angelus supremus, qui sicut in natura, ita & in libertate, & in gratia cæteris præstat, præstantiores & eminentiores operationes, tum in ordine naturali, tum in ordine supernaturali producat.

2°. Probatur secundo nostra conclusio. quia illa quæ sunt multiplicata & dispersa, debent mensurari & regulari per illud, in quo sunt magis vnita, (& propterea vt aduertimus ex Aristotele §. 1. huius quæstionis per ea quæ ad maiorem vnitatem accedunt, cætera mensuramus & regulamus :) atqui multæ operationes Angelorum inferiorum reperiuntur in vnica supremi Angeli operatione vnitæ, cum intelligat per species vniuersaliores, pluraque obiecta repræsentantes, quam Angelus inferior, & propterea si quatuor aut quinque operationes requiruntur in Angelo inferiori vt possit aliqua obiecta cognoscere, aliquando duæ vel etiam vna in Angelo superiori ad ea omnia cognoscenda sufficient, quia aliquando vnica species repræsentat intellectui Angeli superioris illa omnia, quæ per quatuor vel quinque species intellectui Angeli inferioris repræsentantur: ergo Angelus supremus erit in operando mensura & regula inferiorum, & per consequens etiam duratio ipsius mensura & regula durationis aliorum : quia sicut per vnicam speciem, vnicamque intellectionem Angelus superior cognoscit ea, quæ per plures species intellectionesque ab inferiori cognoscuntur : ita vnico instanti perlustrat intellectione sua illa, in quorum cognitione plura instantia Angelus inferior consumit : ergo sicut operationes Angeli superioris sunt mensura, & regula operationum Angeli inferioris, quia sunt longè magis vnitæ, quam inferioris : ita duratio, qua durant operationes Angeli superioris, debet esse regula & mensura durationum, quibus durant inferiorum Angelorum operationes, quandoquidem duratio operationum Angeli supremi vnitatem longè maiorem habet, quam duratio intrinseca correspondens actionibus inferiorum Angelorum.

---

§. VLTIMVS.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBiicies. Ad hoc vt aliqua duratio possit dici mensura respectu aliarum, oportet quod illa sit notior eis : atqui nec æuum Angeli supremi, nec cæteræ durationes, quibus eius operationes durant, sunt

Fff

quid notius, quam sint durationes cæterorum Angelorum: ergo. Maior est certa, etenim vna ex conditionibus requisitis ad rationem mensuræ est, quod illa sit notior mensurabili. Minor autem probatur, quia quilibet Angelus inferior longè euidentius & clarius cognoscit propriam, & intrinsecam durationem, & ea omnia, quæ sunt intra se, quam ea, quæ sunt in Angelo superiori: ergo.

Respondeo, quod argumentum solum probat durationes Angeli supremi esse minus notas Angelis inferioribus, quam proprias, non autem secundum se, & in comparatione ad Angelum supremum: at vt illæ habeant absolute rationem mensuræ, sufficit, quod sint secundum se magis notæ, hoc enim per accidens est, ex defectu intellectus, si non sint æquè ei notæ, ac inferiores.

Sed quia potest hæc solutio (quæ tamen communis est) pati aliquam calumniam, & contra eam obiici, quod ex ea, solum sequitur durationes illas Angeli supremi esse secundum se mensuras respectu cæterarum durationum Angelicarum, non tamen exercere rationem mensuræ respectu earum, saltem in comparatione ad Angelos inferiores, quibus illæ durationes sunt minus notæ, ideo.

29. Respondetur secundo quod licet via originis, & imperfectionis, magis & prius sint notæ Angelis inferioribus durationes intrinsecæ, quam durationes, quæ sunt in Angelo supremo, tamen hæ via perfectionis & resolutionis sunt illis notiores: sicut enim quamuis prius & magis nobis sint noti effectus, quam causæ eorum via originis, & imperfectionis, tamen causæ sunt magis notæ via perfectionis & resolutionis, & propterea vt perfectè & scientificè effectus cognoscamus, reducimus eos in principia & causas eorum: ita similiter, quamuis Angelus inferior connaturalius veluti, & cognitione magis proportionata, magisque adæquante modum cognoscibilitatis obiecti, ea quæ sunt in seipso, (cognoscat, etenim modus cognoscibilitatis passiuæ, quæ est in Angelo superiori, & in iis, quæ sunt in ipso, cognoscibilitatis actiuæ modum, qui est in Angelo inferiori longè excedit, cum substantia Angeli superioris, & ea quæ sunt in ipso, præmineant tam substantiæ Angeli inferioris quam iis, quæ reperiantur in ipso) tamen durationem sui esse, suarumque operationum perfectè non cognoscit, donec eam in durationem Angeli supremi operationumque eius reduxerit: quamquidem probè nouit duratione sua propria longè esse, & perfectiorem, & vniformiorem magisque regulatam: cum enim Angelus inferior supremum comprehensiuè cognoscat, vt Salmanticenses nostri ex professo probant in tractatu nuper edito de Angelis dispu. 6. dub. 3. §. secundo certè non possunt non nosse durationem Angelo supremo eiusque operationibus conuenientem longè perfectiorem & regulatiorem esse ea, quæ sibi suisque operationibus intrinsecè conuenit. Vnde quando Thomistæ in prima solutione concedunt, quod duratio propria cuilibet Angelo magis est nota, quam duratio Angeli superioris, volunt solum per hoc concedere, quod modus, quo Angelus inferior suam durationem cognoscit, est magis coaptatus, magis proportionatus, magisque

adæquatus modo cognoscibilitatis passiuæ, qui est in propria duratione, quam modo cognoscibilitatis passiuæ, qui est in duratione Angeli superioris, (propter excessum scilicet, quem habent ea omnia, quæ sunt in Angelo superiori, supra modum cognoscibilitatis actiuæ, quæ est in Angelo inferiori) licet apud eos sit indubitatum omnino quod Angelus inferior cognoscit euidenter & certo, magis esse certitudinis & euidentiæ in duratione Angeli superioris, quam in propria; & illud est quod intendunt dicere, quando dicunt, quod mensura debet esse notior secundum se; volunt enim solum per hoc, quod intellectus, qui aliqua re vtitur tanquam mensura in ordine ad aliquid cognoscendum, debet videre & cognoscere maiorem esse in mensura cognoscibilitatem & euidentiam, quam sit in mensurabili, licet possit fieri propter excessum cognoscibilitatis passiuæ, quæ est in tali mensura; quod modus cognoscitiuæ virtutis, non sit omnino ei adæquatus & proportionatus, sicut accidit, vt iam diximus, in cognoscibilitate eorum, quæ sunt in Angelo superiori, si comparentur ad modum cognoscitiuæ virtutis, quæ est in Angelo inferiori.

Sed obiicies & instabis licet ea quæ sunt necessaria in Angelo superiori, sint inferiori nota, non tamen quæ libera sunt: ergo licet daretur, quod Angelus inferior nosset durationem Angeli superioris, secundum quod talis duratio mensurat necessaria ipsius, tamen concedendum non esset ipsum nosse durationem actuum eius liberorum, & consequenter duratio illa non erit mensura actuum liberorum inferioris Angeli.

30. Respondeo quod licet Angelus inferior omnes Angeli supremi cogitationes liberas non norit, tamen indubitatum est quod aliquas saltem ex reuelatione eius cognoscit, ex quibus potest cognoscere regularitatem & vniformitatem, quam supremus Angelus tenet in suis actionibus, & per eam cognoscere, quanta sit regularitas durationis suarum.

Secundo respondeo, quod licet liberæ Angeli supremi operationes non essent inferiori notæ, non desineret tamen propterea duratio illarum mensurare & regulare operationes liberas cæterorum, quia sufficit ad hoc, quod operationes liberæ Angeli supremi sint secundum se magis regulatæ & vniformes, quam aliorum operationes, & quod illa maior regularitas & vniformitas, vel innotescat in actu exercito ex reuelatione Angeli supremi, aliquas ex suis operationibus reuelantis; vel saltem in actu signato, ex hoc, quod Angelus inferior cognoscendo naturam Angeli supremi, & perfectionem libertatis eius cognoscit etiam, quam regularitatem & vniformitatem Angelus supremus debeat habere in suis operationibus: cum enim, vt diximus antea num. 27. Angeli beati non sint defectibiles in operando, potest facilè Angelus inferior (supposita cognitione quam habet perfectionis, quæ est in libertate Angeli supremi) inferre, qualis sit vniformitas, regularitas, & perfectio operationum eius. Vnde sicut ad hoc vt tempus sit respectu nostri, mensura durationis nostrarum actionum, horumque inferiorum, non est necesse, quod cognoscamus tempus in seipso, sed sufficit quod illud in effectu semper vniformi, & regulatissimo cognoscamus: ita, vt duratio actionum libe

rarum Angeli supremi sit mensura actionum liberarum Angeli inferioris, non est necesse, quod Angelus inferior videat omnes actiones liberas Angeli supremi in seipsis, sed sufficit quod aliquas hoc modo cognoscat & cæteras in earum principio quod scit in sua vniformitate & regularitate esse secundum cursum ordinarium inuariabile & indefectibile.

Obiicies. quando inferior Angelus plures habet operationes, potest fieri quod Angelus superior vnicam solum habeat: ergo saltem pro tunc, operationes Angeli inferioris non mensurabuntur duratione illa, quæ est in Angelo superiori, quia in illa suppositione, sicut est tantum vna operatio in Angelo superiori, ita potest tantum illa operatio, vnius instantis durationem habere: ergo cum in Angelo inferiori plures sint operationes successiuæ, quæ diuersis instantibus, & consequenter tempore discreto perficiuntur, non poterunt ab illo vnico instanti, quod est tunc in Angelo superiori mensurari, quia tempus ab instanti non mensuratur.

31. Respondeo primo cum Nauarreta controu. 21. ad 1. quod sicut motus discretus Angeli dicitur esse, quando est vna pars eius, quatenus talis pars habitudinem dicit ad partem antecedentem & subsequentem; & similiter oratio (quæ est quantitas successiua discreta dicitur esse, quando est vna syllaba dicens ordinem prioritatis vel posterioritatis successiuæ ad sequentem vel antecedêtem: ita similiter potest esse tempus discretum, & secundum rationem temporis discreti aliqua mensurare, licet sit vnicum instans, quia quatenus illud instans dicit ordinem successionis ad alia præcedentia, & ad subsequentia, tempus discretum constituit, sicut syllaba orationem, quatenus dicit ordinem successionis ad antecedentem & subsequentem.

Secundo respondeo quod licet tempus nostrum intrinsecum aliquo instanti temporis primi mobilis adæquatè mensurari non possit, quia instans primi mobilis coexistere & correspondere adæquate non potest tempori, tamen quia vnum instans Angelicum potest coexistere multo tempori (vt supra notauimus in præs. disput. num. 23.) Ideo potest tempus Angeli inferioris mensurari instanti Angeli supremi, quod in sua vnitate, & simplicitate æquiualet diuisibilitati temporis illius Angeli inferioris, imò (sicut Aristoteles dicit 10. Metaph. cap. 2. lect. 2. apud D. Thomam) per vnitatem numerum mensurari, quia nihil est aliud numerus, quam plures vnitates ordinatæ ad inuicem, & propterea (vt annotat ibidem D. Thomas) quando numerus mensuratur per vnitatem, non mensuratur per aliquid diuersi generis: ita quia tempus discretum nihil est aliud, quam numerus quidam plurium instantium sibi inuicem ordine quodam succedentium, ideo videtur omnino dicendum, quod tempus discretum per instans mensuratur, tanquam per simplicissimum sui generis.

32. Quod si obiicias posse fieri quod Angelus supremus plures actiones discretas, & sibi inuicem succedentes habeat, & consequenter plura instantia, quamdiu tamen Angelus inferior perseuerat in vnica actione, & consequenter in vnico instanti, & sic non posse in illo casu actionem Angeli inferioris mensurari per duratio-

nem Angeli supremi, cum mensura debeat esse simplicior mensurabili: imo ex hoc videtur potius sequi (si semel verum est quod actio vnius Angeli possit per aliam mensurari) quod actio supremi Angeli mensuraretur in illo casu per actionem inferioris quàm è conuerso.

Respondeo quod cæteris paribus, & per comparationem ad eadem obiecta semper debet Angelus supremus (loquendo secundum cursum ordinarium seu connaturalem & quantum est ex se) minus insumere temporis, seu durationis in suis operationibus, quam Angelus inferior, quia vt diximus in vltima probatione conclusionis vltimæ, Angelus supremus per species longè vniuersaliores cognoscit, quam inferior, & consequenter vbi Angelo superiori sufficit vnum instans, & vna actio: ibi plures actiones pluraque instantia sunt inferiori necessaria: quod si Angelus inferior liberè perseuerare voluerit in vna eademque actione, quando supremus plures exercebit, hoc erit merè per accidens, nec desinet mensurari propterea à duratione Angeli superioris, tamquam à mensura secundum se vniformiori & simpliciori, neque enim vniformitas aut simplicitas durationis debet peti ex iis, quæ sunt per accidens, sed ex iis quæ ei per se, & ex principiis per se in vniformitatem, & simplicitatem eius influentibus conueniunt: vnde cum principia quæ per se influunt in vniformitatem & simplicitatem durationis & actionis Angelicæ (vt sunt species Angelicæ ex parte intellectus, libertas perfectior, ex parte voluntatis) sint vniformiora, simpliciora, & perfectiora in Angelo supremo, quam in inferiori, debent consequenter actiones Angeli supremi, eiusque duratio, excedere per se, & simpliciter in vniformitate, regularitate, & simplicitate actiones Angeli inferioris, & earum durationem: & consequenter licet Angelus inferior maneat, & perseueret in simplicitate vnius actionis, quando supremus plures exercet, tamen quia illa vnitas, & simplicitas, quæ est in actione Angeli inferioris est omnino accidentaria, ideo debet semper supremus esse inferioris mensura non autem è conuerso.

33. Obiicies. Mensura debet in mensurabilia influere: ergo cùm duratio Angeli supremi nihil influat in Angelos inferiores, non poterit habere rationem mensuræ respectu durationis eorum.

Respondeo, de ratione mensuræ præcisè vt sic esse solum, quod habeat rationem causæ exemplaris respectu mensurabilium, quod si aliqua mensura influat aliquid in mensurabilia, per modum causæ efficientis, hoc est solum per accidens & non per se ad rationem mensuræ.

Obiicies. si duratio Angeli supremi esset mensura durationis cæterorum Angelorum, sequeretur quod Lucifer esset iam secundum suam durationem mensura Angelorum omnium, etiam beatorum: at hoc videtur absurdum: ergo minor videtur certa: Maior probatur, quia secundum probabiliorem opinionem Lucifer fuit supremus omnium Angelorum: ergo cum in suis naturalibus remanserit post peccatum, remansit etiam consequenter post illud secundum suam durationem, mensura durationis Angelorum, quia ex suppositione quod talis ratio mensuræ conuenisset ei, non potuisset ali-

ter conuenire quam secundum eius naturalia.

Respondet ad hoc argumentum Bannez 1. parte quæst. 10. art. 6. ad 2. æuum remanere adhuc in Lucifero, secundum quod habet rationem mensuræ, ex suppositione quod antequam peccauerit fuerit in eo secundum istam rationem: sed ista solutio est contra D. Thomam quodl. 5. artic. 7. vbi expressis terminis asserit contrarium, sicut & opusculo 36. ca. 5. Vnde respondeo secundo cum D. Thoma locis citatis, nec æuum, nec quamuis aliam durationem remansisse secundum rationem mensuræ in Lucifero. Sed eo peccante durationem Angeli supremi, qui remansit in gratia, rationem mensuræ accepisse respectu durationum aliorum Angelorum.

34. Accipe verba D. Thomæ opusculo citato. *Quia verò in rebus ordinatis inter se, supremum infimi attingit infimum supremi, ideo tempus in supremo sui, vbi est sicut in subiecto, coniungitur æuo, quasi infimo sui, quia æuum non pertinet, ad cœlum nisi sicut mensura tantum. Oportet ergo æuum esse vt in subiecto in re tali, cui coniungitur æternitas in ratione mensuræ: nulla autem creatura secundum esse suum est æterna, potest tamen secundum actionem suam participare æternitatem, sicut Angelus, qui intuetur res in speculo æternitatis: hæc est enim perfectio essentiæ Angelicæ, scilicet visio gloriæ: æuum ergo erit vt in subiecto in illo, qui magis participat de tali visione: illius enim essentia est magis perfecta, & natura sublimata: & ideo supposito quod Lucifer fuisset supremus Angelorum, si stetisset, in eo foret æuum, vt in subiecto: sed quia eius natura non est perfecta perfectione gloriæ æternæ, non est in eo aliquid quod sit aliis mensura, sed in eo qui magis inter omnes est gloriæ particeps: manifestum est enim, quod in corpore perfectissimo, quod est maximè à corruptione remotum, vt puta cœlesti, est vnde alia mensurentur, eius autem perfectio sequitur naturam suam, quia non est aliquis nisus ad oppositum suæ perfectionis in eo. In Angelis autem non est tota perfectio à natura, quia potest in eis esse motus ad oppositum, sicut patet de illis qui peccauerunt, in quibus aliqui perfectiorem naturam habebant multis qui steterant, quorum natura perfecta est per gloriam: & ille qui perfectiorem naturam habet in gloria, habet in se, vnde alij mensurentur:* hæc D. Thomas. Ex quibus colligo quod vt aliquis Angelus sit subiectum æui, non solum requiritur quod perfectiorem habeat naturam & essentiam, sed etiam quod magis vniformiter Deo subiiciatur secundum potentiam obedientialem in ordine ad supernaturalia. Deinde quodl. 5. citato art. 7. *Attendendum*, inquit, *quod substantiæ spiritales mensurantur æuo, non solum quantum ad earum substantiam, sed etiam quantum ad earum propriam operationem: & sic oportet quod ille Angelus, qui est subiectum æui, sit simplicissimus, non solum quantum ad essentiam sed etiam quantum ad operationem: talis autem est supremus Angelus, cuius operatio maximè est in vno, quod est Deus, vnita. Vnde supremus omnium Angelorum est subiectum æui non Lucifer*: & ad 1. *Operatio Luciferi auersa est ab vno primo, & conuersa ad multitudinem rerum inferiorum, quarum primatum appetiit, & secundum hoc dæmones deciderunt à summa simplicitate æui*. Hæc Angelicus Doctor.

35. Vnde ad illud quod dicitur, quod

naturalia omnia remanserunt in Lucifero: respondeo, quod remanserunt quidem secundum entitatem suam, sed cum admixtione maioris mutabilitatis, quam haberent antea, & consequenter licet idem æuum entitatiuè consideratum in eo remanserit, non tamen remansit cum eadem perfectione in ratione durationis seu mensuræ, quia non est amplius mensura seu duratio rei ita immutabilis, sicut erat antea, ante peccatum. Quod vt intelligas oportet scire, quod æuum est duratio rei immutabilis secundum esse, & mutabilis secundum accidentia, seu secundum operationes, taliter tamen, quod quanto res quam mensurat æuum minus habet mutabilitatis secundum accidentia, tanto æuum est perfectius in ratione durationis, quia cum æuum sit quædam participatio æternitatis diuinæ, inquit Diuus Thomas 1. parte quæst. 10. art. 3. & 4. quanto magis res, cuius est duratio participabit de immutabilitate, tanto magis ad similitudinem & participationem æternitatis accedit: at quando Lucifer per peccatum recessit à Deo, multis mutabilitatibus, & valde difformibus se suaque naturalia subiecit, quibus non erat antea subiectus, nam post peccatum non vtitur amplius omnibus naturalibus suis propter illum finem ad quem à Deo ordinata sunt, sed potius per peruersitatem suæ voluntatis in malo obstinatæ ea ab illa vniformitate ordinatione & regularitate, quam habebant à Deo, auertit & in peruersos omnino fines detorquet, & inflectit: & sic valde credibile est, quod aduertens se ex inclinatione & ordinatione Dei naturali inclinari ad intelligendum sine diuisione specierum suarum, diuidit illas ex odio in Deum, & sæpe sæpius cum illa diuisione cognoscit, quam secundum modum connaturalem & proportionatum naturæ suæ, vt ita verificetur de eo quod nullus ordo, sed potius horror in eo sempiternus inhabitet.

Cum ergo Lucifer quamuis in suis naturalibus in esse entitatiuo consideratis remanserit, tamen per peccatum ita deprauatus fuerit & immutatus in esse principij & in operando, potuit consequenter æuum ipsius in esse entis solum, non autem in esse mensuræ in eo remanere, sed eo cadente, æuum supremi illorum Angelorum qui remanserunt in gratia rationem mensuræ acquisiuit. Sicut enim si daretur, quod iam motus primi mobilis ab illa vniformitate & regularitate, quam habet decideret, statim duratio eius rationem mensuræ respectu horum inferiorum amitteret, & illa ratio mensuræ remaneret in corpore cœlesti, quod magis vniformiter & regulariter moueretur: ita statim atque Lucifer decidit à regularitate & vniformitate quam habebat in operando, statim amisit rationem mensuræ respectu aliorum Angelorum, & supremus inter bonos Angelos, qui immobilis permansit in regularitate & vniformitate quam habebat in operãdo, rationem illam mensuræ acquisiuit.

Ex iis satisfit obiectioni quam facit Bannesius contra hanc solutionem: quando enim dicit, quod Lucifer ita remansit vniformis in suo esse sicut ante peccatum, & consequenter quod eius æuum semper remansit in ratione mensuræ respectu durationis aliorum Angelorum. Respondetur quod æuum consideratum, quatenus habet rationem mensuræ

non respicit esse simpliciter & absolutè, sed esse secundum quod habet minus de mutabilitate accidentali adiunctum. Vnde cum ex hoc quod Lucifer ab vno summo, quod est Deus, recedens, variis sese implicuerit rerum, quarum primatum appetiit, affectionibus, & aliis plerisque inordinatis prorsus atque deprauatis mutationibus, quæ ex prauitate affectionum eius consequuntur, à quibus omnes Angeli, qui Deo semper adhæserunt, liberi sunt; propterea duratio eius amisit rationem mensuræ respectu durationis aliorū Angelorum; itavt nullus ex eis habeat iam rationem mensurabilis in sua duratione respectu ipsius, licet negari non possit, quin ipse secundum esse specificum remanserit eis simpliciter perfectior, cum per peccatum naturam suam non amiserit.

QVÆSTIO V.

Vtrum visio beatifica mensuretur æternitate participata.

§. I.

Resolutio quæstionis.

Licet ista quæstio Theologica omnino sit, tamen vt ex omni parte satisfaciamus ijs quæ solent inquiri de æternitate, propterea videtur aliquid esse de ea tangendum: Scotus in 2. dist. 2. quæst. 4. existimat visionem beatam æuo mensurari, Vasquez vero disp. 36. cap. 2. sub finem dicit, si sermo sit de mensura beatitudinis, prout mensura definitur ab Aristotele 10. Metaph. cap. 2. eodem modo loquendum esse de ea, sicut antea locutus fuerat de operationibus Angelicis, videlicet earum mensuram non esse durationem aliquam intrinsecam, nec vllam aliam, præter nostrum tempus.

34. Conclusio tamen nostra sit. Visio beata non mensuratur æuo, nec tempore nostro, sed æternitate participata. in hac conclusione conueniunt omnes Thomistæ cum D. Thoma 1. parte quæst. 10. art. 3. & 5. ad 1. vbi expresè distinguit æuum ab æternitate participata visionem beatificam mensurante: poterit etiam videri in 4. dist. 49. quæst. 1. articulo 2. quæstiuncula 3. vbi adhuc duas illas durationes contradistinguit tanquam duas species durationis.

Probatur ratione. Tempus est mensura rei variabilis, tam secundum esse, quam secundum accidentia, æuum, mensura rei variabilis non secundum esse, sed secundum accidentia: ergo cum visio beatifica nec secundum suum esse, nec secundum accidentia sit variabilis non mensurabitur æuo aut tempore, sed aliqua alia mensura: ergo æternitate participata: consequentia subsumpta est euidens, quia non potest assignari altera mensura per quam mensuretur præter aliquam ex prædictis.

Quod si dicas posse recurri ad aliquam aliam mensuram, nimirum ad aliquod tempus discretum vel continuum, simile illi, quo diximus mensurari actiones liberas Angelorum.

Contra: quia quæcunque tempore mensurantur, defectibilia sunt, & finem aliquando accipiunt: ergo cum visio beatifica nullum finem sit habitura, sed sit in æternum permansura, non potest aliquo ex prædictis

dictis

dictis temporibus mensurari.

Deinde vnica actio non facit tempus discretum, sed numerus plurium actionum eiusdem rationis sibi inuicem in eodem subiecto succedentium: at non potest assignari aliqua actio, quæ sit eiusdem rationis in beato cum visione beatifica, quæ ipsam vel præcedat, vel sequatur: ergo non potest visio beatifica habere pro sua propria duratione, tempus aliquod discretum: ergo cum etiam cõtinuũ conuenire ei non possit (quia visio beatifica est tota simul nullisque partibus constans) nullo modo poterit tempore mensurari.

Confirmatur rursus, & maximè tempore continuo mensurari non posse, quia tempus non dicitur continuum in Angelis, nisi quia actio Angelica connotat formaliter effectum continuum quem producit: (quænam enim alia continuitas esse posset in actione Angelica, quæ secundum se totam spiritalis est:) ergo cum visio beatifica non possit connotare vllum effectum continuum, quem producat, non poterit habere pro sua duratione & mensura propria tempus aliquod continuum, & consequenter æternitate participata mensurabitur.

35. Probatur secundo ratione petita ex D. Thoma loco citato 1. parte quia illa forma quæ ex modo essendi quem habet in subiecto, participationem quandam formalem dicit immutabilitatis diuinæ secundum quod est in se, debet mensurari æternitate participata & non æuo vel tempore: sed visio beatifica ex modo essendi quem habet in subiecto, cui communicatur; dicit participationem formalem immutabilitatis diuinæ secundum quod est in se; ergo, maior est certa, quia res exigunt diuersas durationis mensuras secundum diuersam rationem mutabilitatis, vel immutabilitatis, vt optimè ostendit D. Thomas 1. parte quæst. 10. art. 5. Nazarius ibidem controuersia 2. §. 2. conditio: Complutenses nostri disput. 21. Physic. quæst. 2. §. 3. & communiter Thomistæ loco citato 1. parte, sed illa forma quæ ex modo essendi, quo subiecto formaliter communicatur, dicit participationem formalem immutabilitatis diuinæ vt est in se, diuersam habet rationem immutabilitatis ab iis, quæ æuo & tempore mensurantur: & primo quidem quod habeat diuersum modum immutabilitatis ab iis, quæ mensurantur tempore, hoc est euidens, quia certum est, quod illa quæ tempore mensurantur, variabilia sunt, & secundum esse, & secundum accidentia, & quod finem terminumque aliquando sunt habitura: ergo cum immutabilitas Dei nec patiatur variationem secundum esse, nec secundum accidentia, & nullum vnquam finem sit acquisitura, non potest vllo modo dici, quod illa quæ tempore mensurantur, habeant ex modo essendi, quem formaliter dicunt, aliquam participationem formalem immutabilitatis diuinæ, secundum quod est in se: Quod etiam illa, quæ æuo mensurantur, non habeant ex modo essendi, quem dicunt formaliter, participationem formalem immutabilitatis diuinæ, vt est in se, hoc etiam est certum: quia illa quæ sic mensurantur, licet sint secundum esse immutabilia, & secundum hoc aliquid de diuina immutabilitate participent, vt refert Diuus Thomas loco citato 1. parte mutationem tamen recipiunt à suis acciden-

tibus, & consequenter, cum Deus sit omnino immutabilis, etiam secundum accidentia, illa quæ æuo mensurantur, participationem formalem immutabilitatis diuinæ, vt est in se, non dicent.

Quod autem visio beatifica ex modo essendi, quo intellectui beato communicatur, dicat participationem formalem immutabilitatis diuinæ vt est in se, (quæ est minor primi argumenti) probatur; quia visio beatifica communicatur intellectui beato, vt quid omnino inuariabile, & secundum esse, & secundum accidentia: ergo ex modo quo communicatur, communicatur per modum formæ dicentis participationem formalem immutabilitatis diuinæ, vt est in se, consequentia: est euidens ex dictis. Antecedens autem, quoad primam partem patet, quia certum est, quod visio beatifica nunquam est finem habitura, & propterea in scripturis vocatur vita æterna: ergo non est secundum suum esse variabilis, quod etiam non sit variabilis secundum accidentia, probatur quia nec in se, nec in lumine gloriæ, quod est immediatum eius, & principium, & subiectum, quicquam accidentale recipere potest, ratione cuius accidentaliter variari possit: lumen enim gloriæ ad solam visionem beatificam, tum eliciendam, tum recipiendam, ordinatur, & non ad aliquid aliud creatum: ergo visio beatifica est omnino inuariabilis, & secundum esse, & secundum accidentia, & per consequens participationem quandam dicet immutabilitatis diuinæ, vt est in se: ergo cum ex immutabilitate Dei, sequatur eius æternitas, ex forma, quæ dicit participationem formalem immutabilitatis diuinæ, vt est in Deo sequetur quoque æternitas participata, per quam tamquam per propriam durationem mensurabitur.

36. Confirmatur. quia illa est differentia inter dona supernaturalia viæ, & dona patriæ, quod dona viæ dantur amissibiliter, relinquunt enim resistentiam passiuam in nobis; per quam possumus resistere eis, & libertatem ad hoc, vt post acceptationem eorum, vel possimus illis vti, vel non vti, si voluerimus, vel etiam actum aliquem peccaminosum eis contrarium elicere, per quem iam habita corrumpantur, & amittantur: at dona supernaturalia patriæ amplissimum & plenissimum habent supra voluntatem dominium, nec vllam in nobis relinquunt potentiam eis resistendi, sed totam potentiam resistitiuam superant & deuincunt necessitando penitus & ad acceptationem eorum, & ad vsum eorum, taliter quod nec in actum eis contrarium prorumpere, nec ab actu eorum proprio cessare vnquam beati valeant: quia cum dentur per modum vltimi finis, dantur consequenter per modum formæ totaliter appetitum satiantis, & nihil amplius potentis desiderare, quod sit eis contrarium, vel etiam eis perfectius; quinimo beneficio eorum dantur eminenter, quæcunque possunt desiderari, cum per ea detur possessio & fruitio summi boni, & incommutabilis: vnde sicut per illa dona bonum quod communicatur, est omnino incommutabile, & modo omnino incommutabili communicatum, quia per modum vltimi finis possessi & habiti, per ea communicatur, ita debent illa dona quandam quoque incommutabilitatis eius participationem formalem

habere, & per consequens æternitate participata, tamquam mensura propria gaudere.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBiicies. visio diuinæ essentiæ, quæ fuit communicata Diuo Paulo in via, erat eiusdem rationis cum visione beatifica beatorum: sed visio illa Diui Pauli non fuit mensurata æternitate participata, quia non semper durauit sed cessauit, & consequenter non fuit omnino immutabilis, sicut requirebatur ad hoc, vt æternitate participata potuisset mensurari: ergo nec visio beatorum æternitate participata mensurabitur.

37. Respondet Cumel loco citato 1. parte quod sicut lux solis, & lux, quæ est in aëre, sunt eiusdem rationis specificæ, & tamen lux solis in sole, æuo mensuratur, & in aëre tempore, quia lux solis in sole non est amissibilis, bene autem in aëre: ita licet visio illa beati Pauli esset eiusdem rationis specificæ cum visione beatorum, tamen quia beato Paulo communicata fuit amissibiliter & transeunter, ideo (inquit) eandem mensuram durationis non habuit, quam habet visio beatorum, quæ per modum status permanentis eis communicatur, & in esse semper stabili, & omnino inuariabili.

Sed secundo respondeo cum Nauarreta controu. 32. ad 3. (& hæc solutio videtur melior) quod sicut visio illa beati Pauli habuit solum esse per modum transeuntis, ita etiam fuit solum mensurata æternitate participata per modum transeuntis. Vnde ad illud quod obiicitur, quod res, quæ mensuratur æternitate participata debet esse inuariabilis, respondetur quod quantum est ex se & ex natura sua, debet quidem esse inuariabilis, sed per accidens & per subordinationem & subiectionem ad voluntatem diuinam potest variari, & esse suum amittere: sicut enim quælibet res creata pendet in suo esse à Dei voluntate, ita & in suo conseruari, & consequenter quando libuerit Deo subtrahere suum influxum, statim res in suum primum nihilum redibit, licet ergo visio illa beati Pauli transierit & amiserit esse, quia tamen non amisit esse ex aliquo sibi intrinseco, sed ab extrinseco, & ex mera voluntate Dei, qui se ad tempus solum, & ob finem occultum D. Paulo manifestare voluit, propterea non sequitur, quod æternitate participata non fuerit mensurata, quandiu durauit, & in esse suo permansit.

Obiicies. Omnis creatura est ab intrinseco mutabilis: ergo cum visio beatifica sit creatura, erit ab intrinseco mutabilis, & si sit omnino immutabilis, erit solum ex manutenentia Dei, & ab extrinseco consequenter, quo modo cuilibet creaturæ immutabilitas conuenire potest.

38. Respondeo primo distinguendo antecedens: omnis creatura est ab intrinseco mutabilis vel de potentia absoluta, vel secundum cursum Dei ordinarium, concedo: de potentia absoluta, concedo: secundum cursum ordinarium, nego: at licet visio beatifica sit primo modo mutabilis, non tamen secundo modo. & consequenter nihil concludit argumentum.

Respondeo secundo distinguendo idem antecedens: omnis creatura est mutabilis ab intrinseco, vel per po-

tentiam logicam, seu non repugnantiam quandam, quam habeat ad hoc, vt à Deo non conferuetur, si ipse voluerit, vel per potentiam Physicam, quæ ad non esse, seu ad corruptionem saltem ex consequenti ordinetur, concedo: quælibet creatura est mutabilis ab intrinseco per aliquam potentiam Physicam, quæ ex consequẽti ad non esse ordinetur & tendat, nego. Mentem explico. Fatemur ergo, quod quælibet creatura habet saltem potentiam Logicam, seu non repugnantem ad hoc, vt non sit, vel ad hoc, vt mutetur de potentia absoluta, & quando Deus voluerit: sicut enim, vt dictum est, quælibet creatura dependet in suo esse à Deo: ita & in conseruari, & in quibuscumque aliis, quæ habet, sed quod quælibet creatura habeat in se potentiam Physicam, per quam intrinsecè ordinetur ad non esse, sicut habent res corruptibiles, quarum destructionem materia prima machinatur per inclinationem quam habet ad alias formas, illud est, quod negamus. neque enim solum visio beatifica, sed etiam cœli & Angeli carent tali potentia, & propterea etiam incorruptibiles esse dicuntur, quamuis nullam habeant in se potentiam, quæ ad aliam formam, vel ad aliud esse, incompatibile cum eo, quod habent, ordinetur. Verum est tamen quod semper visio beatifica in hoc distinguitur à cœlis, & ab Angelis, quod visio beatifica, & lumen gloriæ ad nullam prorsus mutationem, etiam accidentalem, ordinantur, quia nihil accidentale, aut elicere, aut recipere possunt, ratione cuius accidentaliter immutentur, vbi licet cœli, & Angeli sint secundum suum esse incorruptibiles, tamen possunt nouas aliquas mutationes recipere, per quas accidentaliter immutentur.

Obiicies cognitionem illam, qua Angelus seipsum cognoscit, esse immutabilem, tam secundum esse proprium, quam secundum aliquod aliud esse accidentale, (cum nullum accidens in se recipere possit,) & tamen æternitate participata non mensurari: ergo nec id visioni beatificæ erit concedendum.

39. Respondeo quod illa cognitio, qua Angelus seipsum cognoscit, licet sit in seipsa immutabilis, tamen mutationem aliquam secum compatitur ex parte principij, à quo immediatè elicitur, & in quo immediatè recipitur, vbi visio beatifica nullam compatitur secum mutationem ex parte luminis gloriæ, in quo recipitur immediatè, & à quo tanquam à principio proportionato atque proximo, elicitur, & consequenter visio beatifica æternitate participata mensurari poterit, quamuis hoc cognitioni Angelicæ concedi non possit, tum quia perfectiori mensura gaudere non potest, quam principium eius proportionatum, quod æuo solum mensuratur: tum etiam quia æternitas participata requirit in operatione, quam mensurat istam perfectionem, quod nec in se sit mutabilis, nec etiam secum ex parte principij proportionati, à quo immediatè elicitur, & in quo immediatè recipitur, vllam admittat mutabilitatem, vt sicut ipsa dicit veram & formalem participationem æternitatis per essentiam, ita & operatio, quam mensurat, veram quoque habeat & formalem participationem operationis diuinæ, æternitate per essentiam mensuratæ, quæ quidem nec in se nec ex parte principij sui, vllam com-

patitur secum mutationem.

Deinde posset responderi, quod illa cognitio Angelica non potest mensurari æternitate participata, quia æternitas participata est mensura ordinis diuini, & supernaturalis, & consequenter cum illa cognitio sit naturalis, non poterit æternitate participata mensurari.

QVÆSTIO VI.

Vtrum æternitas participata sit mensura formaliter ab æternitate per essentiam distincta.

§. I.

Resolutio quæstionis.

PRima sententia est Nauarretæ controuersia 32. §. 1. Ferrariensis 3. contra Gentes capite 61. Iauelli 1. parte in articulo 5. quæst. 10. tenentium æternitatem participatam non distingui secundum se ab æternitate per essentiam, sed solum ex parte mensuratorum.

40. Vnde eadem æternitas Dei increata (secundum prædictos auctores) mensurat formaliter per modum mensuræ propriæ, & visionem increatam, & visionem creatam Dei, nec datur aliqua mensura creata, quæ immediatè visionem creatam mensuret, sed ipsa visio creata, secundum quod mensuratur æternitate increata, tamquam mensura inadæquata & excedente, dicitur mensurari æternitate per participationem: & addit loco citato Nauarreta, quod æternitas participata, formaliter loquendo, non denotat rationem mensuræ, sed rationem potius mensurati. Hanc sententiam reputant probabilem Bannez & Cumel 1. parte quæ. 10. art. 5.

Secunda sententia est Caietani ibidem, Gonzalis disputat. 21. sectione 4. §. quæ sit mensura visionis beatificæ sub finem, Bannezij, Cumelis, Nazarij controuersia 3. in prædictum articulum, Valentiæ disputat. 1. prima parte quæst. 10. puncto 3. sub finem, tenentium æternitatem participatam, esse mensuram realiter distinctam ab æternitate per essentiam: & hæc sententia est magis communis in schola D. Thomæ, & ideo amplectenda.

Conclusio ergo sit. Æternitas participata est mensura realiter distincta ab æternitate increata, & per essentiam.

Probatur ratione petita ex D. Thoma 1. parte quæst. 10. art. 2. ad 1. vbi respondens ad illud Augustini ex lib. 83. quæst. quod Deus est auctor æternitatis, dicit. *Augustinum esse intelligendum de æternitate participata: eo enim modo*, (inquit sanctus Doctor) *communicat Deus suam æternitatem aliquibus, quo & suam immutabilitatem*: atqui Deus (ex eodem Diuo Thoma art. 3. eiusdem quæst. in corpore) communicat suam immutabilitatem beatis per visionem beatificam, quæ est aliquid creatum: ergo communicat etiam eis suam æternitatem per aliquid creatum, quod est æternitatis eius formalis participatio.

Confirmatur. quia eodem modo beati participant mensuram visionis increatæ, quo & ipsam visionem increatam: atqui beati participant visionem increatam Dei per visionem creatam ipsius (neque enim beati vident Deum per visionem aliquam in-

creatam, sed per creatam:) ergo beati participant etiam mensuram visionis increatæ per aliquam mensuram creatam: sed mensura illa creata, est æternitatis participatio, seu æternitas participata: ergo.

Probatur secundò alia ratione petita ex eodem sanctissimo præceptore in 1. distinct. 19. quæst. 2. artic. 1. in corp. & ad 2. cuilibet rei debet attribui proportionata, & adæquata mensura durationis, præter communem, & excedentem: sed æternitas increata est excedens & communis mensura durationis omnium rerum creatarum, (vt ibidem dicit Angelicus Doctor:) ergo præter æternitatem increatam, debet assignari alia mensura durationis visionis beatificæ, quæ sit ei proportionata & creata, & cui immediatè visio beatifica subiiciatur: sicut enim nullum corpus ambitur, connaturaliter loquendo, à loco communi: nisi prius ambiatur à loco particulari; & sicut nulla res subiicitur rationi communi entis, nisi mediis aliis rationibus minus vniuersalibus: ita nulla res creata immediatè subiicitur æternitati increatæ, tamquam propriæ & proportionatæ mensuræ, sed mediante aliqua alia duratione creata subordinatur ei, atque subiicitur.

41. Probatur tertiò, alia ratione ex eisdem locis statim allegatis petita, & ex art. 3. quæst. citatæ 1. parte: vbi est diuersa ratio mensurabilitatis, ibi debet esse diuersa formaliter durationis mensura, *Quia secundum diuersam rationem actus mensurati oportet*, inquit sanctus Doctor locis citatis primo sententiarum, *accipere differentiam essentialem mensuræ*: atqui visio beatifica creata habet diuersam rationem mensurabilitatis ab actu visionis increatæ Dei: ergo, maior est certa, probatur minor, quia (vt supra ex D. Thoma & communi Thomistarum sententia vidimus) diuersa ratio mensurabilitatis durationum, petitur ex diuersa mutabilitatis, vel immutabilitatis ratione: atqui visio beatifica creata habet diuersam rationem immutabilitatis à visione increata, quia hæc de quacunque potentia est indefectibilis, illa verò de potentia absoluta est defectibilis: ergo visio beatifica creata habet diuersam rationem mensurabilitatis ab ea, quæ est in visione increata: ergo sicut visio beatifica participat illam immutabilitatem visionis increatæ per aliquid creatum, quod deficit ab illa increata immutabilitate, quæ est in visione Dei increata: ita debet participare æternitatem increatam Dei, quæ est visionis increatæ mensura, per aliquam mensuram creatam, quæ licet sit æternitatis participatio, deficiat tamen ab illa vniformitate infinita, per quam æternitas increata repugnantiam habet, & incapacitatem ad hoc, vt possit vllo termino vnquam finiri de quacumque potentia.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obiicies. Illud quod exposcit principium infinitæ perfectionis, non potest mensurari aliqua mensura creata: sed visio beatifica requirit ex se, & ex natura sua principium infinitæ perfectionis, quia per se petit fieri, & produci ab essentia diuina, vt gerit vicem speciei intelligibilis in intellectu beati, adeo

vt secundum Diuum Thomam & communem Thomistarum sententiam, repugnet eam produci mediante aliqua specie creata: ergo.

Confirmatur: quia illud, quod habet idem principium immutabilitatis, debet gaudere eadem durationis mensura: atqui visio increata, & visio creata Dei habent idem principium immutabilitatis, essentiam scilicet diuinam, vt habentem rationem speciei intelligibilis: ergo sicut visio increata æternitate per essentiam immediatè mensuratur, ita debet & visio creata eadem mensura immediatè mensurari.

42. Respondeo negando maiorem absolutè, omnes enim res, quæ exposcunt fieri per creationem, exposcunt infinitum principium, & tamen non exposcunt eadem mensura durationis mensurari, ac illud principium, vt constat apud omnes. Vnde vt res, quæ exposcit principium infinitum, postulet eadem mensura durationis mensurari, qua & ipsius principium, debet esse talis, & tantæ perfectionis, vt gaudeat eodem gradu immutabilitatis, quo & ipsum principium: si verò non gaudeat eodem gradu immutabilitatis cum eo, tunc non debet etiam eandem cum eo mensuram durationis sibi vendicare: & per hoc confirmationi satisfit: dicimus enim quod visio creata Dei non ita producitur ab essentia Dei, vicem speciei intelligibilis in intellectu beato gerente, vt ad eundem gradum immutabilitatis trahatur, quo gaudet essentia Dei, & consequenter non debet habere eandem cum ipsa, durationis mensuram.

Sed dices quod visio beatifica eandem habet immutabilitatis rationem ac ipsa essentia Dei, quatenus formaliter gerit vicem speciei intelligibilis in intellectu beati, quia tamdiu in se immutabilis visio beatifica perseuerat, quandiu perseuerat essentia diuina exercere vicem speciei intelligibilis: imo si deficiat aut varietur visio beatifica, oportet quod hoc sit, ex eo quod desinat essentia diuina gerere vicem speciei; vel certè ex eo quod varietur in modo informandi intellectum, in ratione intelligibili.

Respondeo quod licet tamdiu perseueret, & inuariabilis permaneat visio beatifica, quandiu essentia diuina perseuerat informare intellectum in esse intelligibili, tamen non trahitur ad participandum intrinsecè eundem immutabilitatis gradum, quo gaudet intrinsecè essentia Dei, & consequenter non potest sibi vendicare eandem durationis mensuram cum illa: & ad illud quod dicitur, quod si deficeret aut variaretur visio beatifica, deberet prius deficere aut variari essentia diuina in ratione speciei intelligibilis.

43. Respondeo, quod non deberet deficere aut variari per aliquam mutationem intrinsecam sui, sed per mutationem vel defectum ipsius luminis gloriæ, quo deficiente in intellectu, deficeret consequenter intellectus informari & actuari in esse intelligibili ab essentia diuina, per modum formæ intelligibilis considerata: Ex quo fit, quod cum tota mutabilitas aut variabilitas, quæ potest accidere in visione, se teneat ex parte intellectus, luminis gloriæ, & visionis, & nullo modo ex parte essentiæ diuinæ, essentia diuina exiget per se ex parte sui mensurari mensura diuersæ rationis ab ea, per quam lumen, & visio beatifica mensurantur.

Obiicies, diuiditur solum tota-

muniter duratio in æternitatem, æuum, & tempus: ergo non debet admitti alia duratio præter prædictas, & consequenter non est admittenda æternitas participata.

Respondeo, quod duratio diuiditur in tres prædictas durationes, tamquam in species subalternas, quæ rursus in diuersas species, aut quasi species subdiuiduntur, & sic æternitas in æternitatem per essentiam, & in æternitatem participatam diuiditur: æuum, in æuum spiritale; quod est duratio Angelorum, & in æuum corporeum, quod est duratio cœlorum, & tandem tempus in nostrum & Angelicum, Angelicum in continuum & discretum: &c.

Obiicies, si daretur æternitas participata, deberet assignari aliquod subiectum, in quo reciperetur, quod quidem esset mensura cæterarum visionum: atqui non potest assignari tale subiectum: ergo. Maior est certa inductione in aliis durationum mensuris. Probatur minor. Si quod esset, deberet esse Christus, cum Christus sit inter omnes beatos perfectissimus: atqui non potest dici, quod in Christo æternitas illa participata reperiatur per modum mensuræ cæterarum visionum beatarum, & prob. quia quilibet beatus immediatè pendet, (quantum ad participationem suæ beatitudinis) à Deo, & non à beatitudine Christi, cum visio beatifica sit participatio formalis diuinæ beatitudinis, & non beatitudinis Christi, beatitudo enim per participationem, est participatio formalis beatitudinis per essentiam, non autem alicuius alterius beatitudinis participatæ, qualis est beatitudo Christi, vt pote creata: ergo sicut cæteræ beatitudines non sunt participationes beatitudinis creatæ Christi, sed beatitudinis increatæ; ita debent duratione beatitudinis increatæ mensurari, non autem duratione aliqua creata, creatæ alicuius beatitudinis.

44. Respondeo admittendo æternitatem participatam esse in Christo, tanquam in perfectissimo omnium beatorum, & tanquam in eo, cui magis propriè, & inuariabiliter beatitudo creata conuenit, cum Christo veluti per modum passionis, seu proprietatis, & statim ab initio suæ conceptionis, visionem beatificam habere conueniat. Vnde ad id quod dicitur, quod beatitudo creata Christi non est beatitudo per essentiam.

Respondeo. quod licet beatitudo creata Christi, non sit beatitudo per essentiam, provt beatitudo per essentiam dicit beatitudinem subsistentem, potest tamen aliquo modo dici beatitudo per essentiam; & hoc propter duo. Primò, quia beatitudo conuenit Christo secundum maiorem beatitudinis creatæ plenitudinem, quæ possit vnquam esse secundum legem ordinariam; Secundò, quia supposita vnione hypostatica, beatitudo (vt dictum est statim) conuenit ei per modum veluti cuiusdam proprietatis ipsi debitæ, & ab eadem vnione, tanquam à principio intrinseco resultantis: vnde sicut lux dicitur soli conuenire per essentiam, quia conuenit ei per modum proprietatis, & secundum maiorem plenitudinem quæ possit corporali creaturæ secundum cursum ordinarium conuenire: ita potest dici, quod Christo quodammodo conueniat beatitudo per essentiam, tum quia beatitudo conuenit ipsi secundum maiorem plenitudinem, quæ possit secundum cursum

sum

sum ordinarium vlli conuenire, tum etiam quia per modum veluti proprietatis ex vnione hypostatica, tanquam ex intrinseco principio dimanat.

Ex iis patet solutio ad argumentum: dicimus enim quod omnes beatitudines beatorum sunt quædam participationes beatitudinis Christi, non quidem in genere causę efficientis, aut in genere causæ formalis, vel exemplaris heterogeneæ, & diuersæ rationis specificæ, sed in genere causæ exemplaris homogeneæ, eiusdem rationis, & intra idem genus beatitudinis creatæ, alias beatitudines creatas veluti in infinitum excedentis, non solum in ratione beatitudinis, sed etiam in modo immutabilitatis; cum aliis beatis beatitudo solum contingenter, Christo vero, ex suppositione vnionis hypostaticæ, veluti necessario, & per modum proprietatis sibi debitæ conueniat: quod quidem sufficit ad hoc, vt aliæ omnes beatitudines pendeant à beatitudine ipsius, tanquam à primo mensurabili æternitatis participatæ, & ad hoc vt æternitates participatæ aliarum beatitudinum reducantur in æternitatem participatam visionis Christi, tanquam in mensuram homogeneam, & eiusdem generis; licet tanquam in mensuram heterogeneam diuersæque rationis, in ipsam æternitatem per essentiam debeant vltimo resolui ab eaque mensurari.

DISPVTATIO XVII.

DE DEO VT CREATORE.

Hactenus per totum hunc librum egimus de Deo secundum se, & in ordine entis considerato, restat iam vt eum consideremus, secundum quod est operatiuus ad extra, respectu creaturarum: loqui enim de Deo, secundum quod est ad intra operatiuus, excedit limites Metaphysicæ. Tres autem operationes sunt, quibus Deus operatur ad extra, creatio scilicet, gubernatio, & conseruatio. de Deo quatenus per creationem operatur, agemus præsenti disputatione, acturi sequentibus de illo, quatenus per conseruationem, & gubernationem operatur.

QVÆSTIO I.

Vtrum possit ratione naturali demonstrari Deum posse aliquid creare, aut de facto aliquid creasse.

§. I.

Resolutio quæstionis.

1. SVpponendum est primo cum Bannez io. 1. parte quæst. 45. a. 1. quod creatio, potest sumi in triplici acceptione; primo generaliter, pro quacumque generatione, seu productione, quomodo Ecclesiast. 24. dicitur sapientia æterna, ante sæcula creata. Secundo potest sumi pro promotione rei alicuius præexistentis, ad superiorem statum, quomodo dicitur aliquis creari in Episcopum, vel etiam qui iustificantur, & in gratia regenerantur, dicuntur Ephes. 2. Creati in operibus bonis, in Christo Iesu. Tertio potest sumi in propria & stricta acceptione, prout creare idem est, ac producere, vel facere aliquid ex nihilo, & de creatione in hac tertia acceptione, procedit nostra quæstio.

Notandum est secundo ex D. Tho. 1. parte quæst. 45. artic. 1. ad 3. & q. 3. de pot. artic. 1. ad 7. quod quando dicitur, per creationem aliquid fieri ex nihilo, hæc præpositio, Ex, non designat causam materialem, quasi nihilum, ex quo dicitur aliquid fieri per creationem, sit materia, ex qua fiat, aut in qua recipiatur creatio, & res per eam producta, sed sensus huius propositionis potest esse duplex; nam vel negatio importata in nihilo, potest sumi, quatenus negat præpositionem ex, & tunc, sicut dicimus aliquem ex nihilo tristari (inquit D. Tho.) quia non habet tristitiæ suæ causam, seu quia tristatur, non ex aliquo: ita dicitur per creationem aliquid fieri ex nihilo, quia fit, non ex præexistenti causa materiali, seu non ex aliquo, & iste sensus est legitimus; cum enim creatio in illa stricta acceptione sumatur, prout distinguitur ab eductione, & eductio petat formaliter fieri ex præexistenti materia, creatio consequenter petet fieri formaliter, non ex aliquo, tanquam ex materia: vel secundo potest negatio illa, importata per nihilum sumi, quatenus includitur in præpositione Ex, & vt affirmatur per eam, & tunc sensus adhuc erit duplex, alter verus, & alter falsus; falsus quidem, si affirmatio & positio importata per Ex ponat habitudinem causæ in nihilo, seu in non ente respectu entis, sensus enim esset, quod ens factum per creationem ex nihilo, penderet ab eo, tanquam à causa, quod tamen dici non potest, cum non ens non possit esse causa Entis; verus autē erit sēsus, si dicat ordinem tantum rationis, ita vt dicatur fieri aliquid ex nihilo, quia fit post nihilum; quod intelligendum est de posterioritate, abstrahente à posterioritate naturæ, vel durationis; cum ex mente D. Tho. non implicet dari creationem alicuius rei ab æterno.

Notandum est tertio, certum esse de fide (vt ostendit D. Tho. 1. parte quæst. 46. articulo 1.) quod mundus creatus est in tempore; ex quo infertur euidenter, quod debet dari creatio, si enim creaturæ omnes incæperunt esse in tempore: ergo aliquæ earum saltem, factæ sunt, nullo alio

præsupposito, & per consequens, non potest dubitari, quin detur creatio: sed tota difficultas consistit, vtrum illa sit demonstrabilis lumine naturali.

His positis Suarez disput. 20. suæ Metaphys. refert aliquos, tenentes creationem, non esse demonstrabilem lumine naturali.

Sententia tamen communis omnium est, eam esse naturaliter demonstrabilem: vnde sit.

2. Prima conclusio, potest demonstrari demonstratione naturali, quod Deus potest aliquid creare. Ista conclusio, videtur euidens suppositis demonstrationibus factis antea, de existentia Dei, eiusque perfectionibus.

Probatur ergo sic. potest demonstrari naturaliter, quod potest Deus aliquid creare: ergo potest naturali demonstratione demonstrari possibilitas creationis. Consequentia est aperta, possibile enim, & potentia actiua potens illud possibile producere, sunt correlatiua, cùm aliquid denominetur possibile, ex eo quod sit in potentia actiua alicuius agentis: ergo si Deus potest creare aliquid, illud erit possibile creari, & consequenter creatio erit possibilis.

Antecedens probatur, sequenti demonstratione: omnis perfectio simpliciter simplex, debet concedi Deo: at posse creare aliquid, est perfectio simpliciter simplex: ergo debet concedi Deo. Maior & consequentia sunt euidentes, probatur minor, quia perfectio simpliciter simplex, est illa, quæ melior est ipsa, quam non ipsa, at melius est, habere virtutem producendi aliquid, ex nihilo, quam non habere huiusmodi virtutem. hoc enim nullam includit imperfectionem sed potius summam & infinitam perfectionem, hoc enim arguit omnem prorsus independentiam in operando, à quocumque alio præexistenti, & præsupposito ad suam actionem: ergo Deus debet in se continere virtutem illam.

Confirmatur. quia Deus, est ens independens omnino ab alio, in essendo, cum ipse sit ipsúmet esse subsistens, & irreceptum, ipsum esse per essentiam, vno verbo, plenitudo ipsa, & pelagus immensum totius entis: ergo debet etiam esse omnino independens à quocumque alio, in operando, vt modus operandi, sequatur modum essendi; ergo potest ex nihilo, seu ex nullo alio præsupposito aliquid producere, & per consequens aliquid creare.

Secunda conclusio: non solum potest naturaliter demonstrari, quod Deus potest aliquid creare, sed demonstratur etiam de facto aliquid creasse. Ita D. Tho. 2. contra Gent. cap. 16. & quæst. 3. de pot. art. 5.

3. Probatur ratione desumpta ex D. Tho. loco citato 2. contra Gent. aut effectui producto à Deo, præexistit aliquid, ex quo talem effectum producat, vel non; si nihil præexistat, habetur intentum, quia creare, nihil est aliud, quam producere aliquid, ex nullo alio præexistenti, seu præsupposito: si autem dicatur primum, quod scilicet effectui Dei præexistat aliquid, aut erit procedere in infinitum in eo, quod præsupponetur, (quod non est possibile in causis materialibus, vt probat Philosoph. 2. Metaph. textu 7. pro quo poteris videre Arauium 2. Metaph. quæst. 2. a. 4.) aut tandem erit deuenire ad aliquod primum, quod non præsupponet aliud; sed illud primum, ex quo

alia dicuntur facta, & quod non præsupponit aliud, non est Deus, quia Deus non est materia prima, quæ est primum subiectum, ex quo cætera fiunt, vt patet euidenter ex iis omnibus quæ per totum hunc librum dicta sunt de Deo: ergo debet esse aliquid factum & productum à Deo, & cum primum illud subiectum, ex quo cætera fiunt, non præsupponat aliud, ex quo fiat, erit aliquod factum ex nullo alio præsupposito: ergo creatum. Consequentiæ omnes sunt euidentes, excepta illa, in qua concludimus, primum illud subiectum, ex quo fiunt cætera, (cùm non sit ipse Deus) debere esse quid à Deo factum & productum, in ea enim consistit tota difficultas.

Probatur ergo sic prædicta consequentia. illud omne quod est extra Deum, debet esse ab ipso factum atque productum: sed primum illud subiectum, est aliquid extra Deum: ergo debet esse ab ipso factum atque productum. Minor & consequentia patent. Maior probatur, illud omne, quod est extra Deum, habet contingentiam, non vero necessitatem ad essendum, possunt enim, quæcumque sunt extra Deum, esse, vel non esse, provt placuerit Deo: sed illa quæ habent sic potentiam ad essendum vel non essendum, debent reduci de potentia in actum essendi, per aliquam potentiam actiuam, cui per se & necessario conueniat existere, vt ostensum est supra disput. 9. quæst. 3. §. 2. ergo cum talis potentia actiua, cui per se, & necessario conuenit existere, sit ipsemet Deus, quidquid est extra Deum reducetur de potentia, quam habet ad esse, ad actum ipsum existendi, per potentiam Dei actiuam.

Dices forsan, primum illud subiectum habere necessitatem ad essendum, non vero contingentiam, & consequenter habere esse per se, nec esse productum à Deo, aut ab ipso suum esse recepisse.

4. Contra: quia implicat illud quod est imperfectius in compositis materialibus, sicut est primum illud subiectum, habere esse à se, & ad illud necessitatum esse ab intrinsecis, & essentialibus principiis suis; qui enim fieri potest, quod illud, quod est perfectissimum in omnibus entibus, ad quod suspirant omnia entia, tanquam ad suum finem, & in quo quiescunt, sicut est esse, qui inquam fieri potest, quod tale esse conueniat necessario, per se, & ab intrinsecis principiis, materiæ, quæ est imperfectissima inter omnia entia: certè imperfectiora non reducuntur ad perfectissima, nisi per perfectiora: ergo cum forma substantialis, sit perfectior materiâ, nunquā reducetur materia ad esse, quod est perfectissimum in toto composito, nisi per formam; si ergo nec formæ, nec toti composito, conuenit necessario per se existere in actu exercito, (patet enim experientia ex continua corruptione compositorum, hoc illis contingenter conuenire) multominus id conuenire poterit materiæ, quæ est imperfectissima pars compositi: ex quo sic fieri potest argumentum.

Implicat perfectiori modo, conuenire materiæ existere, quam conueniat rationi formali, per quam existit; atqui forma, est ratio formalis, per quam competit materiæ existere, & propterea in sententia communi Thomistarum, quam tenent Complut. nostri in Physica disp. 3. quæst. 6. implicat materiam existere sine

forma: ergo cum existere non competat necessario formæ, nunquam etiam poterit materiæ necessario conuenire. Maior patet, minor probatur, tum quia forma, est actus primus materiæ, vt patet ex definitione formæ: tum etiam quia forma determinat materiam, ad hoc vt sit in determinato genere, & in determinata specie: ergo cum nihil possit existere à parte rei, nisi in quantum est in aliqua specie determinata, & in aliquo genere determinato, nullaque potentia, possit ad vltimum actum in quem tendit peruenire, nisi mediante actu primo in quem fertur, nunquam materia prima poterit habere existentiam, quæ est vltimus cuiuslibet rei actus, nisi ratione formæ, & per formam; & sic si non competat formæ, existere per se, & necessario, aut esse improductam, multominus id poterit materiæ conuenire.

Confirmatur, quia partes compositi, non sunt propter se, sed propter compositum: ergo si compositum, non est necessitatum ad essendum, quomodo hoc poterit conuenire per se ignobiliori eius parti, cum nunquam media, ad nobilitatem finis, nec partes, ad compositi perfectionem possint pertingere.

Confirmatur. quia quanto aliquid est imperfectius, tanto minus accedit, ad perfectionem & essentiam ipsius Dei: sed constat, & in confesso est apud omnes, materiam esse longè imperfectiorem, & composito, & forma substantiali cum materia sit pura potentia: ergo minus accedet ad perfectionem & essentiam Dei, quam forma, vel compositum: atqui essentia Dei, & summa perfectio eius, consistit in hoc, quod sit ens necessarium, & determinatum ad essendum: ergo implicat hanc perfectionem, quæ nec formæ, nec composito conuenit ipsi materiæ competere.

5. Confirmatur. quia quando dicitur, quod materia, est determinata ad essendum, vel ita determinatur ad hoc, vt esse eius sit realiter ab ipsa distinctum, vel non: si primum; ergo materia debet illud habere beneficio alicuius virtutis, seu potentiæ actiuæ, cui per se & essentialiter conueniat sibi existere, cùm omnis potentia, reducatur de potentia in actum, per aliquod agens, cui essentialiter conuenit, vel formaliter, vel eminentèr continere, & identificare sibi talem actum, (vt ostensum est supra disput. 9. quæst. 3. §. 2. & disput. de simplicitate Dei quæ est 10. quæst. 1. & 2.) ergo cum soli Deo conueniat per se, & essentialiter existere, & identificare sibi realiter tale existere, materia consequenter, habebit existere dependenter à Deo; vnde cum Deus agat ad extra per voluntatem, & liberrimo modo, & non necessario; (tum quia perfectissimus modus operandi, sicut est operari libere, debet ei conuenire: tum etiam quia, si necessario ageret, cum agens secundum naturam, agat secundum vltimum sui, semper produceret effectum infinitum,) debet consequenter materia prima à libera voluntate Dei in suo esse dependere, & sic materia prima, non habebit esse necessario, sed contingenter omnino, poteritque esse, vel non esse, iuxta beneplacitum Dei.

Si vero dicatur secundum, quod scilicet materia, ita determinatur ad essendum, vt sibi, suæque essentiæ realiter identificet suum esse: ergo materia prima habebit esse subsistens & irreceptum; ergo infinitum, in

cuius Confirmationem vide quæ dicta sunt supra disput. 13. de infinitate Dei quæst. vnica num. 2. & disput. 6. quæst. 1. num. 2. quod potest adhuc efficaciter alia via probari: etenim si materia ex principiis suis essentialibus, identificet sibi ita suum esse, vt ne quidem illud recipiat à Deo: ergo esse, seu existere ex vi propriæ differentiæ, & per se primo materiæ conueniet, quia non conueniet ei ab alio: ergo cum id quod conuenit alicui per se primo, conueniat ei secundum totam eius plenitudinem, quia conuenit ei tanquam fonti, & primæ origini talis rationis, esse conueniet materiæ primæ, tanquam fonti & primæ origini totius esse, & per consequens secundum totam plenitudinem, non autem secundum limitationem & restrictionem: etenim si materia, sit ens essentialiter omnino independens in suo esse, etiam à Deo, non habebit, vnde possit limitari; quando enim ratio aliqua conuenit alicui cum limitatione, debet de necessitate dari limitatiuum talis rationis: at posito quod esse conueniat materiæ independenter à Deo, non poterit assignari limitatiuum vllum ipsius esse; quod probatur, quia omnes rationes formales limitantes, dependent ab aliquo principio producente tales rationes limitatiuas, quia limitationes omnes, quæ procedunt ab aliquo in genere causæ formalis, dependent à principio effectiuo, cum forma non informet, nisi dependenter à causa efficiente: ergo sublato primo principio actiuo, & efficiente, à quo materia limitetur & dependeat, tolluntur à materia rationes omnes formales limitantes ipsam secundum esse, & consequenter materia erit ens omnino illimitatum & infinitum in essendo, ex suppositione quod suum esse à Deo non recipiat. Vide quæ dicentur infra §. seq. num. 9.

6 Tandem quia perfecta huius quæstionis intelligentia, fundatur in solidissima illa veritate, quod nullum datur ens extra Deum, quod sit independens ab eo, & essentialiter determinatum ad essendum, ideo placuit adducere huc tres præclarissimas D. Tho. rationes, quibus sanctus Doctor hanc veritatem demonstrat quæst. 3. de pot. art. 5.

Prima est. *Oportet, si aliquid vnum communiter in pluribus inueniatur, quod ab aliqua vna causa, in illis causetur: non enim potest esse, quod illud commune vtrique ex seipso conueniat, cum vtrumque, secundum quod ipsum est, ab altero distinguatur, & diuersitas causarum diuersos effectus producit. Cum ergo esse inueniatur in omnibus rebus commune, quæ secundum quod sunt, ad inuicem distincta sunt, oportet de necessitate quod eis, non ex seipsis, sed ab aliqua vna causa, esse attribuatur,* quia plura vt plura, non possunt conuenire, nisi in virtute vnius plura illa adunantis: ergo cum omnes creaturæ, conueniant cum Deo in ratione essendi, vel debent creaturæ hoc habere in virtute Dei, vel debent, tam Deus, quam creaturæ hoc habere in virtute alterius entis: ergo cùm illud ens non sit dabile, quia Deus non potest in ratione essendi dependere ab aliquo alio ente, quippe cui primario, & per essentiam conuenit ipsum esse, secundum totam plenitudinem essendi, debent de necessitate, tam materia, quam cæteræ creaturæ, habere prædictam conuenientiam cum Deo in ratione essendi, in virtute Dei. eadem ratio-

ne vtitur sanctus Doctor art. seq. in Corp. & 2. contra Gent. cap. 15. ratione 1.

Secunda ratio est, *Quia cum aliquid inuenitur à pluribus participatum, oportet quod ab eo, vbi perfectissime inuenitur, attribuatur omnibus illis, in quibus imperfectius inuenitur: nam ea quae positiuè secundum magis & minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori, vel propinquiori ad aliquid vnum, si enim vnicuique eorum, ex seipso illud conueniret, non esset ratio, cur perfectius in vno, quam in alio inueniretur, sicut videmus quod ignis, qui est in fine caliditatis, est caloris principium in omnibus calidis, est autem ponere vnum ens quod est perfectissimum & verissimum ens, quod ex hoc probatur, quia est aliquod mouens omnino immobile & perfectissimum, vt à philosophis est probatum: oportet ergo quod omnia minus perfecta, ab ipso, esse recipiant*: & haec est probatio Philosophi 2. Metaph. text. 4. qua adhuc vtitur S. Doctor 2. contra Gent. cap. 15. rat. 2.

Tertia ratio est, *Quia illud quod est per alterum, reducitur, sicut in causam, ad illud, quod est per se; vnde si esset vnus calor per se existens, oporteret ipsum esse causam omnium calidorum, quae per modum participationis calorem habent. Est autem ponere aliquod ens, quod est ipsum suum esse. quod ex hoc probatur, quia oportet esse aliquod primum ens, quod sit purus actus, in quo nulla sit compositio, vnde oportet quod ab vno illo ente omnia alia sint, quaecumque non sunt suum esse, sed habent esse per modum participationis*. Et haec est ratio Auicennae 8. Metaph. cap. 7. & lib. 9. cap. 4. qua quidem vtitur adhuc D. Tho. 1. parte quaest. 44. art. 1. vbi propugnat & deffendit eam Banesius cum Caietano. duae istae rationes magis elucidabuntur in respons. ad vltimam obiectionem, quae fiet §. sequenti num. 9.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBiicitur: si posset naturaliter demonstrari, aliquid posse creari à Deo, & quod de facto aliquid ab ipso creatum est, hoc fuisset Philosophis, & maximè Aristoteli notum, cōmune enim erat inter eos omnes proloquium, relatum ab Aristotele 1. Phys. text. 34. ex nihilo nihil fieri: ergo cum creatio sit ex nihilo, Philosophi non agnouerunt eam: ergo non est naturaliter demonstrabilis.

Respondeo dubium non esse, quin creatio ignota fuerit aliquibus Philosophis, & propterea etiam quidam ex eis admiserunt aliqua entia, habere esse à semetipsis, vt author est D. Thò. 8. Phys. lect. 2. 1. parte quaest. 44. art. 2. in corp. quaest. 3. de pot. a. 5. in corp. & alibi saepius; tamen expressè S. Doctor asserit locis cit. de pot. & 1. parte Aristotelem agnouisse, & probasse omnia entia à Deo facta fuisse, 2. Metaph. text. 4. & consequenter si Aristoteles ignorauit creationem, ignorauit solum eam, quātum ad nouitatem essendi, quam habuit in tempore, non autem quantum ad substantiam, credidit enim mundum esse ab aeterno, & secundum aliquos, ingenerabilia & incorruptibilia naturaliter à Deo creata fuisse, quem errorem tribuit ei Bannez 1. parte quaest. 44. art. 2. dub. 2. quamuis ibi ex professo sustineat, Aristotelem agnouisse omnia entia que

sunt extra Deum, ab ipso producta fuisse pro quo consulere etiam poteris Suarem disput. 20. Metaph. sect. 1. num. 24. id asserentem.

Quantum autem attinet ad illud axioma ex nihilo nihil fieri. Respondetur ex D. Tho. 1. parte quæst. 45. ar. 2. ad 1. intelligendum esse de emanatione effectuum à causis secundis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione, non autem de prima emanatione rerum ab vniuersali & primo principio.

Obiicitur. si creatio esset possibilis, oporteret quod ens, in quantum ens, esset factibile: atqui repugnat ens, in quantum ens, esse factibile: ergo repugnat dari creationem. Maior est certa, quia cum creatio producat suum terminum ex nullo præsupposito, & ex nihilo prorsus sui, debet consequenter secundum omnem rationem entis fieri: ergo ad creationem requiritur, quod ens, in quantum est ens, sit factibile. Minor autem, quod scilicet hoc repugnet: probatur, quia si ens, in quantum ens, esset factibile per aliquam actionem, deberet omne illud, cui conuenit ratio entis, ex vi illius actionis esse factibile, & sic illa eadem causa, quæ esset talis actionis productiua, esset suipsius productiua, quippe quæ gaudeat ratione entis.

8. Respondeo. quod ens in quantum ens, potest sumi duobus modis, vel vt abstrahit à creato, & increato; vel vt abstrahit solum ab ente creato. Hoc posito dico, quãdo dicitur, quod ens vt sic, est per se terminus qui creationis, hoc non debere intelligi de ente, vt abstrahit à creato & increato, sed de ente creato solum.

Quod si quæras, quare ens vt sic, dicatur esse terminus per se creationis.

Respondetur hoc ideo esse, quia illud dicitur per se terminus actionis, quod non præsupponitur formaliter ad talem actionem, sed fit ex vi talis actionis formaliter; vnde cum nulla ratio entis præsupponatur formaliter ex parte termini ad creationem, sed terminus, secundum omnem entitatem, quam includit, per eam per se producatur, propterea dicitur ens vt sic, esse terminus per se creationis. Quod vt intelligatur oportet scire ex 1. Phys. text. 76. aliquid posse fieri dupliciter, vel per se, vel per accidens: tunc aliquid fit per se, quando illud non præsupponitur ad actionem, vt quando ex non tali, fit tale; verbi gratia ex non homine, homo; ex non albo, seu ex nigro, album: tunc autem fit aliquid per accidens, quando id quod fit, præerat, antequam fieret. Verbi gratia, quando ex nigro fit album, coloratum inclusum in albo, quod sic dicitur fieri per accidens, quia id, quod ex nigro fit album, erat iam antea coloratum, cum nigredo colorem contineat: ratio autem huius doctrinæ est, quia sicut agens, non intendit per se ad malum, neque ad corruptionem, ita non intendit etiam per se producere in effectu, illud quod est iam in eo, esset enim actum agere, & frustra operari; & consequenter sicut agens intendit solum per accidens corruptionem, ex eo quod scilicet, non potest proprium effectum introducere, nisi ad corruptionem alterius; ita similiter intendit solum per accidens illud, quod præsupponit ad actionem suam eo quod scilicet, non potest attingere proprium effectum, nisi etiam attingat rationem illam præsuppositam,

ram, quia talis ratio, habet necessariam cum effectu proprio connexionem, qualem verbi gratia habent gradus superiores cum inferioribus. exemplum rem declarabit. quando v. gr. ignis producit alium ignem, illud quod ignis intendit producere non est gradus corporis, aut alij gradus superiores, quos iam in composito corrumpendo præsupponit, sed illud ad quod eius intentio fertur, est productio alterius ignis secundum gradum eius vltimum; quia tamen gradus superiores præsuppositi pereunt ad corruptionem formæ præcedentis, ideo ignis reproducit eos per accidens, (non quidem munero, sed specie eosdem) quia gradus quem ignis intendit per se producere, inuiolabilem cum eis habet connexionem, nec potest sine eis reperiri.

Ex quibus tria colligo. Primum, quod nunquam agens creatum producit per se substantiam, vt sic, quia cum agat semper ex præsupposita materia, quæ nunquam est sine forma substantiali, nunquam consequenter aget ex non substantia simpliciter, sed semper ex non substantia tali, talem substantiam producet, hominem v. gr. ex non homine, & sic nunquam substantiam simpliciter producet. Secundum est quod nullum agens potest producere ens vt sic, nisi producat ex nihilo, & quod agens producens aliquid ex nihilo, producit ens vt sic ex quo sequitur tertium, nempe cum per creationem producatur aliquid ex nihilo, per creationem consequenter attingi ens vt sic.

Obiicitur non potest naturaliter demonstrari, quod implicat aliquod ens necessarium, & independens à Deo in essendo, quod quidem ad omnem prorsus actionem, effectumque præsupponatur: ergo non potest naturaliter demonstrari creatio. Consequentia est aperta. Probatur antecedens, quia si quæ essent rationes, id demonstrantes, essent illæ, quas vltimo loco ex D. Tho. retulimus: at istæ non conuincunt, & maximè duæ vltimæ, quia conuincunt solum, omnia entia extra Deum, reduci in aliquod primum, quod sit, non causa efficiens, sed causa exemplaris & mensura eorum; sufficit enim quod magis & minus reducantur ad aliquod maximum, tanquam ad exemplar suum; & similiter quod ea quæ sunt talia per participationem, sint talia per id, quod est tale per essentiam, & per se, tanquam per causam exemplarem, licet non sint talia per illud, tanquam per causam efficientem, à qua dependeant in suo esse.

9. Respondeo quod licet magis & minus in aliquo solum genere determinato, possint reduci in aliquod perfectissimum in eodem genere, à quo non dependeant, nisi in genere causæ exemplaris, vt sunt omnia animalia, quæ reducuntur ad hominem, tanquam ad perfectissimum animal, à quo dependent in genere causæ, non efficientis, sed in genere solum causæ exemplaris, vel etiam finalis: tamen magis & minus in genere entis, non possunt reduci, nisi in aliquod maximum, & perfectissimum in ratione entis, à quo dependeant, non solum in genere causæ exemplaris, & finalis, sed etiam in genere causæ efficientis. ratio est, quia quando aliqua ratio participatur cum deficientia, restrictione, atque limitatione, debet necessario illa restrictio atque limitatio refundi in aliquod principium effectiuum ipsius, vt

egregiè notat Doctor Angelicus 2. contra Gent. cap. 15. ratione 2. quia cum natura quantum est ex se, agat, & se communicet, quantum potest, & secundum vltimum sui, si ratio aliqua, communicet se alicui rei, per seipsam, & independenter à quocumque principio extrinseco, cohibente, atque retinente naturale communicationis eius pondus, communicabit se, secundum vltimum sui, & secundum totam plenitudinem perfectionis, naturæ suæ conuenientem, & consequenter sine vlla restrictione atque limitatione in genere suo. Vt ergo aliqua ratio communicetur alicui rei cum limitatione, debet de necessitate communicari cum dependentia ab aliqua causa effectiua, & productiua talis limitationis, quia omnis limitatio, quæ potest à cæteris causis descendere in effectum, applicatur ei in executione, per causam efficientem, illa enim est, quæ in executione subiicit effectum in fluxui aliarum causarum, & quæ eas effectui applicat in actu exercito; vnde nec exemplar causabit sine efficiente, quia exemplar est illud, ad quod respiciens operans operatur; nec finis finalisabit, quia finis, est id cuius gratia agens agit; nec tandem vlla causa intrinseca, communicabit se, quia ipsa est per quam causæ intrinsecæ vniuntur, & applicantur ad inuicem; & sic omnis limitatio & determinatio, quæ potest cuicumque rei conuenire, debet de necessitate ab aliquo agente prouenire: quod si ita est, quod omnis limitatio proueniat ab aliquo agente: ergo limitatio, quæ in ratione entis conueniet cæteris rebus extra Deum, conueniet eis ab aliqua causa efficiente, & consequenter omnia reducentur in Deum, non solum tanquam in causam exemplarem, sed etiam tanquam in causam efficientem.

Ratio autem quare cætera entia extra Deum, reducantur sic in eum, tanquam in causam efficientem, quamuis cætera animalia, non reducantur in hominem, secundum rationem animalis, tanquam dependentia ab eo, in prædicto genere causæ efficientis est, quia Deus continet eminentiori ratione, & tanquam præcipuum analogatum rationem entis vt sic, & consequenter potest habere vim producendi omne ens participatum, in ratione entis participati vt sic: at homo non continet gradum animalis altiori modo, quam cætera animalia, cum vniuocè cum eis in illo gradu conueniat, & per consequens non potest habere vim producendi rationem animalis vt sic; cum enim illud quod habet vim attingendi aliquam rationem vt sic, possit illam attingere vbicumque reperitur, si homo haberet vim in gradum animalis vt sic, posset illum in seipso, vbi formaliter reperitur attingere, & sic seipsum secundum prædictam rationem producere quod implicat; ex quo fit, quod debent solum cætera animantia secundum rationem illam, in hominem, tanquam in causam exemplarem, reduci, in genere vero causæ efficientis, in aliud, in quo prædicta ratio, non vniuocè, sed eminentiori modo reperiatur.

Ex his satisfit ad id, quod obiicitur contra vltimam rationem D. Th. dicimus enim, quod illa, quæ sunt talia per participationem in genere entis, debent necessario reduci in id, quod est tale per essentiam, tanquam in causam efficientem.

Si autem quæras, quid sit esse tale per essentiam.

10. Respondeo cum Caietano & Bannesio 1. parte quæst. 44. artic. 1. quod aliquid, potest dici tale per essentiam, duobus modis. Primo, quia est tale ratione alicuius gradus sibi essentialis, & hoc modo, homo posset dici sensibilis per essentiam, quia sensibilitas conuenit ei essentialiter: Secundo modo potest dici aliquid tale per essentiam, quia sibi conuenit natura totalis & completa rei illius, quæ dicitur sibi conuenire per essentiam: hoc autem duobus adhuc modis contingere potest, vel quia subiectum est ipsamet natura totalis, & completa rei, quæ dicitur per essentiam conuenire, quomodo Deus dicitur esse ipsum esse, & bonitas ipsa per essentiam, quia scilicet Deus est ipsamet natura totius esse, totiusque bonitatis, continens in se totam vtriusque perfectionem; vel quia licet subiectum non sit ipsamet natura totalis, & completa illius rei, quæ dicitur per essentiam conuenire, illius tamen causa est, quomodo solet dici à Philosophis ignis esse calidus per essentiam, non quod ignis sit ipsa essentia caloris, sed quia ignis est per suam essentiam causa dimanatiua caloris, secundum totam plenitudinem caloris, & illud quod est tale per essentiam hoc vltimo modo, dicitur tale per essentiam causaliter, quod vero est tale per essentiam, primo modo dicitur tale per essentiam formaliter, quia non solum est causa illius rei, per quam aliquid denominatur tale per essentiam, sed est formaliter ipsamet natura illius rei ex quibus infero quod illud, quod est tale per essẽtiam quolibet ex istis duobus modis, debet esse id, in quod reducuntur cætera, quæ sunt tali a per participationem, tanquam in causam efficientem, quia illud, quod est tale per essentiam, quolibet ex illis modis, continet ea, quæ sunt talia per participationem fontaliter & originaliter, cum id in quo quælibet ratio reperitur secundum totam plenitudinem perfectionis suæ, sit primaria & fontalis origo ipsius.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus possit communicare alicui creaturæ virtutem creandi per modum causæ principalis.

§. I.

Resolutio quæstionis.

11. NOtandum est quæstionem procedere, non de facto, sed de possibili, certum est enim secundum fidem, quod solus Deus vniuersa creauit Genes. 1. & Eccles. 18. vbi hæc habentur. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, & in Concil. Lateran. quod refertur in cap. firmiter de summa Trinit. & fide Catholica, definitur *Deum ab initio temporis vtramque creaturam, temporalem scilicet & spiritalem condidisse*: ergo certa fide tenendum est, creaturam non concurrisse per modum causæ principalis ad creationem. Tota difficultas consistit, vtrum de potentia absoluta, talis virtus possit alicui creaturæ à Deo communicari.

Hoc posito prima sententia est Durandi in 2. distinct. 1. quæst. 4. asserentis, virtutem creandi posse creaturæ communicari, quantum ad aliquem particularem effectum, non

autem quantum ad omnes, quia cum inter eos, quælibet creatura comprehendatur, consequenter si daretur virtus creandi quoscumque effectus, daretur virtus ad creationem suipsius, quod implicat. Hæc sententia adscribitur etiam Gabrieli in 2. distinct. 1. quæst. 4. ad quam possent reduci antiqui illi Philosophi, qui putauerunt Deum creasse creaturam corporalem, mediis spiritualibus, si semel verum est, (sicut contendunt Palacius in 2. distin. 1. disp. 3. & Suares disput. 20. Metaph. sect. 1. num. 27.) illos antiquos Philosophos docuisse creaturas spirituales, fuisse causas creandi principales, quod tamen negare videtur D. Tho. 1. parte quæst. 45. art. 5. innuens eos solum tenuisse, creaturam spiritalem concurrisse per modum instrumenti ad creationem corporalium.

Secunda sententia communiter in scholis recepta est, non posse prædictam virtutem communicari creaturæ, plerique tamen eorum, qui sunt extra scholam D. Tho. contendunt, rationes quibus vsus est D. Tho. ad id demonstrandum 1. parte quæst. 45. art. 5. esse inefficaces. Ita Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 1. Vasquez. disp. 175. Valentia supra prædictum artic. D. Tho. & Suares disp. 20. Metaph. sect. 2. qui quidem duo postremi addunt, nullam hactenus rationem fuisse inuentam, quæ litem omnem prorsus dirimeret. Contendunt tamen communiter Thomistæ omnes supra prædictum artic. D. Tho. cum Capreolo in 2. distinct. 1. quæstione 3. & Ferrariensi 2. contra Gent. capite 21. rationes D. Tho. esse omnino efficaces, quas etiam vt tales, tanquam veri tanti Doctoris discipuli pro viribus propugnare conabimur.

§. II.

Examinatur prima D. Tho. Ratio, & obiectionibus in contrarium respondetur.

12. Prima ratio qua vtitur sanctus Doctor in illa quæst. 45. art. 5. art. 5. in Corp. potest sic in formam reduci.

Implicat, quod virtus illa, qua attingitur effectus per se correspondens causæ primæ, & vniuersalissimæ, quatenus tali, vt sic, possit alicui creaturæ communicari, taliter, quod creatura per eam attingat, per modum causæ principalis, effectum illum proprium causæ primæ & vniuersalissimæ: atqui vis creatiua attingit effectum causæ primæ & vniuersalissimæ proprium, & illi quatenus tali, vt sic, formaliter & per se correspondentem: ergo implicat quod talis virtus creatiua, possit vlli creaturæ communicari, ad hoc vt per eam agat per modum causæ principalis.

Maior videtur certa, quia causa constituitur formaliter in esse causæ per vim causatiuam: ergo implicat, quod vis causatiua, quæ constituit formaliter causam primam & vniuersalissimam in esse causæ primæ, & vniuersalissimæ, communicetur alicui rei, nisi communicetur etiam ei ratio causæ primæ & vniuersalissimæ: atqui si communicaretur alicui creaturæ vis ad attingendum per modum causæ principalis effectum, per se correspondentem causæ primæ & vniuersalissimæ vt sic, communicaretur ei vis causatiua causæ primæ & vniuersalissimæ vt sic, quia vis causa-

tiua, dicitur formaliter talis, per comparationem ad talem effectum, & consequenter vis causatiua causæ primæ & vniuersalissimæ vt sic, per ordinem ad proprium effectum, sibi quatenus tali correspondentem, hoc est vno verbo, per comparationem ad effectum primum & vniuersalissimum: ergo cum implicet communicari vlli creaturæ rationem causæ primæ, & omnium vniuersalissimæ, quia hoc esset, facere creaturam Deum, implicabit etiam communicari vlli creaturæ vim, ad attingendum per modum causæ principalis, effectum causæ primæ & vniuersalissimæ vt sic formaliter, & per se, correspondentem.

Quod autem vis creatiua, attingat proprium effectum causæ primæ & vniuersalissimæ, quæ est minor primi syllogismi probanda, Probatur sic, effectus proprius, & per se causæ primæ & vniuersalissimæ, est gradus entis vt sic, cum enim gradus entis vt sic, sit gradus omnium primus & vniuersalissimus, debet consequenter esse effectus proprius, & per se, causæ primæ, & vniuersalissimæ, vt qualis est ordo inter causas, talis sit inter effectus, (sicut ait D. Tho. 3. contra Gent. cap. 66. & quæst. 3. de pot. art. 4. in corp.) sed gradus entis vt sic est ille, quem tanquam effectum proprium, & per se sibi correspondentem, attingit vis creatiua: ergo vis creatiua attingit tanquam effectum proprium, illud, quod est effectus per se correspondens causæ primæ & vniuersalissimæ. Maior & consequentiæ sunt euidentes.

13. Probatur minor, quia terminus, qui opponitur formaliter termino à quo actionis alicuius, est ille, qui formaliter attingitur per virtutem productiuam talis actionis: sed illud, quod opponitur formaliter termino à quo creationis, est gradus entis vt sic, quia terminus à quo creationis, non est solum nihil seu negatio talis entis, sed negatio entis vt sic, & probatur, quia terminus à quo creationis, est ille, qui per se præsupponitur indispensabiliter ad creationem: atqui terminus à quo, indispensabiliter requisitus, & præsuppositus ad creationem, est negatio, non solum talitatis entis, sed entis absolutè vt sic; neque enim creatio fit ex negatione talis entis solum, verbi gratia Petreitatis, humanitatis, animalitatis, &c. sed ex negatione entis vniuersalissime sumpti, & vt ens se extendit ad omnes gradus, & rationes contentas in termino ad quem, producto ex vi creationis, fit enim ex nihilo prorsus termini ad quem: ergo cum terminus ad quem, qui opponitur formaliter termino à quo, & qui per se attingitur ab aliqua actione, sit ratio aliqua communis aliis rationibus, quæ attinguntur ab illa actione, terminus ad quem, qui per se opponitur termino à quo creationis, & qui per se attingitur ab ea, erit ratio entis vt sic vniuersalissima, tum quia sola illa non enti vt sic opponitur tum etiam, quia sola illa quibuscumque aliis rationibus contentis in termino ad quem creationis, potest esse communis; vnde sicut color, est ratio formalis, secundum quam potentia visiua fertur in aliquod obiectum, (vt insinuat D. Tho. quæst. illa 45. art. 4. ad 1.) quia sola ratio coloris potest esse communis omnibus rationibus, quæ à potentia visiua possunt attingi in obiecto: ita ratio entis, debet esse ratio formalis, secundum quam ex parte

termini, creatio attingit effectum suum, quia sola ratio entis vniuersalissime sumpta, est illa, quæ potest esse communis omnibus rationibus, quæ ex parte termini attinguntur à creatione.

Confirmatur ratione desumpta ex D. Tho. 2. contra Gent. cap. 21. ratione 1. Illud per se fit ex vi actionis, quod per se non præsupponitur ad actionem, sed ex vi illius ponitur, illud autem per accidens fit, quod ante actionem præsupponitur, vt si ex albo fiat nigrum, fit quidem nigrum & coloratum, sed nigrum per se, quia fit ex non nigro, coloratum vero per accidens, quia coloratum prius erat, cum album, ex quo fit nigrum, dicat rationem colorati: sed nihil prorsus entis præsupponitur ad creationem, quia creatio fit ex nihilo; ergo ens vt sic, est illud, quod fit formaliter per creationem: ergo terminus creationis, fiet solum per se & principaliter à Deo, qui est causa essendi simpliciter, non autem à creatura, quæ est solum causa essendi per accidens, & non per se; cum enim creatura, habeat solum esse determinatum, & non esse simpliciter, & vnumquodque agat in quantum est actu, creatura consequi ens vt sic per se attingere non poterit, sed solum per accidens.

14. Confirmatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore loco citato 1. parte ad 1. & 2. contra Gent. cap. 21. ratione 4. Illud quod est causatum secundum aliquam naturam, non potest fieri causa principalis respectu talis naturæ, secundum se, & absolutè consideratæ; alias idem posset esse causa sui ipsius, cum illud quod est causa alicuius naturæ absolute, possit illam vbicumque reperitur attingere; atque causare: sed omnis creatura habet naturam entis creati, causatam & participatam: ergo non potest fieri causa principalis respectu naturæ entis creati vt sic: sed si daretur alicui creaturæ vis ad creandum, per modum causæ principalis, daretur ei vis ad producendam naturam entis creati, vt sic: ergo implicat cōmunicari alicui creaturæ vim ad creandum: minor primi argumenti & vtraque consequentia patent. Probatur minor subsumpta: implicat, quod detur vis ad attingendum aliquid per modum causæ principalis, nisi detur etiam vis, ad attingendam rationem formalem termini, & effectus talis virtutis: sicut enim implicat communicari alicui vi ad videndum aliquod obiectum, nisi communicetur ei vis ad videndam rationem coloris, quæ est ratio formalis obiecti visus; ita implicat communicari alicui, vim ad producendum effectum, nisi communicetur ei vis ad producendam rationem formalem talis effectus, quatenus effectus ille, est terminus formaliter illius virtutis: ergo cum ratio formalis termini, & effectus creationis, sit ratio entis vt sic, implicabit communicari creaturæ vim ad creandum, nisi communicetur ei vis, ad attingendam & producendam rationem entis creati vt sic.

Quod autem implicet communicari creaturæ vim ad producendam rationem entis vt sic, quæ est maior primi syllogismi, euidens est, quia illud quod habet vim ad producendam aliquam naturam absolute potest illam producere, vbicumque reperiatur (vt ibi dictum est) sicut enim (vt in exemplo allato maneamus) potentia visiua potest attinge-

re colorem, vbicumque reperitur, quia color vt sic, est ratio formalis obiecti potentiæ visiuæ; ita quotiescumque aliqua natura absolute, est ratio formalis termini, & effectus alicuius virtutis, vbicumque reperiatur talis ratio, ibi poterit attingi & produci ab illa virtute: ergo si daretur creaturæ vis ad attingendam rationem entis creati vt sic, daretur etiam ei vis ad attingendam illam rationem vbicumque reperiretur, & sic cum in illa eademmet creatura, cui communicatur talis virtus, reperiatur ratio entis, illa creatura haberet vim producendi in seipsa rationem entis: ergo cum hoc implicet, implicabit etiam communicari vlli creaturæ vim ad creandum.

Confirmatur ex eodem loco secundo contra Gent. ratione 4. & quæst. 3. de pot. art. 4. modus operandi sequitur modum essendi: sed tam esse creaturæ, quam esse operationis eius, pendet essentialiter à subiecto, in quo de necessitate recipi debet, quia tam creatura, quam operatio eius habet esse receptum, & maxime operatio, quippe quæ accidens est: ergo debet etiam in ratione, & modo operandi, dependere essentialiter à subiecto, circa quod operatur, & in quo operatio eius recepta, educat postea ex eodem, terminum formalem, quem per se producit.

Dices cum Suare ex omnibus his rationibus non sequi, quod Deus non possit communicare alicui creaturæ vim creandi aliquas creaturas, quamuis ex iis optime inferatur, quod Deus non possit communicare creaturæ vim creandi omnia prorsus creabilia: tum quia inter creabilia, dantur infinita entia, quæ se excedunt in perfectione vsque in infinitum, ad quæ attingenda requiritur virtus infinita, quam implicat communicari creaturæ: tum etiam quia (vt in 2. confirmat. dictum est) cum inter creabilia, computetur & ipsa creatura, cui communicaretur illa virtus creandi, si daretur creaturæ vis creatiua ad omnia creabilia, daretur consequenter ipsi vis ad seipsam creandam, quod rursus implicat.

15. Confirmatur; quia si quæ esset ratio, quare Deus non posset communicare vim illam creandi aliquas creaturas, esset quia ratio entis vt sic, esset terminus formalis creationis cuiuscumque, quod tamen non est verum, si enim hoc verum esset, sequeretur, quod creatio Angeli, & creatio hominis, non distinguerentur specie, quod tamen falsum est, quia sicut termini distinguntur specie, ita & creationes, quæ terminantur ad diuersos illos terminos.

Respondeo falsum esse ex his rationibus solum sequi Deum non posse communicare vim creandi quodcumque creabile, non autem quod non possit communicare vim creandi aliquas creaturas in particulari. Et ad confirmationem, quæ est probatio illius sequelæ Respondeo concedendo sequelam maioris, & negando minorem: ad probationem respondeo verum esse, quod creatio Angeli, & creatio hominis sunt eiusdem speciei formaliter, quia vtraque habet eundem terminum formalem, rationem scilicet entis vt sic, sub qua attingit diuersos illos terminos, materialiter quidem, & in esse entis, non tamen in esse termini vt sic creationis formaliter & specie distinctos: vnde sicut visio albi & visio nigri, sunt eiusdem speciei formaliter, quia

vtraque actio habet eandem rationem formalem coloris, per quam attingit obiectum suum, licet quia vna attingit album, altera vero nigrum, distinguantur quodammodo inter se specie materiali: ita similiter, licet creatio Angeli & creatio hominis distinguantur inter se specie veluti materiali, quia vna tendit ad Angelum, qui distinguitur specie in esse entis, ab homine, qui est terminus alterius creationis; tamen quia creatio tam Angeli quam hominis, tendit & in Angelum, & in hominem sub ratione entis vt sic, propterea vtraque illa creatio est eiusdem speciei formaliter in esse creationis.

Instabis rursus, & dices, posse dari diuersas potentias generatiuas, inter se specie distinctas, sicut sunt potentia generatiua equi, & potentia generatiua leonis: ergo poterunt similiter dari diuersæ potentiæ creatiuæ, quarum vna per se terminabitur verbi gratia ad hominem, & altera ad Angelum.

16. Respondeo quod ratio quare potentia generatiua leonis, est distincta à potentia generatiua equi, est, quia potentia generatiua leonis, tendit per se ad producendum leonem ex non leone, & potentia generatiua equi, ad producendum equum, ex non equo: at vis creatiua & hominis & Angeli, per se tendit ad producendum, non Angelum ex non Angelo, nec hominem ex non homine, sed ad producendum per se ens, ex non ente, quamuis creatio Angeli se extendat etiam, vsque ad productionem Angeli, & creatio hominis, vsque ad productionem hominis, quia tam homo, quam Angelus, continentur sub ente, ratione cuius attinguntur per creationem, tanquam obiecta inadæquata illius, sicut à pari, attinguntur per diuersas intellectus nostri cognitiones, tanquam obiecta inadæquata illius & ratione entis, sub quo tanquam sub obiecto adæquato intellectus, & tanquam sub ratione formalis specificatiua ipsius continentur.

Obiicitur ex eodem Suare: non est vniuersaliter verum, omnem virtutem per se attingentem rationem aliquam entis in aliquo effectu, esse de se potentem vniuersaliter ad omnia attingenda, quæ sub tali ratione comprehenduntur: quod probatur, quia cum generatur triticum, non solum per se generatur triticum, sed etiam viuens, quia non præsupponitur per se ratio viuentis in terra, ex qua generatur, & tamen illud, quod habet potentiam ad generandum triticum, non habet potentiam ad generandum viuens, vbicumque illa ratio viuentis reperiatur; similiter quando potentia generatiua equi generat equum, non solum per se generat equum, sed etiam per se generat animal, quia generat non solum ex non equo, sed etiam ex non animali; cum in semine, ex quo educit equum, non supponatur ratio animalis; & tamen potentia generatiua equi, non habet vim ad generanda omnia animalia: ergo licet daretur, quod vis creatiua attingeret rationem entis vt sic, non tamen sequitur, quod quæcumque vis creatiua, habeat vim ad attingenda quæcumque creabilia, sed poterit fieri, quod detur aliqua vis, destinata ad creationem alicuius entis in particulari, quod tamen producere non possit alia vis creatiua, & sic poterit aliqua ex illis communicari creaturæ.

17. Respondeo primo nullam posse

dari

dari vim creatiuam, quæ per se non attingat rationem entis vt sic, quia debet semper attingere terminum suum ex nihilo, & ex negatione cuiuscumque rationis: ergo debet semper vis creatiua primas habere in attingentia termini sui, & nullam aliam virtutem præsupponere, quæ prius aliquid in termino suo attingat, & consequenter debet vis creatiua soli causæ primæ, & alteram non supponenti conuenire; & sic concesso anteced. debet negari consequentia.

Respondeo secundo quod in generatione tritici, non generatur viuens, aut triticum vt sic, à causa vniuoca, sed generatur solum à causa æquiuoca, quæcumque illa sit, siue sit cœlum, siue Angelus mouens ipsum, siue Deus; neque enim species vlla per se producitur ab altero eiusdem speciei, vt sæpius dicit D. Thomas & maximè quæst. illa 45. 1. parte art. 5. ad 1. & quæst. 3. de pot. art. 4. & alibi sæpius, alias idem posset seipsum producere. Et per hoc satisfit ad illud quod obiicitur de generatione animalis in generatione equi, dicimus enim quod per se non generatur ratio animalis, à potentia generatiua huius equi, sed à causa aliqua æquiuoca, quæ simul cum equo concurrit ad productionem alterius equi.

Respondeo tertio, dato quod non esset verum, quamcumque potentiam attingentem rationem aliquam communem, posse attingere rationes, quæ continentur sub ea, quando talis ratio communis est vniuoca, & præcisa præcisione propriè dicta ab inferioribus, (sol enim attingit gradum corporis in generatione rerum corporearum, & tamen non attingit omnia, quæ continentur sub corpore, in sententia saltem eorum, qui non tribuunt ei vitam,) tamen quando ratio illa communis, est transcendentalis, causa quæ per se attingit eam, debet etiam attingere omnia, quæ continentur sub ea, quia talis ratio non præscindit propriè ab eis, sed potius ingreditur quemcumque conceptum eorum, & sic cum ratio entis includatur per modum transcendentis in quibuscumque entibus, causa quæ per se attinget rationem entis vt sic, attinget etiam omnia creabilia. Adde nos non dixisse causam quæ fertur circa rationem aliquam communem, debere etiam ferri circa omnia, quæ continentur sub ea, sed debere ferri in prædictam rationem, vbicumque talis ratio reperiatur, quod quidem præstari potest, absque eo quod prædicta causa attingat gradus inferiores, contrahentes rationem illam communem.

Obiicitur si vis creatiua attingeret rationem entis vt sic, deberet etiam se extendere ad ens diuinum, & sic Deus posset subiici virtuti suæ creatiuæ, & creari à seipso.

18. Respondeo ens creatum vt sic, non autem ens abstractum à creato & increato, esse terminum creationis.

Et si dicas omnem rationem entis, quæ est in termino creationis, attingi per creationem, & consequenter rationem communem entis vt sic, in qua ens creatum conuenit cum increato, debere etiam per eam produci.

Respondeo quod illa ratio entis, secundum quam ens creatum dicitur conuenire cum increato, non est aliqua ratio vniuoca, abstrahens abstractione propriè dicta à creato & increato, sed est solum aliqua ratio

Kkk

analoga: vnde cum ratio analoga analogia proportionalitatis, qualis est illa, quæ est inter ens creatum & increatum in ratione entis, immediatè analogata significet, secundum quod habent aliquam proportionalitatem ad inuicem, propterea, vt ratio communis entis, quæ est in ente creato, dicatur attingi per creationem, sufficit, quod ens creatum, quatenus habet proportionalitatem cum ente increato, attingatur per creationem, non autem aliqua ratio communis entis, quæ sit absolutè, & simpliciter, supra rationem entis creati, & sic nihil erit absolute supra rationem entis creati, quod sit intra terminum creationis.

§. III.

Examinatur secunda ratio D. Thomæ, & obiectionibus in contrarium respondetur.

19. Secunda ratio qua vtitur Diuus Tho. in confirmationem huius veritatis, petitur ex eodem, art. 5. ad 2. & ad 3. quæ potest in formam sic reduci. Implicat, quod creatura possit habere virtutem agendi infinitam: sed si creatura, posset de potentia absoluta per modum causæ principalis creare aliquid, creatura haberet virtutem infinitam in agendo: ergo. Maior est certa, quia virtus in agendo infinita, potest soli Deo competere. Minor probatur, quia virtus tanto debet esse maior, quanto magis terminus à quo actionis recedit, & elongatur à termino ad quem illius: sed terminus à quo creationis in infinitum recedit & elongatur à termino ad quem illius; quia nihil, seu non ens simpliciter, infinite distat ab ente, quia non entis ad ens, nulla est prorsus proportio, aut distantia determinata, quippe quæ solum reperitur inter terminos positiuos: ergo virtus creandi, debet esse infinita; perfectio enim virtutis, non solum pensanda est, ex eo quod fit (vt optime notat D. Tho.) sed etiam ex modo, quo fit, & propterea posset accidere, quod virtus calefactiua, quæ produceret solum vnum, vel alterum gradum caloris in subiecto, vbi esset minor potentia & capacitas ad receptionem caloris, esset longe maior, atque perfectior, quam altera, quæ produceret calorem longe intensiorem in subiecto, vbi esset maior potentia, & capacitas ad eum, licet ergo ex termino ad quem creationis, præcisè secundum substantiam eius considerato, non possit colligi infinita virtutis creatricis perfectio, colligitur tamen euidenter ex modo, secundum quem talis terminus ad quem, ex vi creationis producitur, ex eo quod scilicet ex nihilo, seu ex nulla prorsus præsupposita potentia reali fiat.

Confirmatur eadem minor primi syllogismi, ratione petita ex artic. 4. quæst. 3. de pot. quia illa virtus, cuius actio, non est accidens, sed substantia, debet esse infinita: sed actio virtutis creatiuæ, non potest esse accidens, sed de necessitate debet esse substantia: ergo. Maior probatur, quia actio, quæ est substantia, est infinita; ergo cum perfectio virtutis, debeat mensurari ex perfectione actionis propriæ, virtus, quæ habebit actionem, quæ sit substantia, erit infinita. Probatur antecedens, quia implicat, quod duæ rationes, quarum altera est accidens, altera vero

substantia, adunentur in vno, nisi ratione alicuius formæ, eminenter continentis rationem substantiæ, & rationem accidentis, quotiescumque enim plures rationes, quæ in aliis diuisæ sunt, atque distinctæ, reperiuntur simul vnitæ, atque copulatæ, debet hoc necessario fieri, ratione alicuius formæ, eminenter continentis plures illas formas, à quibus illæ rationes profluunt, secundum quod sunt ad inuicem distinctæ, vt patet in anima rationali, in qua continentur rationes vegetatiui & sensitiui, quia anima rationalis continet eminenter & formam vegetatiuam, & formam sensitiuam: atqui substantia creata & accidens, considerata secundum proprias rationes substantiæ creatæ & accidentis, diuiduntur in diuersa prædicamenta: ergo si ratio competens substantiæ, & ratio competens accidenti, reperiuntur vnitæ ad inuicem, hoc erit necessario, ratione alicuius formæ substantialis, eleuatæ supra prædicamenta, tam substantiæ, quam accidentis: ergo cum forma substantialis, eleuata supra substantiam prædicamentalem, non possit esse altera, quam diuina, & infinita, (quia forma substantialis quæ est supra substantiam prædicamentalem, non potest esse potentia ad esse, sed debet esse suum esse, cum omnis substantia prædicamentalis, habeat potentiam ad esse) forma substantialis, quæ eminenter continebit in se, & rationem substantiæ, & rationem accidentis, erit forma diuina & infinita, & Deus: atqui actio, quæ est substantia, continet eminenter in se rationem substantiæ creatæ & accidentis, quia omnis actio est accidens, si consideretur secundum illum modum limitatum, secundum quem in creatis reperitur, ergo si actio vnitur & identificatur cum ratione substantiali, & sit substantia, debebit esse infinita & Deus.

20. Quod autem actio creationis, quæ est minor primi syllogismi, sit substantia, & non accidens. Probatur, quia omnis actio, quæ est accidens, pendet tam in modo essendi, quam in modo operandi à subiecto; cum enim de ratione accidentis sit, quod sit entis ens, & quod pendeat à subiecto implicabit, quod actio, quæ est accidens, non habeat suum esse dependenter à subiecto, & cum modus operandi, sequatur modum essendi, implicabit adhuc eandem actionem posse operari, nisi dependenter à subiecto, ex quo formam, seu terminum suum formalem educat: ergo cum creatio necessario, & essentialiter petat attingere terminum suum independenter à subiecto, implicabit creationem esse accidens, sed erit de necessitate substantia.

Confirmatur ex eodem ibid. quia actio illa est infinita, quæ nullum habet modum limitationis in agendo: atqui creatio nullum habet limitationis modum in agendo: ergo creatio est actio infinita. Maior est certa. Probatur minor, quia actio limitatur à potentia circa quam agit, sicut oppositum ab opposito suo, actio enim agit secundum modum, & capacitatem potentiæ, in quam agit, & ex qua educit terminum suum formalem, seu formam, quam producit: atqui creatio nullam supponit potentiam, ex qua agat, quia agit ex nihilo, & ex nullo prorsus præsupposito: ergo creatio nullum includit limitationis modum, sed est infinita simpliciter.

Confirmatur adhuc ex eodem in

eodem loco. Factum conformatur facienti: sed res facta per creationem, nullam præsupponit potentiam, ex qua fiat: ergo operans per creationem, nullam debet includere potentiam: ergo debet esse actus purus: ergo Deus: ergo implicat creaturam creare aliquid, per modum causæ principalis.

Obiicitur materia non præstat influxum infinitum: ergo poterit suppleri per aliquod creatum: ergo actio quæ producet independenter à materia, & à subiecto, non erit infinita, & sic vis creatiua poterit creaturæ, tanquam causæ principali communicari.

Respondeo, licet materia præstet influxum finitum, suppleri tamen non posse per actionem aliquam creatam, quia cum influxus ille, sit substantialis, si ille suppleretur per aliquam actionem, deberet talis actio esse substantia & infinita, vt ostensum est, & consequenter non potest talis influxus, inferens in actione hanc infinitatem, suppleri per actionem aliquam creatam, sed debet absolute talis actio, esse actio solius Dei, & non creaturæ.

Obiicitur debet iudicari de perfectione virtutis, conformiter ad terminum, qui fit per talem virtutem: ergo cum terminus factus per creationem, non sit infinitus, non requiritur absolute virtus infinita ad creandum.

21. Respondeo quod iudicatur de perfectione virtutis, non solum ex termino, qui fit, sed etiam ex modo, secundum quem fit à tali virtute, vt ostensum est; vnde cum modus secundum quem fit terminus creationis, sit infinitus, quia fit independenter à subiecto, & ex termino à quo, infinite remoto à termino ad quem, qui fit per creationem, debet consequēter virtus creationis esse infinita.

Obiicitur vbi est maior resistentia patientis deuicta à virtute actiua, ibi est maior & perfectior virtus actiua: sed virtus actiua agentis per eductionem, superat, & deuincit maiorem resistentiam, quam virtus creatrix, quia cum creatio nihil præsupponat, quippe quæ ex nihilo fit, nihil consequenter potest resistere, aut sese opponere influxui virtutis creatiuæ, vbi pleraque præsupponuntur vt plurimum obstacula, per actionem virtutis eductiuæ superanda, antequam suum imprimat effectum: ergo videtur maior vis actiua requiri in ea, quam in virtute creatiua, & sic si vna potest concedi creaturæ, poterit & altera.

Respondeo ex D. Tho. loco citato de pot. ad 16. Vbi respondet sub his terminis argumento facto ad 16. *dicendum, quod in actu potest attendi difficultas dupliciter, vno modo ex hoc quod patiens, resistit contra agentem, & hoc non est in omnibus generale, sed in iis solum, quæ mutuo agunt & patiuntur ad inuicem, in quibus agens patitur ex contraria actione patientis, & sic corpora cælestia, quæ contrarium non habent in agendo, non patiuntur difficultatem in agendo ex contraria actione patientis, multominus Deus: alio modo, qui generalis est, secundum quod patiens elongatur ab actu; quanto enim potentia, magis ab actu elongata inuenitur, tanto maior est difficultas in actione agentis: vnde cum magis elongetur ab actu purum non ens, quam materia cuicumq; contrario subiecta, quantumcumq; intenso, manifestum est, maioris esse virtutis, producere aliquid de nihilo, quam facere contrarium de con-*

trario. Hæc Diuus Thomas.

Et si dicas in generatione simplici verbi gratia vnius equi, equm fieri ex non equo, & consequenter eandem difficultatem reperiri in generatione, ac in creatione.

Respondetur quod licet in generatione equi, equis fiat ex non equo actu, fit tamen ex equo potentialiter, seu ex aliquo, quod est equus in potentia, cum fiat ex potentia materiæ, quæ potentialiter continet omnes formas materiales, quas recipit, & quibus cum vnitur ad faciendum compositum materiale.

Obiicitur vnumquodque tantum distat ab vno oppositorum, quantum participat de alio, tantum enim aliquid distat à nigro, quantum participat de albo: sed ens finitum, quod est terminus creationis, finitè participat naturam entis, quæ est opposita non enti: ergo terminus creationis, distat solum finitè à non ente: ergo cum educere aliquid in esse ex distantia finita, non arguat virtutem & potentiam infinitam, virtus creandi, quæ educit ex non ente, ens creatum, & finitum, non erit virtus infinita.

Respondeo ex D. Tho. loco cit. de pot. ad 2. vbi sic respondet huic argumento ad 2. *Dicendum quod nil prohibet aliquam distantiam imaginari infinitam ex vna parte, & ex alia finitam, ex vtraque autem parte infinitam imaginamur distantiam, quando vtrumque oppositorum ponitur infinitum, puta si sint calor & frigus infinita; ex parte autem altera, quando alterum est finitum, sicut si calor esset infinitus, & frigus finitum: distantia ergo infiniti entis, à non esse simpliciter, est infinita ex vtraque parte, distantia autem entis finiti à non esse simpliciter, est infinita ex vna parte tantum, ex parte scilicet non entis, & nihilominus requirit potentiam infinitam agentem.* Hæc ille.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus possit assumere creaturam vt instrumentum ad creandum.

§. I.

Resolutio quæstionis.

22. POstquam determinatum est, creaturam non posse per modum causæ principalis concurrere ad creationem, examinandum est iam, vtrum saltem possit instrumentaliter ad eam concurrere. Pro quo

Notandum est primo quæstionem procedere de instrumento Physico, non de instrumento morali: certum est enim quod creatura potest assumi à Deo, vt instrumentum morale creationis, nec vllus est, qui hoc in dubium vertere possit, cum nulla sit contradictio, vel implicantia, quod Deus assumat orationem, v. g. sancti Pauli, vt instrumentum morale ad creandum Angelum, ita quod, Diuus Paulus impetret à Deo, oratione sua, creationem illius.

Notandum est secundo, supposito quod quæstio procedat de instrumento Physico, posse adhuc titulum quæstionis intelligi duobus modis, vel de instrumento Physico naturali, vel de instrumento Physico, supernaturaliter ad creationem concurrente. Titulus quæstionis non intelligitur de instrumento Physico primi generis: nam quamuis Auicenna quarto suæ Metaphysicæ, Algazel, & Gnostici tenuerint Deum ex necessitate naturæ ope-

operari, & producere primam intelligentiam, & per hanc, tanquam per instrumentum naturale, creare secundam, & substantiam orbis & animam ipsius; substantiam vero orbis creare materiam inferiorum corporum; tamen nullus est catholicorum, qui non reiiciat hanc Philosophorum sententiam, tanquam principiis fidei omnino contrariam, ex qua (ait D. Tho.) idololatria videtur originem suam sumpsisse, cum per eam inducti fuerint homines ad exhibendum cultum latriæ creaturæ, tanquam naturali creatrici: vnde tota difficultas procedit de instrumento secundi generis, vtrum scilicet possit creatura assumi à Deo, tanquam instrumentum supernaturale ad creationem, circa quod prima sententia est Magistri in 4. distinct. 5. Durandi in 2. distinct. 1. quæst. 3. & Gabrielis in 4. distinct. 1. quæst. 1. & aliorum affirmatiuam tenentium.

Secunda sententia communiter in scholis recepta, est negatiua. Ita D. Tho. 1. parte quæst. 45. art. 5. quæst. 3. de pot. art. 4. 2. contra Gent. cap. 21. & alibi sæpius.

23. Probatur primo hæc sententia omnibus argumentis, quibus superiori quæstione ostensum est implicare, quod creatura possit concurrere, vt causa principalis ad creationem, omnia enim illa, demonstrant etiam implicare, quod possit ad eam concurrere tanquam causa instrumentalis. Implicat enim, quod creatura possit non solum principaliter, sed etiam instrumentaliter producere ens, vt ens est, quia si posset instrumentaliter producere ens vt sic, posset & seipsam instrumentaliter producere, quod implicat. Item cum actio creationis, sit infinita, sit substantia, & non accidens, sit ex nullo præsupposito subiecto, vt probatum est ibidem, & implicet quod creatura vlla possit, etiam instrumentaliter, elicere actionem vllam, quæ sit, vel infinita, vel substantia, vel ex non præsupposito subiecto, quia omnis actio, ad quam tam instrumentaliter, quam principaliter concurrit creatura, est accidens: implicabit consequenter ex illis omnibus capitibus, & ex aliis ibidem relatis, creationem instrumentaliter elici à creatura. Restat ergo solum examinanda aliqua ratio, qua vtitur D. Tho. locis citatis & præsertim loco commemorato 1. parte quæ à quibusdam scholæ D. Tho. extraneis, tanquam inefficax reiicitur, sed vis & energia eius declaratur, eam reducendo in formam.

Quando agens principale agit mediante instrumento, non attingit actionem suam, nec effectum per eam productum, nisi præsupposita actione instrumenti, quæ dispositiue concurrat ad actionem agentis principalis, & ad effectum per eam productum: atqui agens per creationem nihil potest præsupponere, quod dispositiue concurrat ad productionem effectus sui: ergo. Maior est certa, & probata fusè à Complut. N. in Phys. disput. 12. quæstio. 2. Minor autem probatur, quia creatio fit ex nullo prorsus præsupposito: ergo effectus per creationem productus, non debet supponere aliquam actionem, per quam dispositiue attingatur, quod probo: quia si effectus creationis attingeretur dispositiue per actionem aliquam præuiam creationi, attingeretur secundum aliquid sui prius quam per creationem attingeretur, deberet enim aliquid sui correspondere actioni illi præuiæ: ergo

quando postea ille idem effectus attingeretur, quatenus est terminus creationis, & agentis principalis, attingeretur ex aliquo præsupposito sui, & non secundum se totum, & sic illa actio esset creatio ex suppositione, & tamen non esset creatio, quia actio quæ producit effectum ex aliquo præsupposito talis effectus, non est creatio.

Dices non implicare, quod creatio supponat aliquam actionem præuiam, dispositiue concurrentem ad effectum creationis: etenim anima rationalis fit per creationem, & non per eductionem, & tamen productio animæ rationalis, supponit materiam dispositam, priusquam producatur, cum non infundatur corpori, nisi prius materia sit disposita: ergo non est contra rationem creationis, quod supponat aliquam actionem præuiam, dispositiue concurrentem ad effectum principalis agentis.

24. Respondeo quod creatio animæ rationalis, supponit quidem actionem agentis creati, quæ concurrat actiue ad dispositionem materiæ, in qua debet recipi anima rationalis, non tamen quæ actiue ad ipsam animæ rationalis productionem concurrat, & consequenter creatio nunquam supponit actionem, quæ dispositiue concurrat ad creationem, & ad opus per eam productum vt sic. Hæc solutio desumpta est ex D. Tho. quæst. 3. de pot. artic. 4. ad 7. vbi sic loquitur. *Quia tamen aliqua forma naturalis est, quæ per creationem in esse producitur, scilicet anima rationalis, cuius materiam natura disponat; ideo sciendum est, quod cum creationis opus materiam tollat, dupliciter aliquid creari dicitur: nam quædam creantur nulla materia præsupposita, nec ex qua, nec in qua, sicut Angeli & corpora cælestia, & ad horum creationem, natura nihil operari potest dispositiue: quædam vero creantur, etsi non præsupposita materia, ex qua sunt, præsupposita tamen materia, in qua sunt, vt anima humana; ex parte ergo illa quæ habent materiam in qua, natura potest dispositiue operari, non tamen quod ad ipsam substantiam creati naturæ actio se extendat.* Vbi sanctus Doctor, concedit (vt vides) actionem illam quæ præsupponitur ad creationem animę rationalis concurrere quidem actiue ad disponendam materiam, in qua debet talis anima recipi, non tamen ad ipsius animæ rationalis productionem: vnde cum actio instrumentalis, quæ concurrit dispositiue ad effectum principalis agentis, debeat etiam influere in prædictum effectum, non poterit vnquam assumi aliquod instrumentum ad opus creationis.

Quod autem actio præuia instrumenti, quæ concurrit dispositiue ad effectum principalis agentis, influat etiam in prædictum effectum, euidens est, primo quia actio illa instrumenti, quæ dispositiue concurrit ad effectum principalis agentis, modificat & determinat talem effectum: quis enim dicat, quod gratia producta per aquam baptismi, non habeat aliquam modificationem, quam non habet gratia immediatè producta à Deo? Certè nullus potest de hac re dubitare, nam gratia baptismalis, habet referri realiter ad aquam hanc, per quam producta est, ad quam tamen non refertur gratia immediatè producta à Deo, vel quæ est producta per aliud instrumentum: ergo debet instrumentum determinare sibi aliquam realitatem in effectu princi-

palis agentis, ratione cuius referatur effectus formaliter ad hoc instrumentum, ad quod non refertur alia gratia, quæ est producta, vel per aliud instrumentum, vel immediatè à Deo, sine ministerio vllius instrumenti.

Secundo, quia actio quæ attingit media, quatenus sunt media ad aliquem finem consequendum, attingit etiam & ipsam finis consecutionem: vnde cum dispositiones sint media ad consecutionem illius rei, ad quam disponunt, illa actio quæ attinget dispositiones ad aliquem effectum, attinget etiam & huiusmodi effectum. Ex quo potest efficax ratio in confirmationem nostræ conclusionis elici: nam cum media sint aliquid ipsius termini, ad quem conducunt, dispositiones consequenter ad aliquem effectum, erunt aliquid illius effectus, ad quem disponunt: ergo cum creatio fiat ex nullo prorsus sui præsupposito, implicabit creationem fieri, præsupposita aliqua actione, dispositiue ad effectum suum (quatenus talem formaliter) concurrente.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obiicitur, licet actio instrumenti naturalis, concurrat dispositiue ad effectum principalis agentis, non tamen actio instrumenti supernaturalis, cum enim actio eius sit naturalis, & aliquid merè naturale efficiat, non poterit consequenter aliquid efficere, quod disponat ad effectum agentis supra naturam; cum naturale disponere non valeat ad id, quod est supra naturam: atqui si Deus assumeret aliquam creaturam, tanquam instrumentum ad creationem, creatura illa non esset instrumentum naturale, sed instrumentum supernaturale, eo modo quo instrumenta, quibus vtitur ad facienda aliqua miracula, verbi gratia ad reddendum visum cæco, dicuntur supernaturalia: ergo non esset necesse, si Deus assumeret creaturam, tanquam instrumentum ad creationem, illam dispositiue ad opus creationis concurrere.

25. Respondeo, illud quod attingitur per actionem illam præuiam instrumenti, considerari posse duobus modis, primo secundum quod correspondet instrumento, vt non eleuato per motionem agentis principalis; secundo quatenus correspondet instrumento, vt eleuato per prædictam motionem. Si consideretur primo modo, certum est, illud non posse dispositiue concurrere (saltem positiue) ad effectum principalis agentis, si autem consideretur secundo modo, poterit tunc dispositiue concurrere, quia tunc consideratur res illa, quæ sic attingitur per præuiam illam actionem, vel secundū quod eleuatur per aliquid supernaturale, & eiusdem ordinis cum effectu principali, (sicut accidit in sacramentis, & aliis instrumentis, quæ concurrunt ad aliquem effectum, qui sit quoad substantiam supernaturalis;) vel saltem secundum potentiam eius obedientialem, per quam, si nihil positiuum ordinis superioris recipiat, obedientialiter saltem ad effectum principalem disponet, sicut accidere potest in instrumentis, quæ concurrunt ad effectum supernaturalem solum quoad modum,

dum, ſicut eſt reſtitutio viſus in cæco, & reſurrectionis mortuorum. Dixi autem, niſi res illa, quæ attingitur per actionem præuiam inſtrumenti, tanquam diſpoſitio ad effectum, recipiat aliquid poſitiuum ordinis ſuperioris, quia valde probabile eſt, ſi non omnino certum, quod tale poſitiuum recipit; quia cum actio inſtrumenti deferat virtutem agentis principalis ad effectum principalem, & non deferat eam, niſi mediante proprio effectu ſibi correſpondente, debet conſequenter talis effectus (quatenus eſt diſpoſitio ad effectum principalem) eleuari; vt inſtrumentum poſſit per eum virtutem agentis principalis ad effectum principalem deferre.

Reſpondeo ſecundo quod effectus principalis, conſideratus ſecundum id, quod habet, quatenus correſpondet inſtrumento, præcedit ſeipſum, conſideratum ſecundum id, quod habet, quatenus correſpondet principali agenti; cum enim agens principale, non attingat eum niſi mediante inſtrumento, illud quod correſpondet inſtrumento ex parte effectus, prius erit in executione, quam illud, quod correſpondet agenti principali: vnde licet illud, quod attingitur ante effectum principalis agentis per actionem præuiam inſtrumenti, non eſſet diſpoſitio ad talem effectum (quod tamen non eſt concedendum) tamen illud, quod correſpondet inſtrumento in effectu principali, debet habere rationem diſpoſitionis ad illud, quod correſpondet agenti principali, & actioni eius vt ſic, quod ſufficit ad hoc, vt creatura non poſſit concurrere, tanquam inſtrumentum ad creationem, cum creatio debeat ex nihilo, & ex nullo præſuppoſito ſuum effectum attingere.

Obiicitur conſecratio corporis Chriſti, & iuſtificatio impij, ſunt opera longe excellentiora opere creationis, & tamen poteſt creatura ad prædicta opera concurrere, per modum inſtrumenti: ergo multo magis ad opus creationis.

26. Reſpondeo non denegari creaturæ vim inſtrumentalem ad creandum, propter nimiam excellentiam operis facti per creationem, ſed propter implicantias allatas à nobis.

Reſpondeo ſecundo quod licet quantum ad ſubſtantiam facti, opera iuſtificationis, & conſecrationis, ſint longe præſtantiora opere creationis, tamen quantum ad modum fiendi, opus creationis excedit ea, quia opus creationis fit ex nullo præſuppoſito, non autem prædicta opera. Vide D. Tho. 1. ſecundæ quæſt. 113. art. 9. in Corp. & ad 3.

Obiicitur oppoſitorum eſt eadem ratio: ſed creatura poteſt concurrere inſtrumentaliter ad annihilationem, quæ opponitur creationi: (ſicut enim creatio eſt productio totius entis, ita annihilatio, eſt totius entis corruptio:) ergo poterit etiam creatura inſtrumentaliter concurrere ad creationem. Maior & conſequentia conſtant. Probatur minor, quia in conſecratione, annihilatur tota ſubſtantia panis, nihil enim prorſus ſubſtantiæ panis in ea remanet, ſed tam forma, quam materia eius deſinunt: ergo ibi eſt vera annihilatio panis.

Reſpondeo in conſecratione non eſſe annihilationem panis, ſed potius conuerſionem totius ſubſtantiæ ipſius in corpus Chriſti, ad annihilationem enim alicuius, requiritur

quod ex vi illius actionis, per quam aliquid annihilatur, aliud non producatur, cum debeat annihilatio terminari ad non esse simpliciter, sicut creatio ad esse simpliciter.

Respondeo secundo concedendo maiorem, quando cætera sunt paria, at in creatione & annihilatione non sunt cætera paria, quantum ad hoc, quod creatura possit instrumentaliter assumi ad quamlibet ex illis operationibus: nam in creatione nullum supponitur subiectum, in quo possit recipi creaturæ actio, quæ est essentialiter accidens, bene autem in annihilatione; & sic licet daretur posse assumi creaturam, vt instrumentum à Deo, ad annihilationem, non tamen ad creationem.

27. Respondeo tertio cum Bannesio 1. parte quæst. 45. art. 5. dub. in 2. conclusionem excitato, responsione ad 5. & 7. & ex Ledesma de perfect. diuin. quæst. 11. art. 4. vbi ex professo tractat hanc quæst. creaturam non posse instrumentaliter concurrere ad annihilationem, in qua sent. videtur esse expresse D. Tho. 3. parte quæst. 13. art. 2. vbi ait, quod sicut solus Deus potest creare, ita solus etiam potest annihilare, & propterea negat quamlibet ex illis virtutibus, reperiri in humanitate Christi, licet concedat in ea vim ad quæcumque opera miraculosa patrāda. Vide eum quæst. 5. de pot. artic. 3. ad 15. ratio autem quare non possit talis virtus creaturæ communicari, potest peti ex eodem Doctore Angelico 1. parte quæst. 104. art. 3. ad 3. vbi dicit; *Annihilationem fieri per desitionem ab actione, qua Deus conseruat res in esse, non autem per actionem positiuam, cum omnis actio positiua terminetur ad esse*: ergo cum de ratione instrumenti sit, quod exerceat aliquam operationem circa illud, respectu cuius instrumentaliter concurrit, non autem quod desinat operari circa illud, videtur omnino esse contra rationem instrumenti, quod concurrat instrumentaliter ad annihilationem.

Ex iis, quæ dicta sunt per totam hanc disputationem, facilis est illius quæstionis resolutio, in qua quærunt aliqui, vtrum creatio sit motus.

Dico enim quod creatio potest sumi vel actiue, vel passiue; si actiue, certum est, eam nec motum, nec mutationem esse posse, quia creatio hoc modo sumpta, est ipsamet actio Dei, manens formaliter in Deo, licet virtualiter transeat, ratione scilicet termini ad extra producti, vnde cum in Deo nec motus, nec mutatio reperiri possit, non poterit consequenter creatio hoc modo considerata esse motus, vel mutatio; si autem sumatur secundo modo, dico adhuc eam secundum istam considerationem, rationem motus aut mutationis habere non posse, quia in motu aut mutatione, debet interuenire subiectum, quod se habeat nunc aliter ac prius, & consequenter debet de facto subiectum pro aliquo priori durationis supponi priuatum forma illa, per quam dicitur mutari; vnde cum creatio sit ex nullo præsupposito subiecto, non poterit consequenter habere rationem motus, aut mutationis. Igitur creatio passiue sumpta, nihil erit aliud, quam ipsamet creatura, considerata secundum relationem transcendentalem, quam dicit vt effectus ad Deum, quatenus fit ab eo, ex nullo præsupposito subiecto; ex qua relatione transcendentali, resultat postea, tanquam ex fundamento, relatio realis prædicamen-

talis, qua creatura realiter refertur ad Deum, tanquam effectus ad suam causam. Vide D. Tho. 1. parte quæst. 45. art. 3. de pot. quæst. 3. art. 2. & 2. contra Gent. cap. 17.

DISPVTATIO XVIII.

DE DEO VT GVBERNATORE.

1. POST considerationem Dei, quatenus res in esse producit per creationem, considerandum est de illo, quatenus res in finem perducit, quod ad gubernationem pertinet, de qua D. Tho. 1. parte quæstione 103.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus omnia immediate gubernet.

§. I.

Resolutio quæstionis.

NOtandum est primo cum D. Tho. 1. parte quæst. 103. art. 1. tanquam certum & indubitatum, creaturas à Deo gubernari, quod apparet ex duobus, primo ex ipsis rebus: nam (vt ait Aristoteles 12. Metaph. textu 52.) sicut si quis intraret domum bene ordinatam, ex ipsa domus ordinatione, statim ordinatoris rationem perpenderet; ita ex ipsa rerum huius vniuersi ordinatione, statim gubernatorem earum colligere licet. Secundo idem apparet ex diuinæ bonitatis consideratione, per quam res in esse productæ sunt, cum enim sit optimi, optima producere, non conuenit summæ Dei bonitati, quod res à se productas, ad perfectum non perducat: ergo cum perfectio vniuscuiusque consistat in consecutione finis, pertinebit ad diuinam bonitatem, vt sicut res in esse produxit, ita etiam eas ad finem perducat, quod est eas gubernare.

Notandum est secundo ex eodem D. Tho. ibid. art. 6. in Corp. in gubernatione duo posse considerari, rationem scilicet gubernationis, quæ est ipsa prouidentia, & executionem prædictæ rationis; quantum attinet ad primam gubernationis rationem, certum est Deum immediatè omnia gubernare, neque enim Deus habet mediante aliquo extrinseco, rationes prudentialiter moderandi hoc vniuersum, sed eas per seipsum & à seipso in intellectu suo, & in infinitis thesauris suis reclusas continet, per quas res omnes, non solum in vniuersali: sed sub qualibet etiam particularitate practicè cognoscit; vnumquodque

enim secundum sui optimum, tribuendum est Deo; vnde cum optimum in ratione, seu cognitione practica (qualis est ratio gubernandi) in hoc consistat, quod particularia cognoscantur, quia actio versatur circa particularia, (& propterea optimus medicus dicitur esse, qui non considerat sola vniuersalia, sed qui potest etiam considerare minima particularium,) concedendum est consequenter Deum omnium particularium, vel etiam minimorum gubernationis in se rationes continere, & hoc non mediante aliquo extrinseco, alias non contineret modo optimo, & perfectissimo, sed immediatè, & independenter à quocumque alio, pro quo poteris videre Caietan. 1. parte quæst. 103. art. 6. & Ferrariensem 3. contra Gent. cap. 77. in expositione rationis primæ. Quantum autem attinet ad gubernationem secundo modo consideratam, vtrum scilicet Deus exerceat regimen suum circa creaturas immediatè, an mediis aliis creaturis, est id, quod quæritur in præsenti.

2. Prima conclusio. Deus non exercet immediatè regimen suum circa creaturas, saltem circa aliquas, sed eas mediis causis secundis gubernat. Ista conclusio est communiter recepta, & expressa D. Tho. 1. parte qu. 103. art. 6. & 3. contra Gent. c. 77.

Probatur ratione desumpta ex loco citato 1. partis: optimus modus gubernandi hoc vniuersum, debet Deo concedi: atqui optimus modus illud gubernandi, est, quod aliquas creaturas beneficio aliarum gubernet, ergo. Maior est certa, quia vt statim ex S. Doctore relatum est, vnumquodque secundum id quod optimum est in eo, tribuendum est Deo. Minor autem probatur, quia cum per gubernationem, res quæ gubernantur, sint perducendæ ad perfectionem, tanto melior erit gubernatio, quanto maior perfectio communicabitur à gubernante rebus gubernatis: at maior est perfectio, quod aliquid sit non solum bonum in se atque perfectum, sed etiam quod sit aliis causa bonitatis atque perfectionis: ergo perfectissimus hoc vniuersum gubernandi modus, erit ille, quo ita creaturæ gubernabuntur à Deo, vt non solum sint in se ipsis perfectæ, sed etiam sint aliis causa perfectionis & bonitatis, & sic cum Deus perfectissimo modo moderetur hoc vniuersum, creaturas aliquas per alias ad finem perfectionemque perducet.

Probatur secundo alia ratione petita ex eodem S. Doctore loco citato 3. contra Gent. valdè conueniens est, quod Deus vtatur modo aliquo gubernandi creaturas, quo perfectionem virtutis suæ actiuæ declaret atque manifestet: atqui quod Deus creaturas aliquas aliarum beneficio moderetur, declarat per hoc perfectionem virtutis suæ actiuæ: ergo: maior est certa: minor probatur quia quanto virtus alicuius agentis est fortior, tanto in magis remota, & per plura media suam operationem extendit, vt patet in igne, qui tanto maioris virtutis est, quanto remotiora & plura corpora intermedia calefacit: ergo vt Deus in regimine huius vniuersi vim virtutis suæ manifestam faciat, debet creaturas aliquas aliarum interuentu regere atque gubernare.

Confirmatur ex eodem ibidem: *Ad dignitatem regentis pertinet, vt habeat multos ministros, & diuersos regiminis sui executores, quia tantò altius &*

magis dominium suum ostenditur, quanto plures in diuersis gradibus ei subduntur: nulla autem dignitas alicuius regentis, est comparabilis dignitati diuini regiminis, conueniens igitur est, quod per diuersos gradus agentium, fiat diuina prouidentia executio.

3. Secunda conclusio. Per creaturas intellectuales aliæ gubernantur à Deo. Ista conclusio est D. Tho. 3. contra Gent. cap. 78. & 1. parte quæ. 110. art. 1. & quæst. 106. art. 4.

Probatur ratione desumpta ex prædictis locis. Rectus gubernationis ordo postulat, vt inferiores creaturæ, per superiores regantur atque gubernentur: ergo cum creaturæ intellectuales, sint supremæ inter creaturas, rectus gubernationis ordo postulabit, vt cæteræ creaturæ gubernentur per eas. Consequentia est euidens. Antecedens autem est Dionysij cap. 5. cœlest. Hierarchiæ & D. Tho. plerisque in locis sed maxime 1. parte quæst. 112. artic. 2. in Corp. & quæst. 110. art. 1.

Confirmatur, quia de ratione boni est, quod sit diffusiuum sui, & quod propriæ perfectionis sit aliis communicatiuum: ergo quanto magis aliqua participabunt de perfectione atque bonitate, tanto magis inclinabuntur, ad diffundendam propriam bonitatem & perfectionem in inferiora (secundum capacitatem tamen inferiorum:) ergo cum rectus ordo fundetur in naturis rerum, rectus ordo postulabit, vt per superiores creaturas, Deus diffundat in inferiores participationem bonitatis, & perfectionis suæ, & sic cum gubernare, sit reducere res gubernatas ad perfectionem, rectus gubernationis ordo postulabit, vt per superiores creaturas, inferiores regantur atque gubernentur à Deo.

Confirmatur. Nam virtutes particulares, natæ sunt gubernari & moueri ab vniuersalibus, vt patet in omnibus: potestas enim præsidis particularis, à parlamento, parlamentum vero à potestate regia gubernatur, & in ordine naturali potentiæ sensitiuæ, quæ versantur circa singularia, reguntur ab intellectu & voluntate, quæ respiciunt rationes vniuersales. Item Angeli superiores, à quibus illuminantur inferiores, cognoscunt per species magis vniuersales, quam inferiores, vt docet D. Tho. 1. parte quæst. 55. art. 3. & quæst. 108. art. 1. ergo cum creaturæ intellectuales habeant potentias magis vniuersales, quam cæteræ creaturæ, (harum enim potentiæ, vt pote materiales circa singularia solum sunt) per creaturas intellectuales, cæteras moderabitur Deus.

Probatur secundo ratione qua vtitur sanctus Doctor 3. contra Gent. c. 78. *Creatura, quæ exequitur diuinæ prouidentiæ ordinem, hoc habet inquantum participat aliquid de virtute sibi prouidentis, sicut instrumentum non mouet, nisi in quantum per motum participat aliquid de virtute principalis agentis: quæ igitur magis de virtute diuinæ prouidentiæ participant, sunt executiua diuinæ prouidentiæ in illa, quæ minus de ea participant: nam cum ad prouidentiam requiratur dispositio ordinis, quæ fit per cognoscitiuam virtutem, & executio, quæ fit per operatiuam, & creaturæ rationales participent vtramque virtutem, reliquæ vero creaturæ virtutem operatiuam tantum, per creaturas rationales omnes aliæ creaturæ sub diuina prouidentia regentur.*

Probatur tertio ex eodem ibidem.

Cuicumque à Deo datur aliqua virtus, datur ei in ordine ad effectum ipsius virtutis, sic enim omnia optime disponuntur, dum vnumquodque ordinatur ad omnia bona, quæ ex ipso nata sunt prouenire, virtus autem intellectiua, de se est ordinatiua & regitiua virtutis operatiuæ; vnde videmus quod quando coniunguntur in eodem, virtus operatiua sequitur regimen virtutis intellectiuæ; sicut in homine videmus, quod ad imperium voluntatis, mouetur membrum, idem etiam apparet, si in diuersis existant: nam illi homines qui excedunt in virtute operatiua, oportet quod dirigantur ab illis, qui in virtute intellectiua excedunt: exigit igitur diuinæ prouidentiæ ratio, quod creaturæ aliæ per intellectuales regantur.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

4. OBiicitur, melius est aliquid fieri per vnum quam per multa, si hoc sit possibile: sed Deus potest absque mediis causis omnia per seipsum solum gubernare: ergo, &c.

Respondeo melius quidem esse, aliquid fieri per vnum imperatiuè, quam per multa, (melius est enim quod sit vnus solum imperator, aut moderator quam plures) sed executiue, melius est aliquid fieri per plura, quam per vnum solum, tum quia dignitas imperantis relucet in diuersitate ministrorum exequentium mandata eius, vt supra ex D. Tho. relatum est: tum etiam quia quando plures illæ causæ, quæ concurrunt ad executionem, concurrunt secundum id totum, quod habent, in virtute causæ alicuius supremæ, à qua participant totam vim suam actiuam, tunc magis relucet in eis perfectio illius causæ supremæ, quam si prædictam vim actiuam non haberent, quia in eo casu, non solum relucet in eis perfectio, quam habet causa illa suprema in ordine essendi, sed etiam ea, quam habet in ordine causandi: vnde licet verum sit, quod Deus in prima rerum productione creaturas, non per alias, sed immediatè produxerit, quia debuerunt secundum se totas produci, & consequenter per creationem fieri; tamen supposita illa prima productione, conuenientius longe videtur, quod Deus mediis causis secundis producat & gubernet creaturas, quæ possunt hoc modo produci, atque gubernari, quam si immediatè per seipsum eas produceret atque gubernaret.

Obiicitur nihil imperfectum & deficiens, est ponendum in Deo: at videtur pertinere ad defectum gubernatoris, quod mediantibus aliquibus gubernet; ideo enim Rex terrenus in moderamine regni sui ministris vtitur, quia per seipsum non est sufficiens ad omnia regni sui negotia peragenda: ergo

Respondeo primo ex D. Tho. prima parte quæst. 103. art. 6. ad 3. non solum ex imperfectione & insufficientia Regis terreni esse, quod habeat multos sub se ministros, & executores suæ gubernationis, sed etiam hoc ad dignitatem eius regiam pertinere, ordine enim ministrorum potestas regia præclarior redditur, & propterea etiamsi Rex, esset per seipsum sufficiens ad quæcumque negotia regni sui peragenda, tamen dignitatis eius esset, aliquos sub se constituere, qui regiminis sui essent

executores.

Respondeo secundo, quod quando gubernator moderatur, & gubernat mediantibus aliis, accipiendo ab eis vel rationem, vel vim aliquam gubernandi, tunc hoc arguit imperfectionem in gubernante; sed quando gubernator gubernat mediantibus aliis, tribuendoq eis totam vim & rationem gubernandi, quam possunt habere, sicut facit Deus creaturis, mediis quibus alias moderatur, tunc tantum abest, quod hoc arguat imperfectionem aliquam in gubernante, quin potius in hoc resplendet summa eius perfectio.

Obiicitur ex D. Tho. 1. parte quæ. sæpius cit. art. 3. mundus ab vno solo gubernatur: ergo Deus non gubernat creaturas per alias, essent enim non vnus, sed plures huius vniuersi moderatores.

Respondeo quod D. Tho. plures solum excludit moderatores vniuersi supremos, quorum vnus non subsit alteri, non autem plures moderatores, inter quos vnicus sit supremus, à quo cæteri secundum omnem vim gubernandi dependeant, omnes enim illi, qui dominio huius supremi subiiciuntur, non tam gubernatores, quam ministri, & executores gubernationis eius dicuntur.

Ex his possumus colligere impossibile esse, quod aliquid fiat in hoc vniuerso, præter ordinem diuinæ gubernationis; licet enim aliquid possit exire ab ordine diuinæ prouidentiæ, gubernationisque eius, secundum quod Deus exequitur regimen suum per aliquam causam particularem, tamen eadem res in eundem prouidentiæ diuinæ gubernationisque ordinem relabitur, secundum quod exequitur eam per causam secundam. Vide D. Tho. 1. parte quæ. sæpius cit. art. 7. & quæst. 22. art. 2. in cap. & ad 1.

Respondeo in hoc recurrendum esse ad naturam luminis, vel certe dicendum est, quod lumen existens in sole, est diuersæ rationis, quantum ad modum, à lumine aëris, quia numquam potest esse dispositio in aëre ad formam solis, nec vniri cum ea (vt accidit lumini solis) quamuis tamen quantum ad substantiam, vtrumque lumen sit eiusdem speciei & rationis: & ex illo excessu perfectionis quem habet lumen in sole, habet lumen aëris receptum à lumine solis, pendere ab eo, & in fieri, & in conseruari: vel tertio potest responderi quando dicit D. Tho. effectum, qui est eiusdem rationis cum causa, non pendere ab ea in conseruari, intelligendum esse de effectu, cōparato ad causam radicalem principalem, non autem de effectu comparato ad proximam & immediatam causam. cum ergo lumen in aëre productum, licet sit eiusdem rationis cum lumine solis, à quo proxime & immediate productum est, tamen non sit eiusdem, sed inferioris valde rationis, à substantia solis, à qua, tanquam à causa radicali principali processit, propterea lumen aëris productum à sole, dependet ab eo, & in fieri, & in conseruari.

Dices corpus cœleste conuenire vniuoce in gradu corporis cum his inferioribus, & tamen à corpore cœlesti, inferiora corpora pendere secundum gradum corporis, non solum in fieri, sed etiam in conseruari.

Respondeo corpora sublunaria, conuenire quidem vniuoce cum cœlestibus genere Logico seu Metaphysico, non tamen Physico; cœlestia enim sunt incorruptibilia, sublunaria vero obnoxia corruptioni, & propterea ex excessu illo perfectionis, sublunaria habent pendere à cœlestibus in fieri, & in conseruari.

Respondeo secundo, cum Bannesio, (& hæc solutio videtur melior,) quod corpora sublunaria, non producuntur directe, & per se, secundum gradum corporis à cœlestibus, sed solum secundum modum corruptibilitatis, & propterea, cùm secundum talem modum contineantur eminenter in cœlestibus, poterunt dependere ab illis, secundum eundem modum non solum in fieri, sed etiam in conseruari.

6. Obijcitur, si creaturæ conseruarentur à Deo, deberet hoc fieri per aliquam actionem: at non potest dari talis actio in Deo, quia non potest dari ex parte creaturæ aliquid, quod correspondeat tali actioni, per modum termini ipsius, quia si quid esset, deberet maxime esse ipsum esse, quod tamen dici non potest, cum sit terminus creationis.

Respondeo ex Diuus Thomas 1. p. q. 104. ar. 1. ad 4. Vbi sub his terminis respondet ad hoc argumentū. *Ad 4. dicendū, quod conseruatio rerum à Deo non est per nouam aliquam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse, qua quidem actio est sine motu & tempore, sicut etiam conseruatio luminis in aere, est per continuatum influxum à sole.*

Et si dicas creationem, qua Deus dat esse rei, esse in instanti, conseruationem autem durare per longum temporis spatium, item creationem fieri de non esse ad esse, conseruationem vero fieri ab esse ad esse, (conseruatio enim supponit iam esse productum, quod conseruare debet,) & consequenter conseruationem non posse coincidere in vnam, & eandem actionem cum creatione.

Respõdeo, quod ideo creatio dicitur fieri in instanti, quia creatio non petit ex se, (adinstar actionum, quæ fiunt necessario cum motu & tempore) communicare esse termino suo per partes, & successiue, sed ex se petit potius totum simul producere, quod postea tamẽ per eandem actionem, sine intermissione vlla, continuo, & per coexistentiam ad quodcumque momentum, partesque temporis continui conseruat, & conseruando producit: vnde sicut visio beatifica, qua beati vident Deum, est vna, & eadem actio, licet sit in æternum duratura, quia sine vlla intermissione perseuerat in cognitione eiusdem objecti: ita similiter, quia conseruatio, est continua productio eiusdem esse, quod per creationem productum est, ideo creatio & conseruatio, sunt vna & eadem actio, & distinguntur solum in hoc, quod conseruatio exprimit nobis actionem, quæ est totius esse simul productiua, inquantum seipsam supponit, vt prius produxit esse, creatio vero eandem nobis exprimit actionẽ, quatenus est primo rei productiua, & quatenus non se supponit fuisse prius in aliquo alio priori durationis: ex quo patet conseruationem & creationem, eandem significare actionem, sub diuersa tantum connotatione, seu formalitate consideratam. Vnde ad illud quod obijcitur, quod conseruatio est in tempore, & ab esse ad esse eiusdem rei, & quod creatio est in instanti, & à non esse ad esse.

Respondeo conseruationem esse etiam à non esse ad esse; sicut enim per creationem primo producitur res secundum totum suum esse, de non esse; ita toto tempore continuo, quo in esse perseuerat per conseruationem, semper, & sine intermissione vlla, producitur secundum totum suum esse, de non esse; & sicut vnico instanti, creatio producit totum esse simul, de non esse: ita quolibet instanti & momento temporis, conseruatio producit simul totum illud esse, de non esse, nec quantum est ex se, pendet in productione termini sui à tempore, & successione; & consequenter mere per accidens se habet ad conseruationem, quod coexistat tempori, si conseruatio spectetur secundum specificationem, & essentiam actionis illius; quamuis possit addi, conseruationem exprimere nobis actionem, quæ est productiua totius esse, de non esse, secundum quod illa actio connotat sibi aliquid accidentale, perseuerantiam scilicet, & continuationem in productione talis esse, & propterea conseruationem, distingui secundum aliquid accidentale, non autem secundum aliquod essentiale à creatione.

7. Obijcitur vltimo: postquam res sunt productæ in esse, possunt seipsis conseruari in esse: ergo non est necesse quod conseruentur à Deo.

Respondeo ex D.Tho. q. 5. de pot. art. 2. & 1. p. q. 104. art. 1. ad 2. vbi huic argumẽto his verbis satisfacit. *Ad 2. dicendum quod Deus non potest communicare alicui creaturæ, vt cõseruetur in esse, sua actione cessante, sicut non potest ei cõmunicare, quod non sit causa illius: intantum enim creatura indiget conseruari à Deo inquantum esse effectus dependet à causa essendi; vnde non est simile de agente, quod non est causa essendi, sed fieri tantum,* quamdiu enim effectus retinet rationem, quare formaliter depẽdet ab aliqua causa, tamdiu debet recipere influxum

talis causæ; vndè cum quælibet creatura dependeat à Deo ratione entis, seu ratione esse vt sic, quia nulla est ratio entis in ente creato, secundum quam ens creatum non pendeat ab ente per essentiam, debet consequenter ens creatum, non solum quando acquirit esse, sed etiam quamdiu rationem entis retinet, dependere ab influxu diuino. Deinde cum forma non informet potentiam, nec ei actu vniatur, nisi ex vi actionis alicuius vnitiuę quamdiu forma, vel actus aliquis vnietur formaliter cum aliqua potentia, tamdiu necessario connotabit actionem, per quam talis vnio, atque coniunctio fiat, vt optimę dicit S. Doctor 3. contra Gent. cap. 65.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Deus conseruet creaturas, immediate solum, an medijs alijs creaturis.

§. I.

Resolutio quæstionis.

CONCLVSIO I. Si quæstio sit de conseruatione indirecta, & per accidens, Deus aliquas creaturas mediantibus aliis conseruat. Ita D. Tho. 1. p. q. 104. art. 2.

Probatur ratione desumpta ex eo, ad hoc vt aliqua res conseruet aliam indirecte, sufficit (vt dictum est q. præced. n. 1.) quod expellat ab ea actiones, quæ posunt talem rem corrumpere: atqui Deus impedit actiones, quæ posunt corrumpere aliquas creaturas, mediantibus alijs creaturis, Deus enim impressit sali vim expellendi, & remouendi à carne qualitates ipsi contrarias, & quæ possunt eam actionibus suis corrumpere. Item impressit virtutem quandam pluribus plantis, herbisque, remouendi ab animali qualitates corpori eius nociuas, & propterea beneficio huiusmodi plantarum, animalia conseruant sanitatem suam: ergo.

II. Conclusio: Deus directe conseruat aliquas creaturas mediantibus alijs. ista conclusio est expresa D. Tho. ibid. probatur ratione desumpta ex eo, quando effectus pendet à pluribus causis subordinatis perse, tunc suprema non diffundit suam virtutem in talem effectum nisi per causas intermedias: ergo cum certum sit dari plures creaturas quæ producuntur à Deo, medijs causis secundis, Deus cōseruabit eas, ministerio causarum secundarum, non quidem earum quæ solum ad fieri effectus, sed earum, quæ etiam ad esse ipsius concurrunt, quæquidem causæ sunt illæ (vt vidimus quæst. præced. §. 1. ratione 2.) à quibus effectus ratione suæ formæ vt sic, per se dependet: ex quo potest elici aliud argumentum satis efficax in confirmat. huius conclusionis: etenim dictum est ratione illa allegata, effectus qui pendent secundum rationem suæ formæ vt sic, ab aliquibus causis, pendere ab eis, non solum in fieri, sed etiam in conseruari: at ibidem ostensum est, effectus æquiuocos pendere à suis causis, secundum rationem suæ formæ vt sic: ergo cum certum sit dari inter creaturas, causas aliquas æquiuocas, à quibus effectus æquiuoci dependent, pendebunt consequenter ab eis, non solum in fieri, sed etiam in conseruari.

Ex ijs quæ dicta sunt tam in præ-

senti disputatione, quàm disput. 17. possumus aliqua colligere.

Primum est, quod illi effectus qui non possunt aliter fieri, quàm per creationem, non possunt etiam instrumentaliter medijs causis secundis conseruari. Cum enim disputatione 17. quæstione 2. & 3. ostensum sit implicare, quod vlla creatura concurrat etiam instrumẽtaliter ad creationem, & conseruatio nihil sit aliud, quam continua eiusdem rei productio (vt dictum est quæstione præcedenti num. 6.) implicabit consequenter, quod illi effectus, qui aliter quam per creationem fieri non possunt, possint (etiam instrumentaliter) medijs causis secundis cõseruari.

Secundum est, quod illi effectus, qui pendent à causis secundis, tanquam à causis vniuocis, non possunt pendere ab eis in conseruari. pro quo poteris videre quæ dicta sunt quæstione præcedenti num 4.

Tertium tandem est, quod soli illi effectus pendent à causis secundis in conseruari, qui pendent ab eis, tanquam à causis æquiuocis. consule dicta quæst. præcedenti num. 2. 4. & 5.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

9. OBijcitur; eadẽ actione Deus est conseruator rerũ, qua est earum creator: At Deus est immediate creator rerum omnium: ergo erit & earum immediate conseruator.

Respondeo Deum conseruare immediate & per seipsum, solum creaturas illas, quæ per creationem stricte sumptam ab eo fiunt, vt statim dictum est (sed eas, quæ fiunt per creationem sumptã largo modo pro quacumque productione, potest medijs alijs causis conseruare, sicut potest mediantibus illis, eas hoc modo producere.

Obijcitur, vnaquæque res magis est propinqua sibi quam alteri: sed Deus non potest communicare eidem rei, quod seipsam conseruet: ergo multo minus poterit ei tribuere, quod aliã rem conseruet.

Respondeo ex D. Tho. 1. p. q. 104. ar. 2. ad 2. vbi sic loquitur. *Ad 2. dicendum, quod cum propria causa sit conseruatiua effectus ab ea dependentis, sicut nulli effectui præstari potest, quod sit causa suipsius, potest tamen præstari, quod sit causa alterius; ita etiam nulli effectui præstari potest, quod sit suipsius conseruatiuum, potest tamen ei præstari, quod sit conseruatiuum alterius.*

Obijcitur, effectus conseruatur in esse ab eo, quod est causa eius, non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse: sed omnes causæ creatæ non sunt causæ suorum effectuum nisi secundum fieri; (non sunt enim causæ nisi mouendo:) ergo non sunt causæ conseruantes suos effectus in esse.

Respondeo ex eodem S. Tho. ibid. ad 3. vbi hæc habet. *Ad 3. dicendum, quod nulla creatura potest esse causa alterius, quantum ad hoc, quod acquirat nouam formam vel dispositionem, nisi per modum alicuius mutationis, quia semper agit præsupposito aliquo subiecto. Sed postquam formam, vel dispositionem induxit in effectum, absque alia immutatione effectus, huiusmodi formam, vel dispositionem conseruat: sicut in aere, prout illuminatur de nouo, intelligitur quædam mutatio, sed conseruatio luminis, est absque aeris immutatione, ex sola præsẽtia illuminãtis.*

LIBER

essentialiter, in suo esse a Deo. ergo. Major est certa; probatur minor, quia quælibet creatura habet esse participatum, & contingens: ergo cum illud quod est contingens dicat essentialiter, quod possit esse, vel non esse secundum quod est formaliter contingens, essentia cuiuslibet creaturæ, petet essentialiter, quandiu cum esse vnietur, vniri cum eo, ex vi alterius. debet enim hæc vnio ipsi conuenire, vel per se, vel ratione alterius: ergo cum illa non competat ipsi per se, debet de necessitatè ratione alterius conuenire, à qua, tanquam à causa pendeat, qua quidem causa cessante causare talem vnionem, cesset effectus, & persistente causare, persistat effectus: vnde cum omnis potentia, per se, & essentialiter, petat reduci de potentia in actum, per causam aliquam, cui per se, & necessario, talis actus conuenit, petet cōsequenter omnis creatura, per se, & essentialiter, quandiu persistet in suo esse, reduci de potentia in actum essendi, per Deum, cui soli esse, & existere, necessario, & essentialiter conuenit, & sic omnis creatura essentialiter, & per se, in sui conseruatione pendebit a Deo.

2. Confirmatur quia (vt statim dictum est) illud quod est contingens, potest esse, vel non esse: ergo si esse conuenit creaturæ contingenter, debet dari necessario aliqua causa, ratione cuius potius esse vniatur cum creatura, quam non esse, quæ quidem causa, si cesset determinare creaturam ad essendum, creatura non erit amplius; existet vero, & perseuerabit in esse, si causa perseueret in illa determinatione.

Probatur 2. ratione petita ex D. Tho. loco cit. 1. p. omnis effectus pendens, tum in fieri, tum in esse, ab aliqua causa, pendet etiam ab ea in conseruari: sed omnis creatura pendet a Deo, tam in fieri, quàm in esse: ergo. Major probatur. quia ille effectus, qui pendet directe secundum esse ab aliqua causa, debet, quandiu habet esse, pendere ab ea; quandiu enim aliquis effectus retinet rationem, quare sit actu effectus, tamdiu debet pendere a causa, cum effectus sit id, quod sequitur per dependentiam ad aliud, seu quod ab alio dependet; ergo illud, quod est effectus alicuius causæ secundum esse, seu ratione esse, quandiu retinebit esse, tamdiu pendebit a tali causa, imprimente ei rationem essendi. Minor autem quod quælibet creatura sit effectus Dei, non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse, probatur. quotiescumque effectus non est natus recipere impressionem agentis, secundum illam perfectionis rationem, secundum quam est in agente, tunc effectus pendet ab agente, non solum in fieri, sed etiam in esse: atqui quælibet creatura, est effectus pendens à Deo secundum existentiam (vt pluribus ostensum est disp. 9. q. 3. per totam, & maxime §. 2. Item disp. 7. q. 2. & disp. 17. q. 1.) & nulla potest recipere impressionem essendi, secundum rationem perfectionis illius, secundum quam reperitur in Deo: ergo. Minor est certa, quia quātumcumque crescat creatura in perfectione, in infinitum tamen semper distabit a Deo, cùm in creatura esse sit semper receptum, in Deo vero sit subsistens, & irreceptum.

Major autem probatur, quia quando effectus absolute, & secundum se pendet secundum rationem suæ for-

mæ vt ſic, ab aliqua cauſa, tunc effectus pendet, non ſolum à tali cauſa, ſecundum fieri, ſed etiam ſecundum eſſe talis formæ; effectus enim abſolute, & ſecundũ ſe, pendens ab aliqua cauſa, ſecundũ rationem ſuæ formæ vt ſic, non ſolum ſub ſpeciali, & determinata aliqua conſideratione, ſed ſub quacunque pendet ab ea, cùm enim ratio talis formæ vt ſic, ſit ratio, quare talis effectus pendet à cauſa, & quocumque modo conſideretur effectus, ſemper trahat ſecum prędictam rationem, trahet etiam conſequenter ſecum, ſub quacumque conſideratione, rationem dependentiæ à cauſa, à qua ſecundum ſe, & ſecundum rationem formæ ſuæ vt ſic, dependet: ergo cum conſideratio effectus ſolum in fieri, ſit conſideratio effectus ſecundum ſpecialem, & determinatam aliquam rationem (conſiderare enim effectum hoc modo, eſt ſolum conſiderare eum, quatenus actus ſubijcitur motui, & quatenus per eum actu acquirit eſſe, non autem, quatenus abſoluit à tali motu) effectus conſequenter, qui abſolute, & ſecundum ſe pendet ſecundum rationem ſuæ formæ vt ſic, ab aliqua cauſa, pendebit ab ea, non ſolum in fieri, ſeu in motu, & actuali tendentia ad eſſe, ſed etiam in eſſe, hoc eſt, in tranquilla poſſeſſione ipſius eſſe, à prædicto motu abſoluente, vno verbo, quandiu perſeuerabit in eſſe: atqui quando effectus non eſt natus recipere impreſſionem ſuæ cauſæ, ſecundum illum modum perfectionis, & eminentiæ, ſecundum quem in cauſa reperitur, tunc effectus pendet abſolute, & ſecundum ſe à cauſa, ſecundum rationem ſuæ formæ vt ſic: Et probatur, 1. quidem exemplo corporum cœleſtium, in quibus, quia modo eminentiori continentur corpora inferiora, vt ſunt aurum, plumbum &c. propterea tales effectus abſolute, & ſecundum ſe pendent ab eis, ſecundum rationem formarum ſuarum vt ſic. 2. poteſt illud idem probari ratione, quia cum cauſa, cuius impreſſionem effectus non eſt natus recipere ſecundum modum illum perfectionis, & eminentiæ, ſecundum quem continetur in cauſa, toti ſpeciei effectus prædominetur, & præemineat, conſequenter cauſa illa ſubijciet ſibi effectum ſuum ſecundum rationem ſpecificam, & per conſequens, ſecundum rationem formæ vt ſic, cum ratio ſpecifica petatur à forma: ergo cùm probatum ſit, quod effectus, qui per ſe pendet ſecundum rationem formæ vt ſic à cauſa, pendeat ab ea non ſolum in fieri, ſed etiam in eſſe, & conſeruari, debet effectus, qui non eſt natus recipere impreſſionem cauſæ ſuæ ſecũdum modum perfectionis & eminentiæ, ſecundum quem continetur in cauſa, pendere ab ea, & in fieri, & in conſeruari, & per conſequens, cum creatura non ſit nata recipere impreſſionem Dei, ſecundum modum illum eminentiſſimum, ſecundum quem in eo præcontinetur, pendebit ab eo non ſolum in fieri, ſed etiam in conſeruatori.

---

§. II.

Proponuntur & ſoluuntur obiectiones.

Obijcitur. ſi ratio D. Tho. ſecundo loco allata quicquam probat, probat corpora cœleſtia eſſe cauſas principales exiſtentiæ; cum enim in corporibus cœleſtibus, infe-

tiora modo eminentiori contineantur, ab eisque dependeant secundum rationem formæ vt sic, corpora consequenter cœlestia causabunt esse in inferioribus.

Respondeo negando sequelam, & ad eius probationem, quando dicitur, quod causa, à qua pendet effectus secundũ rationem suæ formæ vt sic, pendet etiá ab ea secundum rationem essendi, resp. sensum huius propositionis esse, quod effectus pendet à tali causa, secundum rationem essendi, proportionatam formę, quam recipit ab ea; vnde si recipiat ab ea formam specificam, & ab ea dependeat secundum rationem talis formæ, pendebit etiam ab ea secundum rationem essendi specificam communicatam à tali forma, & tamdiu pendebit, quamdiu retinebit illam formam: si vero recipiat ab ea formam existentialem, & ab ea secundum rationem formæ existentialis dependeat, dependebit etiam ab ea secundum esse existentiale, quod ab existentia communicatur & tamdiu pẽdebit, quandiu perseuerabit in esse: vnde cum existentia per se, producatur à solo Deo, tanquam à causa principali; vt dictum est disp. 7. q. 2. propterea solius Dei erit producere esse, ab existentia rei existenti cõmunicatum, illamque in tali esse existentiali conseruare.

Respondeo secundo, iuxta sententiam probabilem aliquorum etiam Thomistarum; esse existentiæ, non quidem absolute consideratæ, sed vt est speciei talis, posse à causa creata produci, vt loco statim cit. insinuatum est.

Respondeo tertio, creaturas, instrumentaliter saltem ad productionem existentiæ suorum effectuum concurrere, & consequenter, posse etiam easdem instrumentaliter ad eorum conseruationem cooperari.

Respondeo quarto, argumentum solum probare; quod corpora cœlestia causant esse in inferioribus, communicando & vniendo esse cum essentia eorum (quod fieri posse non negamus, vt ostensum est disp. illa 7. q. 1.) non autem probare, quod producant in eis entitatem existentiæ.

Obijcitur contra eandem rationem, vanam esse & inutilem distinctionem illam dependentiæ effectus secundum fieri, & secundum esse, cum non possit aliquid dependere secundum fieri ab alio, quin etiam dependeat ab eo, secundum esse, cum fieri terminetur ad esse.

Respondeo, licet non possit aliquid pendere ab alio, secundum fieri, quin etiam pendeat ab eo secundum esse, prout esse est actu terminus fieri, & prout motui actu subijcitur, posse tamen aliquid pendere ab alio secundum fieri, etiam si non pendeat ab eo, secundum esse, si esse absolute sumitur, & quatenus præscindit ab hoc, quod sit actualis terminus fieri, & motus, per quem fit, vt supra declaratum est in expensione rationis D. Tho.

4. Obijcitur. licet aër sit receptiuus luminis secundum eandem rationem secundum quam est in igne, vel in candela, (cum possit in ignem conuerti, & per consequens recipere lumen, secundum quod per modum passionis dimanat ab igne,) tamen lumen receptum in aëre, pendet ab igne, vel à candelà, non solum in fieri, sed etiam in conseruari: & propterea statim atque aufertur candela, vel ignis, statim etiam lumen ab eis causatum in aëre, recedit, & pe-

LIBER TERTIVS.

De Proprietatibus Entis, vt ſic. Diuiſio libri præſentis.

QVIA ad eandem ſcientiam pertinet agere de obiecto, & de proprietatibus eius, ideo poſtquam duobus præcedentibus libris actum eſt de ente, tùm creato, tùm increato, prout vtrumque ſub obiecto Metaphyſices cadit, in præſenti agendum erit de proprietatibus eiuſdem obiecti, non quidem particulariter, ſed vniuerſaliter ſumpti, hoc eſt de proprietatibus entis vt ſic; hoc autem ordine procedemus. Diſputatione prima inquiretur de proprietatibus entis vt ſic: deinde ſequentibus diſputationibus agetur de proprietatibus illius in particulari, & ſigillarim, ſcilicet de vno, vero & bono.

DISPVTATIO XX.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS in communi.

1. ANTEQVAM descendamus in particulari ad considerationem proprietatum entis, prius agendum est de illis in communi, & inuestigandum, vtrum dentur de facto aliquæ proprietates entis, & si dentur, quænam illæ sint, & qualiter ad essentiam entis comparentur.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ens habeat aliquas proprietates, & quomodo ab ente distinguantur.

§. I.

Resolutio quæstionis.

AD intelligentiam quæstionis, supponendum est cum Flandria 4. Methaph. q. 1. art. 1. ad 2. & cum Arauio ibid. quæst. 4. art. 1. ad 1. quod passio, seu proprietas, duplex est, altera notionalis, quæ potius notio quædam, quam passio deberet nuncupari, cum nihil habeat commune cum passione, nisi quod sit nobis ratio dignoscendi aliquam essentiam, sicut & passio, & ad illas proprietates pertinere possunt eæ quas Philosophus in prædicamentis substantiæ attribuit: alia autem est realis, & hæc adhuc est duplex; alia, quæ realiter fluit & dimanat ab essentia, tanquam quid realiter distinctum ab ea, de qua D. Tho. 1. p. q. 77. ar. 6. alia, quæ solum virtualiter ab essentia dicitur dimanare, qualia sunt attributa diuina, vt sunt æternitas, immensitas, infinitas & alia huiusmodi, quæquidem non possunt dici dimanare formaliter ab essentia diuina, cum ab ea realiter non distinguantur, sed solùm virtualiter, inquantum scilicet ita comparantur ad essentiam diuinam, vt si quam possent habere causam sui dimanatiuam aliam præter ipsam, sibi non vendicarent, de quibus poteris videre S. Doct. in 2. dist. 2. q. 1. art. 2.

Hoc posito triplicem inuenio sententiam circa præsens dubium. Prima est Iauelli 4. lib. Metaph. q. 2. Nigri in suo clypeo q. 7. Fonsecæ lib. 4. c. 2. q. 5. sect. 2. asserentium ens quidem proprietates habere, illas autem non esse reales, sed potius rationis.

Secunda sententia est Scoti in 1. dist. 3. q. 2. & 3. & 4. Metaph. c. 2. tenentis illas ex natura rei ab ente distingui.

Tertia, quæ est D. Tho. & communis inter eius discipulos sequentibus conclusionibus declaratur.

2. Conclusio prima, Ens habet veras passiones, ista conclusio est cōmuniter ab omnibus recepta, probatur ex Aristotele 4. Metaph. c. 1. vbi ait *Metaphysicam esse scientiam quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt*, hoc est, inquit D. Tho. *entis per se accidentia*: sed illa quæ sunt per se accidentia entis vt sic, sunt proprietates entis: ergo ens habet veras passiones seu proprietates. poterit adhuc videri Aristoteles eodem lib. lect. 4. apud S. Tho. vbi S. Doctor sub initium lectionis exponens eum sic habet. *Eius est considerare primas passiones entis, cuius est considerare ens, secundum quod est ens*, &c. *Sicut enim numerus inquantum huiusmodi habet proprias passiones*, &c. *similiter & ens inquantum ens habet quædam propria.*

Probatur ratione; obiectum per se alicuius scientiæ, debet habere passiones de se demonstrabiles, cum omnis scientia demonstret passiones de suo subiecto, vt communiter asserunt Philosophi; sed ex dictis qu. 2. proemiali disput. 1. ens reale vt sic, abstractum ab ente creato & increato, est objectum per se Metaph. ergo debent ei conuenire per se aliquæ passiones atque proprietates.

Probatur secundo ex Aristot. 1. Topic. c. 4. *Proprium est quod non indicat quid esse rei, soli autem inest & conuersim prædicatur*: at rationes veri, boni, vnius, non indicant quidditatem entis, per modum existentium de essentia ipsius, licet soli ipsi conueniant, & de eo conuersim prædicentur: ergo. Major est Aristot. Minor quoad secundā & tertiā partem est certa, quia nullum est dubium quin prædictæ rationes de ente prædicentur, & è conuerso: quoad primā autem eius partem est etiam euidens quia antecedenter ad conceptus prędictarum rationum concipitur iam quidditas, & essentia entis, & consequenter licet indicet essentiā entis à posteriori, eo modo quo proprietates essentiam, cuius sunt proprietates, non indicant tamen, nec demonstrant eam, tanquam rationes intrinsece, & essentialiter essentiam entis constituentes, & sic erunt veræ, & propriæ eius passiones.

Probatur tertio, si qua esset ratio, quare non darentur aliquæ proprietates entis, esset, quia non potest inter eas, & essentiam entis, interuenire aliqua realis distinctio: at inter essentiam eiusque proprietates non requiritur realis formalis distinctio, sed sufficit virtualis, virtualisque earum ab essentia dimanatio, vt patet in attributis diuinis ad essentiam diuinam comparatis: ergo.

3. Conclusio secunda: passiones entis debent absolute dici reales. Ista conclusio est contra authores primæ sententiæ, communiter tamen recipitur in schola Diuj Thomæ. est Arauij 4. Metaph. quæst. 4. art. 1. Flandriæ ibidem quæstio 1. art. 1. ad 2. Soncinnatis ibid. quæst. 17. & aliorū.

Probatur ex Aristotele 4. Metaph. lect. 2. apud S. Th. vbi probat Philosophus quod vnū quod est entis proprietas dicit eandem naturam cum ente, licet addat aliquid rationis supra ens; (vt ibidem ostendit D. Tho. ergo proprietates entis, debent dici

absolute; & simpliciter proprietates.

Probatur ratione. illa quæ conueniunt enti, antecedenter ad omnem operationem intellectus, sunt quid reale: tales sunt proprietates entis, quia nullo intellectu cogitante conueniunt enti vnitas, veritas, & bonitas: siue enim quis consideret hominem, siue non, semper homo ex se est verus, vnus, bonus: ergo proprietates entis sunt absolutè & vere reales.

Probatur secundo, proprietates entis prædicantur in abstracto de ente reali: ergo debent esse quid reale. Consequentia est aperta, quia nomen abstractum nihil nisi formam significat, quam exprimit formaliter ex vi nominis abstracti, vt dicunt communiter dialectici: Ergo cum prædicatio dicat identitatem, & cōuenientiam quandam prædicati cum subiecto, implicat quod proprietates entis possint in abstracto prædicari de ente reali, & non sint quid reale formaliter, aliàs si essent quid rationis, oporteret quod aliquid rationis idētificaretur cum aliquo reali, & quod ens reale esset quid rationis, quod est implicatorium. Anteced. autem, quod scilicet proprietates entis prædicentur in abstracto de ente reali, probatur, quia veritas & bonitas prædicantur de Deo, & proptera Christus de seipso asserebat, quod erat via, veritas, & vita: ergo.

4. Conclusio tertia, passiones entis non addunt aliquid supra ens, quod sit distinctum ex natura rei ab ipso. Ista conclusio est contra Scotum.

Probatur ratione. distinctio, quæ est petita ex natura rei, antecedenter ad omnem operationem intellectus, est realis (vt ostensum est supra disput. 12. quæstio. prima, num. 3. 4. & 5. at non potest dici, quod detur distinctio realis inter essentiam entis, & eius proprietates: ergo nec distinctio ex natura rei. Maior est certa ex ijs quæ dicta sunt ibi loco cit. Minor autem probatur. quia implicat, quod conceptus transcendentales, qui se inuicem transcendunt, & includunt, possint ab inuicem realiter distingui, cum omnis distinctio realis inferat, quod vnum non includat aliud, secundum id, per quod realiter distinguitur ab alio. Ergo cum ens, & proprietates eius, sint conceptus transcendentales, se inuicem secundum omnia quæ dicunt transcendentes, quia nihil est in vero, in quo non includatur ens, & nihil in ente, in quo verum non includatur, cum sub quacumque formalitate possit ens esse objectum intellectus, & ita de alijs proprietatibus entis, nunquam poterunt realiter inter se distingui, nec consequenter ex natura rei.

Confirmatur. quia si proprietates entis distinguerentur realiter ab ente vt sic, sicut intulimus ex sententia Scoti, deberent etiam eodem modo in Deo distingui, quæ enim conueniunt rationi communi, conueniunt etiam inferioribus contentis sub illa ratione communi, & maxime, quando talis ratio est vnìuoca: ergo cum in sententia Scoti, ratio entis sit vniuoca respectu inferiorum, si conuenit enti vt sic, à suis proprietatibus realiter distingui, conueniet etiam & Deo, secundum rationem entis, ab illis proprietatibus realiter distingui, & sic tales proprietates facient compositionem cum Deo, cum proprietates ab essentia realiter distinctæ, compa-

rentur ad ea in tãquam actus ad suam potentiam, quippe quæ recipiuntur in ea, tanquam in proprio subiecto, realiter ab ipsis distincto.

Confirmatur adhuc, quia siue distinctio ex natura rei inferat distinctionem realem, siue non, si proprietates entis distinguerentur ab eo ex natura rei, non possent de Deo prædicari in abstracto, quia cum nomen abstractum, nihil, nisi formam præcise significet, quam ex vĩ nominis formaliter exprimit, si semel proprietates entis, prædicto modo ab ente distinguantur, significabunt ex vi propriorum nominum aliquem conceptum, distinctum ex natura rei à conceptu entis, & consequenter in abstracto significatæ, præscindent, & excludent à se conceptum entis, nec poterunt de eo prædicari.

5. Conclusio vltima. proprietates entis addunt, & exprimunt supra ens aliquem modum, implicite in eo contentum, secundum quem, concipiuntur ab eo virtualiter dimanare. Ista cõclusio est D. Th. q. 1. de verit. art. 1. in corp. vbi hæc habet, *secundum hoc aliqua dicuntur addere suprà ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur, quod dupliciter contingit, vno modo vt modus expressus sit aliquis specialis modus entis*; Sicut est modus specialis secundum quem contrahitur ens per quodlibet ex supremis generibus ad specialem modum essendi: *Alio modo, ita quod modus expressus, sit modus generaliter consequens omne ens*, & postea longo discursu, declarat & ostendit tali modo proprietates entis, verum scilicet, vnum & bonum addere aliquid supra ens. Poterit etiam videri quæst. 21. de verit. artic. 1. vbi idem repetit.

Probatur ratione, quia vt optime dicit D. Tho. qu. 21. cit. proprietates entis non sunt quid omnino synonymum cum ente: ergo debent exprimere aliquem modum ex proprijs suis conceptibus, qui non exprimatur formaliter per conceptum entis: quod autem talis modus non debeat omnino subterfugere rationem entis, sed quod debeat in eo implicite contineri euidẽs est; quia cum conceptus entis, sit conceptus transcendentalis, consequenter nullus debet esse modus realis, in quo saltem implicite non contineatur. quod etiam talis modus, quem proprietates entis exprimunt, debeat concipi virtualiter veluti ab ente dimanare, hoc est quoque certum, quia de ratione proprietatis est, quod sequatur ad essentiam, cuius est proprietas, vel tanquam ad causam virtualem, vel tanquam ad causam formalem, seu formaliter dimanatiuam: ergo cùm proprietates entis non possint dimanare formaliter ab ente, secundum modum quem exprimunt suprà ipsum (alias ab ipso realiter distinguerentur) debent consequenter ab eo, secundum prædictum modum, virtualiter dimanare.

Ex iis sequitur ens, & eius proprietates omnes ratione ratiocinata distingui, non quidem tanquam plures conceptus se inuicem non includentes (eo modo quo genus & differentia comparantur ad inuicem) sed tanquam conceptus, quorum vnus non dicit explicitè alterum, sed implicitè, & sic distinguentur solum ad inuicem per modum expliciti & impliciti.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBiicitur contra secundam conclusionem ex D. Th. qu. 21. de veritate artic. 1. in corpore. *Bonum, verum, & vnum*, quæ sunt entis proprietates, *non possunt addere supra ens, nisi aliquid rationis, negationem scilicet, sicut facit vnum, quod addit supra ens negationem diuisionis, vel relationem, sicut faciunt verum & bonum, quorum primum addit supra ens respectum rationis ad intellectum, secundum vero, respectum ad voluntatem*: Sed proprietates entis debent formaliter denominari per id, quod addunt supra ens, quia per illud superadditum distinguntur ab ipso: ergo cum distinctiuum sit & constitutiuum, & quælibet res denominetur à suo constitutiuo, debent proprietates entis potius denominari proprietates rationis, quam proprietates reales.

6. Resp. quod quælibet res denominatur per id quod est sibi intrinsecum, non autem per id, quod est sibi extrinsecũ & quod solum in obliquo connotat; Vnde cùm illud, quod proprietates entis addunt supra ens, connotetur in obliquo solũ ab eis, & illud quod intrinsece illas constituit, sit aliquis modus realis, quem exprimunt, qui per cõceptum entis non exprimitur, licet in eo implicite contineatur, propterea debẽt simpliciter denominari reales, & nõ rationis, nisi cõnotatiuè, & eo modo, quo licet Logica sit habitus realis, denominatur tamen scientia rationis, quia habet ens rationis pro obiecto: & per hoc possunt Iauellus & Niger in concordiam adduci, cum cæteris Thomistis; nec forsan authores illius secundæ sententiæ magis intendunt quam hoc. Ad authoritatem autem S. Tho. Respondeo S. Doctorem velle tantum, quod proprietates entis nihil superaddunt enti, in quo saltem implicite ens non contineatur, nisi aliquid rationis, non autem ipsum intendere, quod proprietates entis, ex proprijs conceptibus, per quos constituuntur & distinguntur ab ente, non exprimant aliquem modum realem, qui non exprimitur formaliter per conceptum entis, cum id expresse asseruerit superius de verit. quæst. 1. artic. 1. in corpore & ad argumenta.

Et si quæras quis sit ille modus. Respondeo esse ipsum ens quatenus exprimitur per modum fundamenti prædictorum entium rationis. Et per hoc possunt adhuc plures Thomistæ concordari, quorum alij volunt, quod ens includatur materialiter solum in suis proprietatibus, alij vero quod formaliter: dicimus enim materialiter, seu potius implicite solum, contineri in eis sub conceptu entis, licet contineatur in eis formaliter, & explicite, secundum quod ens concipitur, & exprimitur per modum fundamenti entium rationis, quæ connotantur ab ipsis.

Obijcitur contra eadem conclus. accidens & substantia non possunt conuenire vniuocè in aliquo reali: sed si verum & bonum, quæ sunt proprietates entis, essent quid reale, accidens & substantia conuenirent vniuoce in aliquo reali, quia vniuoce conuenirent in ratione veri & boni, cum enim secundum illas rationes specificent aliquid vniuo-

cum, intellectum scilicet, & voluntatem, debent ex consequenti in illis rationibus vniuoce etiam conuenire.

Resp. primo cum obiectum causet in genere causæ formalis, non esse necesse quod obiectum sit effectus, quem facit, albedo enim non est alba, & sic licet accidens & substantia analogentur solum in rationibus veri & boni, poterunt tamen secundum illas rationes aliquid vniuocum causare.

Respondeo secundò quod licet accidens & substantia non possint in ordine entis, & secundum aliquod prædicatum pure absolutum, vniuoce conuenire, possunt tamen in ratione obiecti, & secundum quod respiciunt aliquid extrinsecum, quia vt hoc modo possint vniuoce conuenire, sufficit quod illud extrinsecum, quod respiciunt, sit quid vniuocum.

Obiicitur contra tertiã, conclusionem, quæ in Deo distinguntur ratione; in creatis realiter distinguuntur: sed ens, verum, vnum, & bonum distinguntur in Deo ratione: ergo in creatis realiter distinguentur.

7. Respondeo ex D. Tho. qu. 1. de veritat. art. 1. ad vlt. vbi huic argumento ita respondet, *Et si ens verum & bonum magis vniantur in Deo, quam in rebus creatis, non tamen oportet quod ex quo in Deo ratione distinguntur, in creatis realiter distinguantur: hoc enim contingit de ijs, quæ non habent ex ratione sua, quod sint vnum secundum rem, sicut sapientia, & potentia, quæ cum in Deo sint vnum in creaturis realiter distinguntur: sed ens, verum, bonum secundum suam rationem habent, quod sint vnum. vnde vbicunque inueniantur, vnum sunt realiter, quamuis perfectior sit vnitas illius rei secundum quam vniuntur in Deo, quam illius rei secundum quam vniuntur in creaturis.* Hæc D. Tho & quæst. 21. de verit. art 1. ad 5. eidem obiectioni respondens hæc habet. *Ad 5 dicendum quod dupliciter aliqua possunt esse in Deo secundum rem, vno modo ex parte eius in quo sunt tantum, & non ex propria ratione, sicut scientia, & potentia, non enim scientia, ex hoc quod scientia, est idem cum potentia secundum rem, sed ex hoc quod est diuina, & quæ sic sunt vnum in re, in Deo, in creaturis inueniuntur secundũ rem differre: alio modo ex ipsa ratione eorum quæ dicuntur esse vnũ realiter, & sic bonum & ens sunt vnum in Deo realiter, quia de ratione boni est, quod non differat secundum rem, ab ente, & ideo vbicunque inuenitur bonum & ens, sunt idem secundum rem.*

Obijcitur. Si proprietates entis non distinguerentur, vel realiter, vel saltem ex natura rei ab ente, possent de ente, & è cõuerso ens de illis in abstracto prædicari, & sic posset dici, quod entitas est veritas, & veritas est entitas. Probatur sequela, quia si non distinguntur ex natura rei, sequitur quod quidquid vnum includit, includat & aliud, & consequenter, nulla erit ratio, quare non possint de se inuicem prædicari.

Resp. quod istæ prædicationes, entitas est veritas, veritas est entitas, bonitas est veritas, & è conuerso, possunt intelligi in duplici sensu, vel in sensu implicito, vel in sensu explicito; si in sensu implicito, sunt veræ, quia faciunt solum hunc sensum, quod prædicatum implicite continetur in subiecto, quod est verissimum. Si autem in sensu explicito, sunt falsæ quia faciunt istum sensum, quod illud, quod exprimitur per modum conceptus differentialis à subiecto, exprimitur etiam per modum conceptus

differentialis à prædicato, quod est falsum, quælibet enim proprietas entis, exprimit per modum differentiæ, & proprij constitutiui aliquid, quod non exprimitur per modum propriæ differentiæ, proprijque constitutiui ab ente, quod etiam proportionaliter intelligendum est de ente ad eius proprietates comparato.

Obijcitur, illa quibus opponuntur diuersa contraria, distinguuntur saltem ex natura rei: at enti, & proprietatibus eius opponuntur diuersa contraria; nam enti non ens, vni multitudo, vero falsum, malum bono opponitur: ergo.

Respondeo distinguendo maiorem, distinguūtur ex natura rei, vel ratione ratiocinata, concedo. debent absolute ex natura rei distingui, nego, sed sufficit, quod distinguantur ratione ratiocinata; cùm ergo ens, & proprietates eius, distinguantur ratione ratiocinata, poterunt eis diuersa contraria respondere.

Respondeo secundo negando maiorem absolute, quia vnum & idem potest per comparationem ad diuersa, respicere illa vt sibi contraria, vnum enim & idem quantum potest respicere diuersa quanta, vnum quidem vt paruum, alterum vero vt magnum; ergo idem ens, poterit similiter sub diuersa consideratione & sub diuersis expressionibus, diuersa etiam opposita respicere.

QVÆSTIO II

Vtrum præter Vnum, Verum & Bonum possit inter proprietates entis, connumerari Res, & Aliquid.

§. I.

In quo resoluitur quod Res non est proprietas Entis, & simul obiectionibus in contrarium factis respondetur.

8. ANtequam diuersitatem sententiarum adducamus, notandum est, quod proprietates entis sunt in duplici differentia; aliæ enim sicut complexæ, aliæ vero, incomplexæ. Complexæ, sunt illæ, quæ termino complexo significantur, & quæ sub disiunctione quadam enti conueniunt, quales sunt, contingens vel necessarium, causa vel effectus, actus, vel potentia, &c. & de his non est sermo in quæst. præsenti. Incomplexæ autem sunt, quæ vnico, & incomplexo termino significantur, quales sunt illæ, de quibus fit mentio in titulo quæstionis: notandum est secundo sermonem esse de proprietatibus proprie dictis.

Hoc posito prima sententia assignat enti quinque proprietates in titulo quæst. recensitas. Ita Arauius lib. 4. Metaph. quæst. 4. art. 2.

Secunda sententia assignat solum ei tres, vnum scilicet, verum, & bonum, nec censet inter eas rem, & aliquid esse numeranda. Ita Fonseca loco quæst. præced. citato. Masius lib. 1. suæ Metaph. cap. 2. citans pro ea Picum Mirandulanum, Alensem, Thomam Argent, Capreolum in 1. distinct.

dist. 2. quæst. 1. ad 12. contra 5. conclus. Ita etiam docetur ex mente D. Tho. in Metaphysica recenter addita summæ Philosophicæ Almanij 4. scilicet parte qu. 1. art. 2. & hæc videtur probabilior & menti S. Doctoris conformior sententia, vnde sit.

Conclusio prima: Res non est proprietas entis proprie dicta. Ista conclusio probatur primò ex D. Tho. qu. 1. de verit. art 1. in corp. vbi ait. *In hoc differt res ab ente, quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem, siue essentiam entis*. Et 4. Metaph. lect. 2. litt. B. *Hoc nomen res imponitur à quidditate tantum, hoc vero nomen ens imponitur ab actu essendi.*

9. Probatur ratione ex istis locis desumpta. omnis proprietas propriè dicta, debet distingui, saltem ratione, ab essentia, cuius est proprietas, & ab ea saltem virtualiter dimanare: ergo proprietas entis debet saltem ratione distingui ab essentia entis, & ab ea saltem virtualiter dimanare: atqui Res non distinguitur ratione ab essentia entis, imò ex vi talis nominis, exprimit ipsam essentiam. & quidditatem entis: ergo nō potest vllo modo asseri, quod Res sit proprietas entis proprie dicta.

Confirmatur. quia omnis proprietas demonstratur de subiecto, per ipsam essentiam subiecti: ergo debet saltem ratione distingui ab essentia subiecti, ne idem, per idem de subiecto probetur: ergo si Res significat, & exprimit ipsam essentiam, & quidditatem entis, non poterit per modum proprietatis de ente probari, atque demonstrari.

Et si dicas, quod Res significat quidem essentiam, & quidditatem entis, sed prout talis quidditas & essentia negat ordinem ad esse.

Contra, quia ex D. Tho. ibidem, Res, est nomen exprimens aliquid affirmatiuè in ente, & non aliquid negatiue; ergo licet verum sit, quod Res non exprimat ordinem ad esse, sicut facit nomen entis; tamen non potest res exprimere de formali negationem talis ordinis, sed potius à tali negatione præscindit & absoluit, sicut & ab ordine ad esse, præcise significans modo absoluto & affirmatiuo ipsam essentiam & quidditatem entis.

Deinde si Res significat essentiam, prout negat ordinem ad esse, vel significabit eam, prout negat talem ordinem, negatione exclusiuâ talis ordinis, vel vt negat talem ordinem, negatione solum pure præcisiuâ: neutrum dici potest: ergò &c. Quod primum non possit dici, probatur, quia si Res diceret negationem exclusiuam ordinis ad esse, deberet ordo ad esse repugnare Rei, cùm negatio exclusiua alterius per se conueniens alicui, sit negatio repugnantiæ cum tali rę quam negat; vnde cùm non repugnet Rei ordo ad esse, sed potius implicite ei conueniat, non poterit Res negare talem ordinem negatione exclusiua illius: ergo si eum negat, negabit ipsum, negatione solum præcisiuâ: atqui non potest adhuc nomen Rei, talem negationem præcisiuam, per modum saltem rationis constitutiuæ, & velut differentialis significare. Quod probatur primò, quia Res esset nomen, negatiuè, & non affirmatiuè aliquid significans, quod vidimus esse contra D. Thom.

Secundò quia per hoc distinguuntur omnes proprietates entis, quod ex vi proprij cōceptus, non exprimant talē ordinē, sicut facit ens, sed potius ab ex-

pressione illius præscindunt: ergo negatio illa præcisiua, non est aliqua ratio specialis potius ad rem, quam ad cæteras proprietates entis pertinens.

Præterea si Res distinguitur solum ab ente per hoc, quod dicit negationē præcisiuam ordinis ad esse, quem tamen exprimit ens: ergo comparabitur solum ad ens, per modum cuiusdam rationis, præscindentis ab aliqua ratione, quæ conueniat enti, & quæ sit per ens expressa; & sic comparabitur semper ad ens, per modum cuiusdam rationis, exprimentis rationem inadæquam entis, eo modo quo cæteris paribus, animal, quod præscindit, ex vi huius nominis, à rationalitate, comparatur ad hominem, per modum rationis inadæquatæ, ipsius constitutiuæ.

11. Prob. 2. conclusio, proprietas rigorosa & propriè dicta, debet significari, per modum adjacentis rei illi, cuius est proprietas, & de ea per modum adiectiui prædicari, & hoc adeò verum est, vt etiam proprietates Dei, (licet sint ipsemet Deus) significentur per modum adjacentis, & de Deo per modum adiectiui prædicētur, vnde Deus dicitur, immaterialis, infinitus, immensus, sapiens &c. atqui Res non significatur per modum adiacentis, sed per modum substantiui: ergo non significatur per modum proprietatis. Maior est certa, quia proprietas significatur per modum existentis extra essentiam rei, cùm significetur per modum dimanantis ex ea; ergo cum illud, quod est extra essentiam aliquam, significetur per modum accidentis illius, & de ea per modum accidentis, si non prædicamentalis, saltem prædicabilis, prędicetur, debent consequenter proprietates propriè dictæ significari per modum adiacentis, & de essentia, adiectiue, & non substantiue prædicari. Quod autem Res substantiue prædicetur, & significetur, non autem adiectiue, euidens est, cum Res sit, nomen substantiuum, non autem adiectiuum: ergo cum Res eodem modo prædicetur quo nominatur, Res prædicabitur de ente, non adiectiue, sed substantiue, seu per modum existētis, de substantia & essentia entis, non autem per modum proprietatis illius.

12. Obijcitur ex Porphyrio cap. de proprio. illud est proprium, quod soli inest, & conuersim prædicatur; ergo cùm Res soli enti insit, & conuersim de eo prædicetur, erit eius proprietas.

Respondeo distinguendo anteced. cum Arist. 1. Topic. c. 4. Si illud non indicet, nec exprimat quid sit rei, hoc est, si non sit de essentia rei, sed ad eam sequatur (eo modo quo quæst. præced conclus. 1. explicatum est) concedo, si autem exprimat, & indicet quid est rei, nego: & sic cum Res non sequatur ad essentiam entis, sed potius exprimat ipsam quidditatem entis, & solum distinguatur ab ente, quia ens præter essentiam & quidditatem suam, exprimit ordinem ad esse, non expressum per nomen Rei, non erit proprietas entis, sed potius essentia ipsius entis.

Obiicitur ex D. Tho. qu. 1. cit. de verit. art. 1. omnes conceptus, ipsum etiam conceptum Rei, resolui in conceptum entis: ergo conceptus Rei debet educi, & dimanare è conceptu entis, & consequenter Res erit proprietas entis.

13. Resp. omnes conceptus reduci in conceptum entis, vel per modum dimanantium ab eo, vel per modum existentium de essentia ipsius, &

hoc vltimo modo, Res reducitur ad conceptum entis, non autem primo modo, & cõsequenter nõ erit proprietas ipsius, quia vt esset talis, deberet ad ipsum reduci, vt quid dimanans ab eo, non autem vt exprimens, & indicans essentiam ipsius.

Dices ex eodem D. Th. Rem addere supra conceptum entis modum aliquem, consequentem rationem entis vniuersaliter; ergo cum proprietas entis, sit illa, quæ exprimit aliquem modum, superadditum enti, & consequentem ens, vbicumque sit, Res erit proprietas illius.

Respondeo. quod Res dicitur solum addere modum supra ens, vbique illud consequentem, inquantum exprimit essentiam, & quidditatem entis, suppresso tamen ordine ad esse, quem exprimit ens, vnde illa additio, sustrahit, & diminuit potius de ente, seu de rationibus quæ significantur in ente, quam superaddat aliquam rationem, quæ non præexistat iam in eo: sicut enim expressio illa, qua ego exprimo hominem sub conceptu animalis, non est aliqua expressio, superaddens aliquid propriè homini, sed potius diminuens de hominis ratione, quia animal præcise sumptum, non dicit totum, quod dicit homo; ita Res exprimendo essentiam entis, & subticendo ordinem ad esse, quem exprimit ens, diminuit potius de ente, quam illi super addat. Possumus ergo in forma ad antecedens respondere, quod Res addit modum enti consequentem ens vbique, distinguo, itaut talis modus sit expressio formalis ipsiusmet essentiæ & quidditatis entis concedo, itaut talis modus sit aliquid consequens ad essentiam entis, seu dimanans virtualiter ab essentia entis, sicut deberet fieri, vt esset proprietas ipsius, nego.

Et si rursus instes D. Tho. dicere, quod modus expressus per rem, consequitur ens, & consequẽter quod ille modus dimanat virtualiter ab ente.

14. Resp. per ly, consequitur, D. Th. intelligere, quod Res comitatur ens vbicumque sit, tanquam essentia Rem, cuius est essentia.

Resp. secundò D. Th. per hoc solum intendere, quod Res consequitur ens, in ordine ad nostrum modum intelligendi, hoc est, quod conceptus entis prius à nobis intelligitur, quam conceptus Rei; cum enim cognitio nostra sumatur à rebus existentibus, (transeunt enim res per sensum ad intellectum) prius ex consequenti, concipimus quamlibet Rem, secundum conceptum existẽtię connotatiuum, quam secundum conceptum, absoluentem à tali coonnotatione, & consequenter prius concipimus Rem sub cõceptu entis, quã sub conceptu Rei.

Obijcitur, illud quod potest multiplicari, non multiplicato ente, debet addere aliquẽ modum, saltem virtualiter ab ente contradistinctum, & ex eo consequentem: atqui potest multiplicari aliquid in ratione Rei, licet nõ multiplicetur in ratione entis. & probatur; quia tres Personæ diuinæ, sunt tres res relatiuæ, licet non sint tria entia, quia cum ratio entis petatur per ordinẽ ad esse, & in diuinis sit tantum vnum esse, secũdum D. Th. propterea, licet tres Personæ diuinę, sint tres res, tamen tres illę res sunt tantum vnum ens: ergo si potest Res multiplicari, non multiplicato ente, debet Res addere supra ens modum aliquem, & ex eo virtualiter sequi.

Resp. quod licet tres Personæ diuinæ, sint tres res, & vnum ens, ta-

men nullus dixerit tres illas res, esse proprietates transcendentales conceptus entis, in Deo existentis: primo quia sicut conceptus entis est absolutus in Deo, ita & proprietates entis debent in eo esse absolutæ: secundò quia si essent proprietates transcendentales entis, deberent cuilibet personæ conuenire, sicut & ens, cui enim conuenit essentia, conueniunt & proprietates: tertiò quia proprietates transcendentales entis, in Deo immultiplicatæ manent, sicut & ens, & ideo non dicuntur esse in Deo plures bonitates, nec plures veritates: sed vna bonitas, & vna veritas: quartò quia si essent proprietates transcendentales entis, oporteret, quod vbicumque reperiretur ens, ibi tres relatiuæ reperirentur; vnde relationes illæ dicuntur proprietates, non entis diuini vt sic, sed personarum diuinarum; ex quo euidenter apparet argumentum illud non esse ad rem, nec de Re, de qua est quæstio; sicut enim in Deo est vnicus conceptus entis, ita etiam datur in eo vnicus conceptus transcendentalis Rei, quæ consequitur & comitatur ens, cum detur solum in Deo vnica Res absoluta, licet dentur in eo tres Res relatiuæ, quæ non sunt conceptus entis, sed potius personarum diuinarum, quas consequuntur, proprietates dicendæ sunt.

§. II.

Resoluitur Quæstio

Quantum ad conceptum Alicuius, & ad alios tres conceptus Vnius, scilicet, Veri, & Boni.

15. CONclusio secunda probabilius est, quod aliquid non facit proprietatem distinctam ab vno. ita sentit Masius lib. 3. suæ Metaph. c. 10. in explicatione secūdæ dubitat. vbi pro se citat Albertum magnum 1. p. Theolog tract. 6. q. 24. memb. 2. Heruæum quodlib. 4. q. 2. & alios. in hac quoque conclusione videntur nobiscum consentire nostri Complutenses in sua Logica disp. 3. q. 2. n. 12. inquantum dicunt ex Arist. 5. Metaphys. c. 6. & 10. Metaph. c. 1. vnum dicere ens in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio, quod quidem secundum importatur & significatur per aliquid, cum aliquid, sit idem, ac aliud quid, siue quod non sit aliud, & quod ab alio consequenter diuidatur; ex quo sic facimus argumentum.

Illud quod importatur, & significatur secundario per vnum, non facit proprietatem ab vno distinctam: sed ratio significata, & importata per aliquid, significatur, & importatur secundario ab vno; ergo.

Maior est certa. Minor probatur, quia vnum definitur quod sit ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, seu quod non sit aliud: ergo vnum secundario importat, quod per aliquid significatur, cum aliquid dicat, quod diuidatur ab alio, seu quod non sit aliud.

Dixi probabibilius esse, quod ali-

quid, non faciat proprietatem distinctam ab vno, quia contrarium non caret probabilitate sua, probabile enim est, vnum importare solum essentialiter indiuisionem à se, neque per ipsum etiam importari secundario diuisionem ab alio, per aliquid significatam, sed solum ab eo, eiusque indiuisione, virtualiter prædictã diuisionem causari, eo modo quo solet dici in diuinis, vnum attributum virtualiter causari ab alio.

Quantum autem attinet ad alia tria, vnum scilicet, verum, & bonum, in confesso est apud omnes, esse proprietates entis proprie dictas, & de eo vere demonstrabiles, cum quodlibet ex illis exprimat aliquem modum, distinctum ab ente, ratione ratiocinata; ipsum supponentem, & ex eo virtualiter veluti dimanantem; ex eo enim quod aliquid sit ens, sequitur per modum veluti dimanationis, quod sit fundamentum negationis diuisionis à seipso, quam dicit respectu non entis, & in hoc consistit ratio vnius; similiter ex eo quod aliquid sit ens, sequitur per modum eiusdẽ dimanationis virtualis, quod habeat conuenientiam fundamentalem cum intellectu & voluntate, seu quod habeat capacitatem & potentiam ad hoc, vt cognoscatur ab intellectu, & ametur à voluntate, in quibus consistit ratio veri & boni.

Quod autem numerus prædictarum proprietatum sufficiat, & quod plures dari non possint, probatur ex discursu Diui Thomæ quæstio. prima, de veritate, articulo primo. *Modus transcendentalis* (inquit) *& concomitans omne ens, dupliciter accipi potest, vno modo secundum quod consequitur omne ens in se: alio modo secundum quod consequitur vnumquodque ens in ordine ad aliud: si primo modo, hoc est dupliciter, quia aut exprimit in ente aliquid affirmatiuè vel negatiuè, non autem inuenitur aliquid affirmatiue dictum absolute, quod possit accipi in omni ente, nisi essentia eius, secundum quam esse dicitur, & sic imponitur hoc nomen res, quod in hoc differt ab ente secundum Auicen. in principio Metaph. quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen Rei exprimit essentiam, seu quidditatem entis. Negatio autem, quæ est consequens omne ens absolute, est indiuisio, & hanc exprimit hoc nomen vnum, nihil enim est aliud vnum, quam ens indiuisum. Si autem modus entis accipiatur secundo modo, scilicet secundum ordinem vnius ad alterum, hoc potest esse dupliciter, vno modo secundum diuisionem vnius ab altero, & hoc exprimit hoc nomen aliquid; dicitur enim aliquid, quasi aliud quid: vnde sicut ens dicitur vnum inquantum est indiuisum in se, ita dicitur aliquid, inquantum est ab aliis diuisum; alio modo secundum conuenientiam vnius entis ad aliud, & hoc quidem non potest esse, nisi accipiamus aliquid, quod natum sit cõuenire cum omni ente: hoc autem est anima; quæ quodammodo dicitur fieri omnia, vt habetur in 3. de Anima, in anima autem est vis cognoscitiua & appetitiua, conuenientiam ergo ad appetitum exprimit hoc nomen bonũ, vnde in principio Ethicorũ dicitur, Bonum esse, quod omnia appetunt, conuenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen verum, omnis enim cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam*, &c. Hæc S. Tho.

16. Quod si quæras quem ordinem prioris & posterioris habeant inter se transcendentia.

Respondeo quod cum quælibet

res prius sit in ordine ad se, quam in ordine ad aliud, prius debent esse conceptus entis qui sunt in ordine ad ens quam illi, qui sunt in ordine ad aliud, & consequenter conceptus entis, rei & vnius, qui sunt conceptus entis in ordine ad ipsum ens priores sunt, quam conceptus alicuius, veri, & boni, qui sunt in ordine ad aliud; erit ergo hic inter conceptus transcendentales ordo: primus conceptus erit ens, tum quia intellectus sumit à rebus suam cognitionem, & consequenter primus conceptus, qui se offert intellectui cognoscendum, debet esse connotatiuus existentiæ, tum etiam quia in illo conceptu relucet participatio & influxus Dei, cum conceptus entis ex D. Tho. ab esse imponatur, quod est proprius effectus Dei; post conceptum entis, sequitur conceptus Rei, qui conceptum vnius præcedit, quia conceptus affirmatiuus debet præcedere negatiuum, cum negatio in affirmatione fundetur. deinde post conceptum vnius, sequitur conceptus alicuius, per quē concipitur ens distingui ab alio ente, in esse entis, post conceptum alicuius sequitur conceptus veri, & tandem post conceptum veri conceptus boni, vt magis examinabitur. disput. 24. quæst. 7.

DISPVTATIO XXI.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS in particulari, & primo de vnitate.

POST disputationem de proprietatibus entis in communi rectus ordo postulat, vt de proprietatibus entis in particulari agamus, & quia ex Diuo Thoma 4. Metaphys. lect. 3. quæst. 1. de verit. art. 1. & opusc. 42. cap. 2. Vnitas prima est inter passiones entis, ideo prius de illa, quam de aliis tractandum est.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum vnitas de formali solam indiuisionem seu negationem diuisionis importet.

§. I.

Resolutio quæstionis.

SVpponendum est primo ex Aristotele 5. Metaph. lect. 8. apud S. Tho. tanquam certum & indubitatum apud omnes, quod vnitas negationem diuisionis importat, *vniuersaliter enim* (ait Aristoteles) *quæcunque non habent diuisionem, inquantum non habent, sic vnum dicuntur, vt si inquantum homo non habet diuisionem, vnus homo, si vero inquantum animal, vnum animal, & si inquantum magnitudo, vna magnitudo.* Sed illud, in quo punctum difficultatis consistit, est vtrum sola illa negatio diuisionis importetur de formali per vnitatem.

Notandum est secundò sermonem hic non esse de aliquo ex illis quatuor modis particularibus vnitatis, de quibus agit Aristot. 5. Metaphys. lect. 7. apud S. Tho. nec multo minus de vnitate per accidens, de qua ibid. tractat, nec tandem de vnitate prædicamẽtali, de qua Complutenses N. in logica disp. 13. quæst. 6. sed de vnitate transcendentali, consequenti ens vt sic, per modum proprietatis & passionis eius.

His positis prima sententia asserit vnitatem importare de formali solam negationem diuisionis, licet de materiali importet ipsum ens.

Huius sententiæ est Fonseca lib. 4. Met. c. 2. q. 5. s. 5. quam tribuit etiam Caiet. Gonzal. 1. p. q. 11. disp. 23. licet Arauius explicet eum cõformiter ad 2. sententiã, quam statim referemus.

Secunda sententia tenet vnitatem de formali importare ipsum ens, non quidem sub conceptu entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti negationis diuisionis. Ita communiter Thomistæ, Arauius 4. Metaph. quæst. 4. art. 3. Capreolus in 1. dist. 19. quæst. 3. art. 1.

tionem; vnum enim per se, fit ex ijs quæ sunt eiusdem generis, non autem ex ijs, quæ sunt diuersi generis: ergo cum negatio sit extra genus totius ordinis positiui atque realis, quia negatio potius est non ens, quam ens, non poterit in recto, & intrinsece concurrere ad intrinsecam constitutionem vnitatis positiuæ, & transcendentalis, quæ est aliquod ens per se.

3. Conclusio tertia, vnum dicit de formali ens, & negationem diuisionis, itaut in recto, & intrinsece ipsum ens significet, non quidem sub conceptu entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti talis negationis, ipsam vero negationem in obliquo, seu connotatiuè, & ad instar cuiusdam veluti modi, complentis rationem formalem specificam vnius. Ista conclusio habet tres partes; prima quod vnitas de formali importet ens, est certa, quia ex prima conclusione, vnitas debet de formali dicere aliquid positiuum, & non solum negationem: ergo cum ex ijs quæ dicenda sunt quæst. 4. huius disp. vnitas non possit dicere aliquid positiuum, quod sit realiter distinctum ab ente, debet illud positiuum, quod vnitas inuoluit & significat de formali, esse ens. Quod autem non exprimat ens sub conceptu entis, quæ est secunda pars conclusionis, probatur, quia vt disput. præc. quæstio. prima, conclus. vlt. vidimus ex Diuo Thoma quæstio. prima de verit. art. 1. passiones entis debent exprimere ens modo aliquo distincto ab eo, secundum quem exprimitur ab ente: ergo vnitas debet exprimere ens, non secundum quod exprimitur per conceptum, & nomen entis, sed sub alio conceptu: ergo sub conceptu illo, secundum quem connotat negationem, per modum fundamenti illius; debet enim exprimere ens secundum illum conceptum, secundum quem ab alijs proprietatibus entis distinguitur, & sic, cum vnitas distinguatur ab eis, secundum quod connotat negationem illam diuisionis, per modum fundamenti talis negationis, (neque enim potest assignari alius modus, secundum quem diuersimode ab eis exprimat ens quam iste) debet consequenter sub ista consideratione ens formaliter exprimere, non autem sub conceptu entis. Et illud forsan est, quod voluit dicere Caietan. quando dixit per vnitatem ens materialiter solum significari, volens denotare per hoc, quod vnitas implicite solum significat ens, sub conceptu entis, quamuis tamen significet formaliter, & explicite ipsum ens sub conceptu fundamenti negationis prædictæ.

Quod autem significet illam negationem diuisionis in obliquo, & ad instar cuiusdam modi, complentis rationem formalẽ specificam vnius, patet ex conclusione præcedenti, in qua ostendimus vnitatem non posse conflari ex aliquo positiuo & negatiuo simul, tanquam ex duabus rationibus, concurrentibus intrinsece, & ex æquo, ad eius constitutionem: ergo cùm probatum sit, positiuum concurrere intrinsece & in recto ad rationem eius constitutiuam, negatio consequenter concurret, solùm ad eam in obliquo, connotatiuè, & ad instar modi complentis rationem eius specificam, eo modo, quo cæteris paribus, obscuritas, seu negatio visi, & euidentiæ, concurrit ad rationem formalem & specificatiuam fi-

dei, per modum modi complentis eam, vt explicant Caietan. & Bann. 2. 2. quæstio. prima, articulo quarto. Hinc poteris quosdam Thomistas conciliare, qui prima facie videntur nobis aduersari, dum asserunt indiuisionem pertinere formaliter & intrinsece ad rationem vnitatis; intendunt enim tantum, quod indiuisio pertinet intrinsece ad eius rationem, per modum cuiusdam modi, non autem quod sit aliqua ratio essentiæ vnitatis, rationique ipsius specificæ intrinseca.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur, ex Diuo Thoma, quæstio. prima, de verit. articulo primo, *Vnum exprimit in ente aliquid negatiuè.* & paulo post; *negatio autem, quæ est consequens omne ens absolute, est indiuisio, & hanc exprimit hoc nomen vnum:* ergo ex mente Diui Thomæ vnum indiuisionem significabit. Deinde prima parte, quæstio. sexta, articulo tertio, ad 1. dicit, vnum non dicere perfectionem, sed indiuisionem; at si vnum de formali significaret aliquid positiuum, & ipsum ens non posset non importare de formali perfectionem: ergo.

4. Respondeo quod Diuus Thomas loquitur de vno secundum id, quod addit formaliter supra ens, in ente etiam implicite non contetum, quod quidem superadditum, cum sit negatio, propterea dicit S. Tho. vnum exprimere negationem & perfectionem non importare.

Et si dicas, quod si mens D. Tho. fuisset, vnum non solum significare negationem, sed etiam aliquid positiuum, sicut asseruimus, non dixisset S. Doctor per vnum exprimi aliquid negatiuè potius, quam aliquid affirmatiuè, imo, cum ex nobis vnum significet in recto positiuum, & solum in obliquo, atque connotatiuè, negationem, dixisset potius, per illud aliquid affirmatiue, quam aliquid negatiuè significari.

Respondeo D. Tho. satis aperuisse mentem suam locis supra pro sententia nostra allegatis. Ad instantiam ergo respondeo, ideo D. Tho. dixisse potius vnum negatiuè, quam affirmatiuè quid exprimere, primo quia D. Tho. loquebatur (vt dictũ est) de vno, secundum id, quod superaddit enti, quod est negatio: licet enim exprimat ens alio modo, quam secundum quod exprimitur per conceptum entis, tamen illa expressio non est formalitas aliqua, quæ in ente implicite non contineatur, & sic illud, quod superaddit enti, in ente non contentum, est sola negatio. Secundo quia S. Tho. loquebatur quæstio. illa prima de verit. de vno, secundum quod distinguitur à Re, & cum distinguatur à Re secundum quod cõnotat negationem illam diuisionis, propterea dixit D. Tho. vnum exprimere aliquid negatiuè, & Rem aliquid affirmatiuè. Tertio tàdem quia verum est, quod si vnum consideretur, quantum ad id, vnde nomen est impositum ad significandum, illud est negatio diuisionis, licet si consideretur quantum ad id, ad quod significandum, nomen est impositum, vnum significet primario, & in recto aliquid positiuum, & connotatiuè aliquam negationem.

Obijcitur ex D. Tho. 1. p. q. 11. art. 2.

in corp. & ad 4. vnum opponi priuatiuè multitudini: ergo vnum de formali debet importare solum priuationem, seu carentiam diuisionis.

Respondeo ex eodem D. Tho. supra 10. Met. lect. 4. Vnum solum opponi multitudini priuatiuè secundū quid, & eo modo, quo vnū cōtrariorum alteri priuatiuè opponitur, non autem priuatiuè, priuatione pura, & simpliciter dicta. Accipe eius verba loco cit. *Cū Philosophus dixerit, quod vnum & multitudo opponuntur, vt indiuisibile, & diuisibile, quæ videntur opponi secundum priuationem & habitum, concludit tamen, quod vnum & multitudo opponuntur, vt contraria, alterum enim contrariorum semper est priuatio, sed non priuatio pura, sic enim non participaret naturam generis, cum contraria sint in eodem genere: oportet igitur quod vtrumque contrariorum sit natura quadam, sicut nigrum se habet ad album, vt supradictum est, quia igitur vnum non significat priuationem puram, non enim significat ipsam indiuisionem, sed ipsum ens indiuisum, manifestum est, quod vnum, & multitudo non opponuntur secundum priuationem puram & habitum, sed sicut contraria.*

Obijcitur, passio non potest includere essentiam, ex qua dimanat: ergo cum vnum dimanet ab ente, tanquam eius passio, non includet in suo conceptu ens: ergo solum continebit illud quod addet supra ens: ergo cum addat solam indiuisionem, illam solum significabit formaliter, & non aliud.

5. Respondeo quod passio est duplex; alia quæ dimanat realiter ab essentia, alia quæ dimanat solum ab ea virtualiter; quomodo passiones, & proprietates transcendentales dimanāt ab essentia entis: licet ergo passiones primi generis non possint includere essentiam, à qua dimanant, sed realiter ab ea distinguantur, tamen passiones secūdi generis possunt eam includere implicite, non tamen explicite & sub conceptu expresso, sub quo exprimitur per modum essentiæ, & sic vnum includit ens, implicite solum sub conceptu entis, explicite vero, & expressè, sub conceptu fundamenti indiuisionis.

Et si dicas vnum esse terminum connotatiuum, & consequenter deberi ipsi duplex significatum, vnum pro materiali, alterum pro formali: ergo pro formali significabit solum indiuisionem, & pro materiali ens.

Respondeo vnum significare pro formali ens, non quidem sub conceptu entis, sed secundum quod exprimit fundamentum indiuisionis, pro materiali vero, & implicite, ipsum ens, sub conceptu entis, tanquam id, ex quo concipitur virtualiter dimanare conceptus ille, secundum quem exprimitur per modum fundamenti indiuisionis.

Et si rursus instes, passionem esse quid imperfectius essentia, cuius est passio, quod tamen non esset verū, si vnum de formali includeret ens.

Respondeo antecedens esse solum verum in passionibus realiter ab essentia distinctis, non autem in passionibus transcendentalibus, quales sunt passiones, entis respectu ipsius, quāuis posset adhuc dici licet vnū cōtineat ens implicite, non tamē exprimere perfectum adeo conceptū, sicut facit conceptus entis, cum conceptus entis ab actu perfectissimo imponatur, scilicet ab esse, vt disp. præced. quæstio. secunda §. secundo ex Diuo Thoma retulimus.

Obijcitur, vnum debet solum significare illud, quod formaliter addit supra ens: ergo cum addat solam indiuisionem supra ens, illam solum significabit.

Respondeo antecedens esse falsum, cum enim vnum sit proprietas transcendentalis entis, debet ex consequenti continere ens in sua significatione, non quidem secundum quod exprimitur per conceptum entis, sed secundum quod exprimitur, per modum fundamenti indiuisionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum negatio diuisionis, quam formaliter significat vnitas, habeat rationem negationis, vel priuationis.

§. VNICVS.

Resoluitur quaestio.

6. HVIC quaestioni facile erit satisfacere, si aliqua primo supposuerimus, ex eorum enim notitia statim intelligetur, quid sit tenendum circa quaestionem propositam.

Suppono ergo primo ex Aristotele & D. Tho. citatis pluribus in locis à N. Complut. in Logica disp. 2. q. 4. n. 32. & 33. ad negationem puram, & simpliciter dictam, requiri, quod carentia formae, quam dicit negatio, non determinet sibi subiectum, in quo petat esse, & propterea, statim atque carentia formae determinat sibi aliquod subiectum, statim desinit talis carentia habere rationem negationis purae, & simpliciter dictae, & induit rationem priuationis, quia ex Arist. in postpraedicam. cap. de oppositis, *Priuatio est negatio in subiecto.* accipe ex multis locis, quae possent huc adduci ex SS. praeceptore ea, quae dicit 4. Metaph. lect. 3. paulo post initium, *Negatio dicit tantum absentiam alicuius, huius scilicet, quod remouet, sine hoc, quod determinet subiectum, vnde absolute negatio potest verificari, tam de non ente, quod non est natum habere affirmationem, quam de ente, quod est natum habere, & non habet, non videns enim potest dici, tam chimera, quam lapis, quam etiam homo, sed in priuatione, est quaedam natura, vel, substantia determinata, de qua dicitur priuatio, non enim omne non videns potest dici caecum, sed solum, quod est natum habere visum.* Haec ille. priuatio autem, quae est de carentia formae subiectum sibi determinans, est in quadruplici acceptione.

Prima est, quando subiectum caret aliqua forma, quando, & vbi natum est recipere eam, vt caecitas in cane post nonum diem, & haec est rigorosa, & proprie dicta priuatio.

Secunda acceptio est, quando subiectum caret aliqua forma, quae solum nata est haberi ab aliquo sui generis proximi, vt carentia visus in talpa, visus enim potest haberi ab animali aliquo, licet talpae conuenire non possit.

Tertia acceptio est, quando subiectum caret aliqua forma, quae quidem non est nata haberi à tali subiecto, nec etiam ab aliquo eiusdem generis immediati, tamen nata est semper ab aliquo ente haberi, quodcumque illud sit, vt esset carentia visus in arbore, vel in planta.

Quarta tandem acceptio est, quando subiectũ caret aliqua forma, quae à nullo ente nata est haberi, sicut est non ens, quod quidem non est natum

haberi ab vllo ente, cum implicet non ens posse vlli enti vt est ens, conuenire: hanç autem quartam priuationis acceptionem addidi, licet de ea mentionem non faciant N. Complut. quia si verum est, quod omnis negatio, quæ determinat sibi subiectum, habet rationem priuationis, vt ex D. Tho. retulimus, debet de necessitate negatio non entis, quæ determinate, & necessario cuilibet enti vt sic, conuenit, reponi inter priuationes: huius tamen non meminerunt Complut. N. quia negatio illa, potius est carentia non formæ, quam formæ. Circa quadruplicem autem illam priuationis acceptionem nota, quod tres vltimæ comparatæ ad primam quæ sola rigorosa est priuatio, solent negationes appellari, licet omnes quatuor comparatę ad carentiam formæ, quæ non determinat sibi vllum subiectum, habeant rationem priuationis, hæc verò negationis.

7. Notandum est secundò quod per negationem diuisionis, quam signif. & importat vnitas, duplex diuisio excluditur ab ente, cuius vnũ est proprietas, diuisio scilicet quæ est inter ens & nõ ens, & diuisio, quę interuenit inter entia, multitudinẽ componẽtia, cum hoc tamen ordine, quod per illam negationem primò excluditur ab ente diuisio, qua diuiditur, & distinguitur ens à non ente, (hoc est quod ens non dicat in comparatione ad se, seu respectu suipsius illam diuisionem, & distinctionem, quam habet respectu non entis:) secundario autem per eam excluditur ab ente diuisio, quam important inter se entia, quæ multitudinem componunt, (hoc est quod vnum ens, non dicat in comparatione ad se & respectu suipsius, illam distinctionem, atque diuisionem, quam important inter se entia, quæ componunt multitudinem.

Et si obijcias ex D. Tho. in 1. dist. 24. q. 2. art. 3. ad 2. & 4. Metaph. lect. 3. paulò pòst initium, vbi habet ista verba: *Quamuis vnum importet priuationem implicitam, non tamen est dicendum, quod importet priuationem multitudinis, quia cum priuatio sit posterior naturaliter eo, cuius est priuatio, sequeretur quod vnum esset posterius naturaliter multitudine. Item quod multitudo in definitione vnius poneretur, nam priuatio definiri non potest, nisi per suum oppositum, vt quid est cacitas, priuatio visus: vnde cum in definitione multitudinis ponatur vnum, nam multitudo est aggregatio vnitatum, sequitur quod sit circulus in definitionibus; & ideo dicendum quod vnum importat priuationem diuisionis, non quidem diuisionis, quæ est secundum quantitatem, nam ista determinatur ad vnum particulare genus entis, & non posset cadere in definitione vnius, sed vnum quod cum ente conuertitur importat priuationem diuisionis formalis, quæ fit per opposita, cuius prima radix est oppositio affirmationis & negationis; nam illa diuiduntur ad inuicem quæ ita se habent, quod hoc non est illud.* Hæc D. Tho. ex quibus verbis videtur aperte S. Tho. negare, quod vnum dicat negationem diuisionis, quam important inter se entia multitudinem componentia.

Respondeo S. Tho. solum negare per hoc diuisionem quæ importatur in multitudine, esse illam, per ordinem ad quam definitur vnum, per quod dicere non intendit, quod diuisio illa nulla ratione negetur ab vno, sed solum quod non sit ea, quæ ab ipso negatur primario; definitur enim solum negatio, seu priuatio

per comparationem ad illam formam, quæ primario, non autem per comparationem ad illam, quæ solum secundario inspicitur: hanc responsionem insinuat S. Tho. in 1. distinct. 24. qu. 1. art. 3. ad 2. & 10. Metaph. lect. 4. addens ex mente ipsius Philosophi, vnum definiri per comparationem ad multitudinem, si consideretur in ordine ad nos, non autem si consideretur secundum se, & in ordine naturæ, & rationem huius reddit, ex eo quod multitudo est magis sensibilis, quam vnum, & diuisibile, magis quam indiuisibile: *vnde* (ait D. Th.) *multitudo ratione prius est, quam indiuisible, non quidem ordine naturæ, sed propter sensum, qui est principium nostræ cognitionis*. Idem repetit 1. p. qu. 11. art. 2. ad 4. ex his igitur constat diuisionem, quæ in multitudine interuenit, negari secundario à negatione, seu priuatione, quæ est in vno, considerato secundum se, & in ordine naturæ, quamuis primario neget & excludat ab ente in quo est, diuisionem respectu sui, quam tale ens habet respectu non entis. Quod vt melius intelligas.

8. Notandum est tertiò ex D. Th. 4. Metaph. lect. 3. litt. A. 10. Met. lect. 4. litt. C. 1. p. q. 11. art. 2. ad 4. in 1. dist. 24. qu. 1. art. 3. ad 2. & alibi sæpius, quod eo ordine in conceptione vnius procedit intellectus, primò enim concipit ens, deinde non ens; deinde concipit quod ens diuiditur à non ente, seu quod ens non est non ens, postea quod ens non habet illam distinctionem seu diuisionem à seipso, quam habet respectu non entis, (et hæc negatio qua negatur diuidi ens à se, diuisione illa, qua diuiditur à non ente, est ea, quæ ab vno formaliter, & primario respicitur, & significatur) deinde concipit quod vnum diuiditur à quocumque alio, siue illud existat, siue non postea cōcipit multitudinem deinde diuisionem atque distinctionem, quæ interuenit inter entia componentia multitudinem: & tandem quod vnum non habet diuisionem illam à seipso, quam plura illa entia componentia multitudinem habent inter se: ex quo apparet, quomodo secundario respicitur diuisio illa, quæ est in multitudine, à negatione, quæ est in vno, & quod diuisio, quam primario respicit & negat ratio vnius, est illa, quam ipsum ens habet respectu non entis. His positis facile erit respondere quæstioni à nobis propositæ, dicimus enim, quod cum negatio illa diuisionis, quæ formaliter significatur per vnum, determinet sibi ens pro subiecto, (negatio enim illa non potest conuenire, non enti, aliàs non ens vnum dici posset) propterea concludendum est cum D. Th. 4. Metaph lect. 3. *Quod negatio inclusa in vno differt à negatione simpliciter, & magis trahit se ad negationem priuationis vt 10. Met. textu 9. dicitur.*

Si autem quæras ad quam priuationis acceptionem pertineat illa negatio diuisionis importata per vnum.

9. Respondeo, quod illa priuatio non potest esse rigorosa, pura, & simpliciter dicta priuatio, quia cum priuatio hoc modo sumpta, sit carentia formæ in subiecto apto ad talem formam, & ens dicat incapacitatem ad hoc, vt diuidatur à seipso, illa diuisione, qua diuiditur, vel à non ente, vel à multitudine, non potest consequenter talis negatio, quæ inuoluitur in vno, esse rigorosa & pura priuatio, erit ergo priuatio largo modo sumpta, in tertia scilicet, vel quarta acceptione: si enim sumatur

illa priuatio, vt est carentia, & negatio diuisionis illius, quæ reperitur inter entia, quæ faciunt multitudinem, erit priuatio reducibilis ad priuationem, consideratam secundum 3. acceptionem; diuisio enim illa, quam prædicta negatio negabit, conuenit multitudini, seu entibus conficientibus multitudinem, quæ conueniunt cum ente in ratione entis: ergo cum priuatio in tertia acceptione, sit carentia formæ, quæ nata est haberi ab aliquo ente, quodcumque illud sit, si negatio diuisionis quæ est in vno, sumatur pro carentia diuisionis illius, quæ est inter entia multitudinem aliquam conficientia, talis negatio erit priuatio in tertia illa acceptione: si vero consideretur negatio, quæ est in vno, vt est negatio negans, & excludens ab ente, quod habeat illam diuisionem, seu oppositionem contradictoriam respectu suipsius, quam exercet respectu non entis, iam erit priuatio spectans ad quartam acceptionem, quia nulli prorsus enti conuenit diuidi contradictoriè à seipso, sicut diuiditur à non ente: ergo cum priuatio in quarta illa acceptione, sit carentia in subiecto formæ alicuius, quæ forma non sit apta recipi in aliquo subiecto, negatio vnius negans in ente prædictam diuisionem, seu oppositionem contradictoriam respectu suipsius, quam habet respectu non entis, erit priuatio in quarta acceptione.

Et per hæc possunt concordari cum Arist. & D. Th. Alensis, & quidam alij, qui teste Masio lib. 3. Met. c. 10. tenent negationem quæ est in vno, habere rationem negationis & non priuationis, hoc enim verum est, si priuatio accipiatur in rigore priuationis, scilicet pro carentia formæ in subiecto apto ad receptionem talis formæ; implicat enim quod ens possit habere aptitudinem, ad hoc, vt diuidatur à seipso diuisione contradictoria, qua diuiditur à non ente: si verò priuatio sumatur altero ex tribus alijs modis explicatis in prima suppositione, sicut acceperunt Aristoteles & Diuus Tho. tunc falsum est, quod negatio inclusa in vno, non possit habere rationem priuationis. Et per hoc satisfit obiectionibus, quæ possent fieri contra nos & propterea ab illis abstinemus.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Vnum opponatur multitudini contrariè, an priuatiuè.

§. I.

Resolutio quæstionis.

10. ANtequam cōclusionem statuamus, supponendum est ex Arist. 10. Met. & D. Th. ibid. lect. 4. vnum & multa, non opponi inter se contradictoriè, aut relatiue. quod probatur ex D. Th. loco cit. vbi loquens de oppositione, quæ est inter vnum & multa hæc habet: *Quod non opponantur secundum contradictionem manifestum est, quia neutrum eorum verificatur de non ente, non ens enim, neque vnum, neque multa est, similiter etiam manifestum est, quod non opponuntur vt ad aliquid dicta, nam & multa dicuntur absolute*: Ex quo discursu patet, vnum & multa non posse opponi inter se alia oppositio-

ne, quam contraria, aut priuatiua.

Hoc posito conclusio nostra est, vnum & multa opponi ad inuicem oppositione contrarietatis, inuoluentis, & includentis aliquem modum oppositionis priuatiuæ: ita Aristot. & D. Th. loco cit. 1. p. q. 11. art. 1. & 2. in 1. d 24. q. 1. art. 3. & alibi sæpè.

Probatur ratione desumpta ex Aristot. & D. Tho. 10. Metaph. cit. duæ naturæ positiuæ, quæ sub aliqua ratione communi contentæ, diuiduntur, & distinguntur inter se, debent opponi inter se oppositione cõtrarietatis; quia contraria dicuntur ea, quæ sub eodem genere, seu sub eadem ratione communi positiua distant inter se: sed vnum & multa sunt duæ naturæ, quæ sub ratione communi entis contentæ, diuiduntur & distinguntur inter se: ergo debent inter se opponi oppositione contraria.

Confirmatur: vnum & multa non opponuntur inter se contradictoriè, aut relatiuè, (vt ostensum est statim ex Aristot. & Diuo Thó.) ergo cum non possint opponi inter se pure secundum priuationem & habitum, quia tam vnum, quam multa, dicunt naturas reales & positiuas, opponentur inter se oppositione contrarietatis.

Quod autem habeant aliquem modum oppositionis priuatiuæ, quæ est secunda pars conclusionis prob. ex Arist. & D. Th. locis cit. Deinde probatur ratione ex Philosopho, vnum & multa opponuntur, vt diuisibile & indiuisibile, vnum enim negat diuisionem à se, quam admittit multitudo inter entia, quæ ipsam componunt: ergo cum indiuisibile opponatur diuisibili, tanquam priuatio, & carentia diuisibilitatis, vnum & multa habebunt inter se aliquem modum oppositionis priuatiuę.

11. Probatur secundò alia ratione, desumpta ex D. Tho. ibid. & opusc. 37. cap. 2. quia quamuis in contrariè oppositis, vnum contrariorum non se habeat, vt pura priuatio respectu alterius, quia alias non participaret naturam generis, quod est contra rationem contrariorum, quæ debent esse sub eodem genere, & in eadem ratione communi conuenire, tamen debet semper aliquod ex eis, habere aliquo modo rationem priuationis in comparatione ad aliud, inquantum scilicet, vnum participat naturam generis, cum defectu, & modo minus perfecto, quam aliud, sicut dicitur de nigro lib. 9. Met. lect. 2. apud S. Tho. in comparatione ad album: ergo cum vnum & multa opponantur contrariè sub conceptu entis, (vt dictum est) habebunt etiam inter se aliquem modum oppositionis priuatiuæ, & comparabuntur ad inuicem tanquam perfectum & imperfectum, sub genere entis, & consequenter tanquam priuatio & habitus.

Et si quæras, quodnam sit ex illis, quod habeat rationem priuationis, respectu alterius.

Resp. quod quodlibet ex illis includit aliquo modo rationẽ priuationis, respectu alterius. Si enim cõparentur ad inuicẽ in ratione entis per se, multitudo cõparabitur ad vnum, tãquam deficiens, & tanquam participans rationem entis per se, modo imperfectiori, quam vnum; multitudo enim transcendentalis, de qua loquimur, non est ens per se, sed aggregatum plurium vnitatum trãscendentalium à quibus in sua definitione dependet, vt ostendit Diuus Thomas 1. p. quæst.

quæst. 11. art. 2. ad 4. 10. Metaph. lect. 4. in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. & alibi sæpè, & consequenter multitudo, non est ens ita perfectum, in ratione entis per se, sicut vnum transcendentale. Si vero comparentur ad inuicem, secundum rationem diuisibilitatis, & indiuisibilitatis, prout sic vnum comparabitur ad multitudinem, per modum negationis, & priuationis ipsius; quamuis tamen negatio, & priuatio illa arguat potius perfectionem, quam imperfectionem in vno, quia diuisio, est imperfectio, (& propterea, quo aliqua sunt magis indiuisa, eo sunt magis perfecta;) ergo negatio negans diuisionem in vno arguet, & indicabit perfectionem vnius supra multitudinem.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obijcies vnum cōtrariorum non constituit alterum per modum partis ipsius; sed vnum constituit multitudinem, tanquam pars multitudinis: ergo vnum non potest opponi contrariè multitudini.

12. Respondeo ex D. Th. 10. Metaph. lect. 4. sæpius citata, vbi sub his terminis præsenti obiectioni respondet. *Sciendum igitur est* (inquit) *quod cum contraria differant secundum formam, vt infra dicetur, cum dicimus aliqua esse contraria, accipiendum est vtrumque eorum secundum quod habet formam, non autem secundum quod est pars habentis formam. Corpus enim secundum quod accipitur vt formam habens, opponitur animali, vt inanimatum animato: secundum verò quod accipitur non quasi aliquod perfectum & formatum, non opponitur animali, sed est pars materialis ipsius. Et sic etiam videmus in numeris, nam binarius secundum quod est totum quoddam speciem & formam determinatam habens, est diuersum specie à ternario: si verò consideretur absque hoc, quod sit perfectum per formam, est pars ternarij, Sic igitur & ipsum vnum secundum quod consideratur in se perfectum, & speciem quandam habens, opponitur multitudini, quia quod est vnum, non est multa, & è contra: prout verò consideratur vt non completum secundum speciem & formam, sic non opponitur multitudini, sed est pars eius.*

Et si quæras quando vnum dicat completam & perfectā speciem multitudini oppositam, & quando talem speciem non dicat? Resp. tunc dicere speciem illam completam, quando consideratur in ratione vnius perfecti: quod quidem tunc est, quando consideratur vt in se indiuisum, hoc est, quando consideratur vt negans & excludens à se quamcunque diuisionem: & conseq. vt negans & excludens à se diuisionem quæ est in multitudine. Tunc autem non dicit speciem completam, quando vnum præcisè consideratur secundùm entitatem suam, abstrahendo ab hoc, quod talis entitas neget & excludat diuisionem illam, quæ est in multitudine; vel etiam quod illam non neget & excludat, sed potius quod ad illam per modum partis heterogeneæ concurrat. Hanc insinuat D. Th. explicationem 1. p. q. 11. ar. 2. ad 2. vbi sub his terminis obiectioni factæ satisfacit. *Ad secundum dicendum, quod duplex est totum: quoddam homogeneum, quod componitur ex similibus partibus: quoddam verò heterogeneum, quod componitur ex dissimilibus partibus. In quolibet autem toto homogeneo totum constituitur ex partibus habentibus formam totius, si-*

eut qualibet pars aquæ est aqua: & talis est constitutio continui ex suis partibus. In qualibet autem toto heterogeneo qualibet pars caret forma totius. Nulla enim pars domus est domus, nec aliqua pars hominis est homo. Et tale totum est multitudo. Inquantum ergo pars eius non habet formam multitudinis, componitur multitudo ex vnitatibus sicut domus ex non domibus, non quod vnitates constituant multitudinem secundum id quod habent de ratione indiuisionis, prout opponuntur multitudini, sed secundùm hoc quod habent de entitate: sicut & partes domus constituunt domum per hoc quod sunt quædam corpora, non per hoc quod sunt non domus. hæc D. Tho.

Obijc. vnum tantum contrariatur vni; nam multa non sunt contraria vni ex Arist. lib. 1. de interpret. c. 5. & 10. Metaph. c. 6. sed paucitati potius; ergo cùm vnitas à paucitate distinguatur, quia paucitas dicit aliquem numerum, non poterit vnitas multitudini esse contraria.

Resp. ex Arist. 10. Met. c. cit. lect. 8. apud S. Th. vbi huic obiectioni respondet, & ex D. Th. 1. p. q. 11. art. 2. ad 3. quod multum accipitur dupliciter, vno modo absolutè, prout significat aggregationem vnitatum quamcumque & prout sic opponitur vni, alio modo, secundum quod importat excessum supra aliam vnitatum congregationem, & prout sic opponitur pauco, paucitas enim dicit speciem diminutam intra idem genus cum illa specie, à qua dicitur excedi, & sub diuersa ratione multitudo dicitur opponi, & paucitati, & vnitati; nec hoc repugnat, quia licet idem non possit sub eadem ratione diuersis opponi, potest tamen, si consideretur sub diuersa ratione.

Obiic. vnum oppositorum non prædicatur de alio opposito: ergo cum vnum prædicetur de multitudine, non potest dici quod ei contrarie opponatur.

13. Resp. ex D. Th 1. p. q. 11. art. 2. ad 1. quod vnum non prædicatur simpliciter de multitudine, multitudo enim, est vnum tantum secundum quid, & non vnum simpliciter, sicut est illud quod opponitur formaliter multitudini; & sic, licet verum sit, quod propter trãscendentiam vnius, vnum secundum quid prædicetur de multitudine, tamen non sequitur inde vnum oppositorum prædicari formaliter de alio, quia vnum, quod opponitur multitudini, est vnum omnino indiuisum, nullam in se prorsus admittens in ratione entis diuisionem, vbi multitudo admittit in illa vnitate, quam dicit, diuisionem in ratione entis simpliciter, cum multitudo dicat aggregationem plurium entium, quorum quodlibet est ens simpliciter.

Obiic. contraria dicuntur ea, quæ nata sunt inesse eidem subiecto, & quæ ab eo se inuicem expellunt: ergo cum vnum simpliciter & multitudo, non possint recipi in eodem subiecto, non poterunt dici contraria.

Respondeo antecedens esse verum de iis, quæ sunt contraria in genere qualitatis, non autem de contrariis aliorum generum, quia hæc non dicuntur adeo rigorose contraria, sicut contraria in genere qualitatis, sufficit ergo absolutè ad rationem contrariorum, quod sint duæ naturæ quæ sub eodem genere, differentiis, seu formis specificis distinguantur ad inuicem, quod autem recipiantur in eodem subiecto, & ab eo se inuicem expellant, erit solum proprietas contrarietatem consequens, quæ est in

tali genere determinato, in genere scilicet qualitatis;

Obijcitur contra secundam partem conclus. nostræ: si vnum opponitur priuatiue multitudini, multitudo erit prior vnitate, quia habitus, seu forma, qua priuat priuatio, est prior priuatione: ergo cum multitudo sequatur ad vnitatē, (quia ex pluribus vnitatibus conficitur multitudo, & propterea vnitas ponitur in definitione multitudinis,) non poterit vnum opponi priuatiue multitudini.

Respondeo ex D. Tho. 1. p. loco cit. ad 4. & 10. Metaph. lect. 4. vbi his terminis præsenti obiectioni respondet. *Dicendum igitur quod nihil prohibet aliquid esse prius, & posterius eodem secundum rationem, secundum diuersa in eo considerata, in multitudine enim considerari potest, & quod multitudo est, & ipsa diuisio, ratione igitur diuisionis, prior est quam vnum secundum rationem, nam vnum est, quod non diuiditur, secundum autem quod est multitudo, posterior est vno secundum rationem, cum multitudo dicatur aggregatio vnitatum.*

Respondeo secundò quod diuisio, quæ est in multitudine respicitur, solum valde secundario à negatione quæ est in vno, vt dictum est quæst. præced. supposit. secunda, vnde solum sequitur ex isto argumēto, quod vnitas sequatur ad multitudinem secundum aliquem effectum ipsius secundarium, non autem absolutè & simpliciter.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum illud positiuum quod dicit vnum, sit aliquid realiter vel ex natura rei ab ente distinctum.

§. I.

Resolutio quæstionis.

14. AB ista quæstione breuiter nos expediemus, neque enim est cur diutius in ea immoremur, suppositis ijs, quæ disp. præced. quæst. 1. conclus. 2. & 3. de passionibus entis in communi dicta sunt: etenim cum generaliter ostensum sit, quod passiones entis, non possunt addere supra ens aliquid, vel realiter, vel ex natura rei ab ipso distinctum, non poterit consequenter *vnitas*, quæ est vna ex passionibus eius, aliquid addere supra ens, quod sit prædictis modis ab ente distinctum, quamuis Auicenna teneat (vt sæpius refert D. Tho.) *vnum* addere aliquid realiter ab ente distinctum, Scotus verò quod addit aliquid, ab eo ex natura rei distinctum.

Conclusio tamen sit, *vnum* non addit aliquid supra ens, realiter vel ex natura rei ab eo distinctum: ita communiter omnes Metaphysici.

Probatur conclusio primò ex Arist. 4. Metaph. lect. 2. vbi duabus rationibus ostendit vnum non distingui natura ab ente. Deinde probatur ex D. Tho. pluribus in locis, qui poterit videri loco cit. 4. Metaphys. in 1. distinct. 24. quæst. 1. artic. 3. 1. p. qu. 30. artic. 3. in corpore & quæst. 11. art. 1. ex quo loco primam rationem desumimus.

Si vnitas adderet aliquid reale positiuum supra ens realiter ab ipso distinctum, deberet dari processus in infinitum, nam cum illud reale superadditum esset ens, (si enim non esset ens, nihil esset, cum inter ens & nihil, seu non ens, quod contradictorie enti opponitur, non detur medium) deberet rursus illud ens, quod de tali realitate superaddita in concreto prædicaretur, esse adhuc vnum, cum de quocúmque prędicatur aliqua essentia, de eo prædicetur & eius proprietas: ergo deberet reddi vnum per aliam realitatem superadditam enti, quod prædicaretur de priori illa vnitate, & cum realitas illa superaddita esset adhuc ens, deberet rursus tale ens reddi vnum per aliquam aliam realitatem, huiusmodi enti superadditam, & ab ea realiter distinctam, & sic in infinitum. Idem argumentum potest fieri contra distinctionem ex natura rei, quam constituit Scotus inter vnitatem & ens, & maximè quia vt ostensum est disp. præcedenti qu. 1. conclus. 3. alijsque locis ibi citatis, distinctio ex natura rei, antecedens omnem operationem intellectus, est distinctio realis.

15. Probatur secundò alia ratione petita ex Aristot. loco supra cit. quam D. Th. sub his terminis deducit. Quæcumque duo prędicantur de substantia alicuius rei per se, & non per accidens, illa sunt idem secundum rem: sed vnum & ens prædicantur per se, & non secundum accidens de substantia cuiuslibet rei; substantia enim cuiuslibet rei sicut est ens per se, ita & vnum per se, & non secundum accidens: ergo ens & vnum significant idem secundum rem. Quod autem ens & vnum prædicentur de substantia cuiuslibet rei per se, & non secundum accidens, sic potest probari; si enim prædicarentur de substantia cuiuslibet rei per aliquod ens substantiæ rei superadditum, de illo addito iterum necesse esset ens prædicari; quia vnumquodque est vnum & ens: ergo, aut de hoc iterum per se prædicatur aut per aliquid aliud additum: si per aliquid aliud, esset iterum quæstio de illo addito, & sic erit procedere vsque in infinitum, hoc autem est impossibile: ergo necesse est stare in primo, scilicet, quod substantia rei sit vna, & ens per seipsam, & non per aliquid additum. hæc D. Th.

Probatur tertiò alia ratione Arist. quæ sunt eadem vni tertio re, & natura, sunt eadem inter se, re, & natura: sed vnum & ens, sunt idem re, & natura cum homine v. g. ergo. Maior est certa. Minor probatur, quia quæ per se generantur eadem generatione cum homine, sunt idem re & natura cum homine: sed vnum & ens generantur per se cum homine, eadem generatione, quia quando generatur homo, per se generatur ens per se, & vnum per se, cum ens per se, & vnum per se sint terminus per se generationis: ergo vna cum homine, per se generatur, & ens per se, & vnum per se, & sic erunt per se vna & eadem natura cum homine nec re aut natura distinguentur ab eo. Si vis videre plura, lege quæ sunt dicta disput. præced. quæst. 1. conclus. 3. n. 4.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur ex D. Tho. 1. p. q. 11. art. 1. ad 2. ens diuiditur in vnũ, & multa: ergo cum membrum diuidens aliquod totum addat aliquid, si non realiter, saltem ex natura rei distinctum à suo toto, vnum erit distinctũ ab ente, saltem ex natura rei.

16. Respondeo primo falsum esse quod membrum diuidens aliquod totum potentiale, vel habens modũ veluti totius potentialis, debeat aliquid addere distinctum ex natura rei à toto; licet enim ens diuidatur in substantiam & accidens, & substantia in partes suas subiectiuas, tamen partes subiectiuæ entis, vel substantiæ non addunt aliquid distinctum ex natura rei ab ente, vel substantia, sed aliquid solum ab eis ratione ratiocinata distinctum.

Respondeo secundo; quod quando diuisum est aliquod transcendens, non debent membra diuidentia addere supra ipsum aliquid, quod antea in toto diuiso non contineretur implicite, sed debent solum nouo modo exprimere illud, quod implicite iam continebatur in toto: vnde cùm ens diuidatur in vnum & multa, per modum cuiusdam transcendentis, propterea non oportet quod vnũ addat aliquid supra ens, quod in eo prius implicite non contineretur, sed sufficit, quod explicet, & exprimat ens nouo aliquo modo, implicite quidem præcontento in ente, non tamen per illud, quatenus significatur nomine entis declarato & expresso.

Obijcitur, negatio negationis æquiualet affirmationi, quia duplex negatio (vt dicitur communiter) est idem ac affirmatio: sed vnum addit formaliter supra ens negationem negationis: ergo vnum addit formaliter supra ens aliquid affirmatiuum, seu positiuum, & sic vnum dicet aliquid positiuum supra ens, & consequenter nouam realitatem ab ente realiter distinctam. omnes istæ consequentiæ, & illationes sunt euidentes. Minor etiam est certa, & communiter recepta; quid enim est vnũ, nisi ens indiuisum à se, seu ens habens negationem diuisionis à se? ergo cum diuisio dicat formaliter negationem, quia nihil est aliud esse diuisum, quã non esse aliud; vnum dicet formaliter supra ens duplicem negationem, & per consequẽs aliquid affirmatiuum, & positiuum supra ens.

Respondeo concedendo majorem, & distinguendo minorem. Vnum addit supra ens negationem negationis, id est, exprimit negationem negationis, quæ iam in ente præcontinebatur implicite, concedo, quæ antea non erat in ente implicite contenta, nego.

17. Respondeo secundo, quod negatio negationis significat solum de formali negationem negationis, licet pro fundamento supponat aliquid reale.

Et si quæras quid sit illud reale, quod supponit duplex negatio importata per vnum.

Respondeo illud, non esse aliquid aliud realiter ab ente distinctum, sed esse solũ ens nouo modo expressum, hoc est declaratum per modum fundamenti duplicis illius negationis secundum quam rationem non exprimitur per conceptum & nomẽ entis.

Respondeo tertio, quod diuisio, quam vnum negat, & excludit ab ente, non est solum aliqua negatio, sed talis diuisio includit de necessitate aliquod positiuum; diuisio enim illa, est diuisio & distinctio, quam ens habet à non ente; at ens diuiditur, & distinguitur à non ente, per aliquid positiuum ex parte entis, licet ex parte alterius extremi sit aliquid negatiuum, cum illud extremum, à quo ens diuiditur & distinguitur, sit non ens: ergo debet de necessitate diuisio & distinctio, quæ negatur in ente per vnum, includere ex parte vnius extremi, ex parte scilicet entis aliquid positiuum; licet verum sit, quod illa diuisio, atque distinctio declaretur per negationem, per hoc scilicet, quod aliquid non sit illud, à quo distinguitur. Quamuis ergo detur quod negatio negationis æquiualeat affirmationi, non sequitur tamen, quod vnum dicat aliquid affirmatiuum aut positiuum supra ens, in ente non contentum, quia negatio, quæ est in vno, non est negatio puræ negationis, sed negatio, qua negatur ens eo modo distingui à seipso, quo distinguitur à non ente, quod est idem, ac dicere quod per vnum negatur ens eo modo exprimi per comparationem ad seipsum, quo exprimitur per comparationem ad non ens.

Obijcitur, vnum, secundum quod contradistinguitur ab ente est aliquid positiuum, quia nullo intellectu cogitante conuenit enti; ergo debet de necessitate dicere aliquid positiuum, supra ens, in ente non contentum, cùm secundum quod contradistinguitur ab ente, in ente non contineatur.

Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequentiam: debet dicere aliquid positiuum supra ens, explicite non contentum in ente, & per illud non expressum, concedo: debet dicere aliquid supra ens, non contentum implicite in ente, hoc est falsum, & eodem modo distinguatur postea probatio consequentiæ, licet enim vnum non contineatur in ente explicite, & expressè, secundum quod ab eo contradistinguitur, implicite tamen in eo continetur, cum per hoc solum ab ente distinguatur, quod exprimat ens per modum fundamenti indiuisionis, quod per conceptum entis non exprimitur.

DISPVTATIO XXII.

DE VERITATE TRANSCENDENTALI.

CVM veritas transcendentalis secundum locum inter proprietates entis obtineat, ideo post disputationem de vnitate, disputatio de veritate instituitur.

QVÆSTIO PRIMA.

In quo consistat ratio veritatis transcendentalis.

§. I.

Resolutio quæstionis.

1. ANtequam proponamus diuersitatem opinionum, quæ sunt circa difficultatem propositam, supponendum est duplicem esse veritatem: aliam formalem, in intellectu residentem, de qua erit sermo disp. sequenti; aliam transcendentalem, in omnibus rebus existentem rationemque entis vt sic, consequentem, & de hac agitur in præsenti.

Hoc posito prima sententia est, veritatem transcendentalem, vt à cæteris entis passionibus, & ab ipso ente contradistinguitur, nihil positiuũ, sed vel solam denominationem extrinsecam, vel aliquid negatiuum, aut tandem respectum aliquem rationis dicere. Vasquez enim 1. p. q. 77. cap. 3. contendit veritatem positam esse in sola denominatione extrinseca, proueniente ab intellectu creato, vel increato, rem speculatiuè, vel practice cognoscente; quam sententiam Suar. disput. 8. suæ Metaphys. sect. 7. §. 4. tribuit etiam Cajet. 1. p. quæst. 16. art. 6. in fine, quamuis eum ab ista sententia vindicet Arauius 4. Metaphys. quæst. 5. art. 2. dicens mentem Caietani solum fuisse, negare in ente formam aliquã positiuam, ipsique intrinsecam, per quam formaliter, & intrinsece denominetur verum veritate formali, quãuis non neget in ente veritatem aliquam transcendentalem, ipsi intrinsecam. Aureolus vero in 1. dist. 13. quæst. 3. vult veritatem transcendentalem in sola negatione formali consistere, & ideo ens dici verum, quia non est ens fictum. alij vero, inter quos est Fonseca 4. Metaph. c. 2. q. 16. sect. 2. & 10. cõtendunt eam in aliquo respectu rationis ad intellectum formaliter sitam esse, & ad hanc sentent. possunt reduci Heruæus (qui quodlib. 3. q. 1. art. 2. & 3. dicit veritatẽ esse conformitatem rei prout est in se, ad

seipsam, vt obiectiuè conceptam,) & Durandus, qui è conuerso in 1. dist. 29. quæst. 5. dicit, hanc veritatem esse conformitatem rei secundum esse obiectiuum, ad seipsam, secundum esse reale consideratam.

Secunda sententia asserit veritatem transcendentalem consistere formaliter, & primario, in quadam reali, & absoluta proprietate, distincta ratione ratiocinata à conceptu entis; per quam ens concipitur formaliter conformè intellectui diuino, seu ideæ, & exemplari in intellectu diuino existenti.

Ita communiter tam antipui, quam recentiores Thomistæ, Capreolus in 1. dist. 19. quæstio. 3. art. 1. Soncinnas 6. Metaphys. quæstio. 17. Iau. tract. de transcendent. cap. 5. Ferrar. 1. contra Gent. c. 59. & 60. Bannez. Zumel. 1. p. quæst. 16. art. 3. & ibid. communiter Thomistæ cum Nauarreta contro. 72. §. 3. nec dissentit ab eis Suarez. disp. 8. Metaph. sect. 7. num. 25. & seq. quamuis num. 7. eiusd. sect. quibusdam Thomistis, falsam quandam huius sent. expositionem attribuat sub qua illam refutat. Sed quam immerito Suaresius illam explicationem affingat aliquibus Thomistis, nullus est, qui non aduertat ad primam Thomistarum lectionem; licet enim teneant Thomistæ veritatem transcendentalem distingui ab ente ratione ratiocinata, nulli tamen eorum venit vnquam in mentem, quod verum, ita distinguatur ab ente, vt rationem entis in se implicite non contineat (vt quibusdam eorum affingit Suarez) per illam enim distinctionem rationis, quā constituunt inter ens & verum, intendunt solum, quod veritas nouo aliquo modo exprimat conceptum entis, (hoc est sub expresso conceptu conformitatis, quam habet cum intellectu diuino, vel idæis in ipso existentibus,) sub quo non exprimitur per nomen, & conceptum entis: ex quo euidenter apparet, nihil facere contra Thomistarum sententiam illa Suaresij argumenta, quibus falso sibi imaginatur illos impugnare, quo posito sit.

2. Conclusio prima, veritas trāscendentalis non consistit formaliter in aliqua denominatione extrinseca, nec in negatione falsi, nec in aliquo respectu rationis.

Probatur generali ratione, quia veritas est proprietas realis entis: ergo non potest in aliquo ex prædictis formaliter cōsistere, & quidem quod in sola denominatione extrinseca non consistat, probatur primo, quia forma dimanans, recipitur in illa re, à qua dimanat: ergo cum proprietas, vel formaliter, vel virtualiter dimanet ab essentia cuius est proprietas, recipitur de necessitate in ea, & sic veritas, quæ est proprietas entis, virtualiter solum ab eo dimanans, recipietur in eo, nec in sola denominatione extrinseca consistet.

Secundo illud idem probatur, quia proprietas solum prouidetur à natura, vel saltem principaliter, propter rem cuius est proprietas: ergo non debet in sola denominatione extrinseca, sed in aliqua forma intrinseca rei cuius est proprietas consistere; mirum enim esset, proprietates à natura prouideri propter essentiam principaliter, à qua vel formaliter, vel virtualiter dimanant, & quod modo magis perfecto, magisque intrinseco, & principali, non participarentur ab ea, sed solum extrinsece, & modo quodam imperfecto atque diminuto

diminuto. Vide Diuũ Thomã 1. contra Gent. cap. 60. vbi expressis verbis asserit, veritatem transcendentalem esse intrinsecam enti.

Et si dicas lumen gloriæ & alia accidentia supernaturalia, esse proprietates Dei, cui tamen non inhærent.

Respondeo dato hoc ita esse, nihil tamen contra nos, quia licet lumen gloriæ, & cetera accidentia supernaturalia, non sint in Deo, secundum rationem accidentis, sunt tamen in eo, secundum eorum naturas, seclusis imperfectionibus: quamuis ergo non repugnet, proprietates alicuius, in altero per participationẽ reperiri; modo etiam in essentia, cuius sunt proprietates reperiantur, attamen quod reperiantur in altero, & nullo modo in essentia, cuius sunt proprietates, id penitus repugnat rationi, & naturæ proprietatis: & conseq. repugnat omnino quod ratio veri, sit solum denominatio extrinseca, respectu entis.

Quod etiam veritas in sola falsi negatione consistere non possit, quę est secunda pars conclusionis, probatur primo, quia proprietas entis realis, debet esse realis: ergo cum veritas, sit proprietas entis realis, debet quoque esse realis, & positiua, & non solum quid negatiuum, aut respectiuũ rationis, per quod satis fit tertiæ parti consequentię, quæ probãda restabat.

Deinde possunt in confirmationem totius conclusionis, videri ea, quæ diximus de proprietatibus entis in communi, & de vnitate disp. præced. num. 2. & disput. 20. n. 3. vbi ostensum est, quod vnitas, & generaliter omnes proprietates entis, debent dicere aliquid positiuum, & non solam negationem, aut solum respectum rationis.

3. Conclusio secunda, veritas trãscendentalis consistit primario in habitudine illa reali, atque transcendentali, qua vnaquæque res dicit conuenientiam aptitudinalem, & conformabilitatem cum intellectu diuino, idæisque ipsius, secundario vero in conuenientia aptitudinali, quam potest habere cum intellectu creato.

Ista conclusio intelligitur de veritate transcendentali creata; si enim sermo sit de veritate abstrahente à creata, & increata, certum est eam non posse consistere in aliqua habitudine reali ad intellectum diuinum, cum veritas increata non possit referri realiter ad intellectum diuinum; quippe quæ ab eo realiter non distinguatur; vnde si consideretur veritas sub illa generali abstractione, ratio, & natura ipsius erit constituenda formaliter, atque primario in ente, non quocumque modo considerato, sed in ente, quatenus ens est aptum facere veram sui æstimationem in intellectu diuino, & cum eo habere conuenientiam, & conformationem, abstrahendo ab hoc, quod talis conformitas induat respectum realem, vel rationis; in ente enim creato dicit respectum realem, rationis vero, in ente increato. In hac conclusione sic intellecta, & explicata, conueniunt omnes Thomistæ cum S. Tho. plerisque in locis, sed præcipuè 1. p. q. 1. art. 1. de verit. art. 2. vbi habet ista verba, *Res ergo naturalis inter duos intellectus constituta, secundum adæquationem ad vtrũque vera dicitur, secundum enim adæquationem ad intellectum diuinum, dicitur vera, inquantum supplet hoc, ad quod est ordinata per intellectum diuinum, vt patet, per Anselmum in lib.*

de vero, & Augustin. in lib. de vera religione, & per Auicen. &c. *Secundum autem adæquationem ad intellectum humanum, dicitur res vera, inquantum nata est de se terminare veram æstimationem.* Et paulo post aliquibus interjectis. *Prima autem ratio veritatis per prius inest rei, quam secunda, quia prior est comparatio ad intellectum diuinum, quam ad humanum; vnde etiam si intellectus humanus non esset, adhuc res diceretur vera in ordine ad intellectum diuinum: sed si vterque intellectus, quod est impossibile, intelligeretur auferri, nullo modo ratio veritatis remaneret.* Et loco citato prima parte, *Res naturales dicuntur esse vera, secundum quod assequũtur similitudinem specierum, quæ sunt in mente diuina, dicitur enim verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam, secundum præconceptionem intellectus diuini.*

4. Probatur conclusio ratione, omnis veritas practica, prius est talis, per comparationem ad intellectum, à quo fluit, & à quo dependet, tanquam à mensura, quam per comparationem ad intellectum, à quo nec fluit, nec dependet: atqui veritas transcendentalis, quæ est in rebus naturalibus & creatis, nec fluit, nec pendet ab intellectu creato, sed ab intellectu diuino: ergo: conf. quia (vt optime notant ex Aristotele Complutenses N. in logica disputatio. prima, quæstio. sexta, num. 60.) intellectus practicus, est regula, & mensura sui objecti, non autem speculatiuus, sed potius è conuerso: ergo cum intellectus diuinus sit practicus respectu veritatis creatæ, debet primaria eius ratio peti per comparationem, & habitudinem ad intellectum diuinum & secundum conuenientiam, seu conformationem, quam habet cum eo, idæisque ipsius: ergo cum habitudo illa transcendentalis, fundata in conuenientia, quam habet res creata cum intellectu diuino, exemplaribusque ipsius, sit realis, (quia nihil aliud est illa habitudo, quam ipsummet ens, quatenus habet adæquationem cum suo exemplari, à quo dependet) veritas creata, formaliter, & primario, consistet in habitudine transcendentali, & reali, quam dicit ens creatum ad intellectum diuinum, quatenus tale ens, dicit adæquationem & conformationem cum exemplaribus in intellectu diuino existentibus, & si dicat habitudinem ad intellectum creatum, hoc erit solum secundario, & veluti per accidens.

Confirmatur, quia primaria ratio veritatis transcendentalis, debet peti per comparationem ad regulam, & mensuram omnino infallibilem: ergo cum intellectus diuinus sit mensura, & regula omnino indefectibilis, & intellectus creatus, sit defectibilis, veritas creata, petetur primario per comparationem ad intellectum diuinum, & si dicat ordinem ad intellectum creatum, erit solum secũdario, & per accidens.

Confirmatur, quia habitudo illa, quam ens dicit ad intellectum creatum, fundatur in habitudine, quam dicit ad intellectum diuinum: intantum enim ens creatum, aptum est formare veram sui æstimationem in intellectu creato, inquantum assequitur assimilationem cum intellectu diuino, & exemplaribus ipsius: ergo ens creatum, prius habet rationem veritatis per comparationem ad intellectum diuinum, quam per comparationem ad intellectum creatum.

Probatur secundo, ratione petita ex Diuo Thoma, loco citato, quæstio. prima de verit. Veritas transcendentalis debet peti primario, per comparationem ad intellectum illum, sine quo consistere non potest essentia & ratio veritatis transcendentalis: at essentia & ratio veritatis transcendentalis persistere non potest, sine comparatione ad intellectũ diuinum, bene autem sine comparatione ad intellectum creatum, quia si intellectus omnes creati essent penitus impossibiles, persistere tamen posset ratio veritatis transcendentalis, modo possibilis esset intellectus diuinus; cum enim intellectus diuinus sit per se, & independenter à quocumque intellectu creato productiuus entis creati, posset consequenter, sublata possibilitate cuiuscumque intellectus creati, producere adhuc creaturas, illasque objectum intellectus sui sibi constituere, & per consequens rationem veritatis transcendentalis in eis imprimere, ergo debet illa ratio peti per se, & primario, per comparationem ad intellectum diuinum, & secundario solum, & veluti per accidens, per comparationem ad intellectum creatum.

Probatur tertio, debet judicium ferri de quacumque veritate transcendentali, conformiter ad veritatem transcendentalem, enti diuino conuenientem, tum quia cæteræ veritates, sunt participationes quædam illius, tum etiam, quia primum in quolibet genere est regula & mensura cæterorum: sed veritas transcendentalis enti diuino conueniens, petitur per comparationem ad intellectum diuinum, inquantum scilicet ens diuinum aptum est æstimationem veram & verum conceptum sui habere in intellectu diuino: ergo.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur objectiones.

Objicitur, ex Aristotele 6. Metaph. textu 8. ad Metaphysicum non pertinere de veritate tractare: ergo veritas non dicet de formali aliquid reale, sed aliquid solum rationis, alias cum ens reale vt sic, sit objectum Metaphysicæ, veritas includeretur intra considerationem ipsius.

5. Respondeo Aristotelem solum intendere, quod veritas non pertinet ad considerationem Metaphysicæ, per modum objecti ipsius, licet non neget, quod cadat per se sub consideratione ipsius tanquam proprietas objecti eius.

Respondeo secundo, Aristotelem loqui de veritate propositionis, quæ est ens rationis, non autem de veritate transcendentali.

Objicitur ex D. Tho. 1. p. quæst. 16. art. 6. in 1. dist. 19. quæst. 5. art. 1. in corp. quæst. 1. de verit. art. 4. in corp. & alibi sæpius, res denominantur veræ à veritate, quæ est in intellectu, eo modo, quo medicina denominatur sana à sanitate, quæ est in animali: ergo res denominantur solum per extrinsecam denominationem veræ, non ex vi alicuius formæ, in ipsis rebus existentis.

Confirmatur ex eodem loco citato in 1. in corp. vbi dicit veritatem compleri per actum intellectus eo modo, quo vniuersale: ergo sicut vniuersale fit per actum intellectus,

& constituitur formaliter per aliquid rationis, non autem per aliquid reale; ita veritas formaliter fiet, & constituetur per aliquid rationis, & non per aliquid reale.

Respondeo D. Tho. esse intelligendum omnibus illis in locis de veritate formali, & non de veritate transcendentali, nam loco cit. quæst. 1. de verit. sub finem corp. dicit expressè quod res denominantur veræ veritate transcendentali per aliquam formam illis intrinsecam; accipe eius verba, *Denominantur autem res veræ à veritate, quæ est in intellectu diuino, aut humano, sicut denominatur cibus sanus à sanitate, quæ est in animali, & non sicut à forma inhærēte, sed à veritate, quæ est in ipsa re, quæ nihil est aliud quam entitas intellectui adæquata, vel intellectum sibi adæquans, sicut à forma inhærente, sicut cibus denominatur sanus à qualitate sua à qua sanus dicitur.* Ex quo patet solutionem datam, esse omnino ad mentem Diui Thomæ.

Ad confirmationē autem similiter resp. S. Doctorem loqui de veritate formali, quæ completur quidem per actum intellectus, sicut & vniuersale, cum ista tamen differentia, quod vniuersale fit per actum intellectus, ex vi alicuius entis rationis, resultantis ex prædicto actu intellectus, per quod natura fit, & constituitur formaliter vniuersalis; veritas vero formalis fit per actum intellectus, assimilantis, & conformantis intellectum realiter cum re intellecta, & sic debet negari consequentia, quæ ex illa authoritate Diui Thomæ elicitur, neque enim intendebat Doctor Angelicus, in omnibus æquiparare veritatem cum vniuersali, sed solum in hoc, quod sicut vniuersale completur per actum intellectus, præsupposito fundamento in re; ita similiter veritas formalis, completur per actum intellectus, supposita veritate transcendentali ex parte obiecti, tanquam fundamento, quamuis vtrumque complementum fiat diuerso illo modo, assignato à nobis.

Obijcitur; veritas non potest consistere in aliqua relatione: ergo cum conformitas sit relatio, non poterit veritas consistere in conformitate rei cum intellectu diuino, idæisque ipsius.

6. Respondeo quod conformitas illa cum intellectu diuino, in qua diximus consistere formaliter veritatem, non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis, quæ de formali dicit quid absolutum, dicit enim in recto ipsum ens, non quidem secundum quod exprimitur per conceptum entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti relationis, conformitatis & adæquationis, quam habet ens creatum cum intellectu diuino, & sic si relationem illam conformitatis importet, importabit eam solum in obliquo, non autem in recto, & propterea diximus in conclusione, non in conformitate, sed in conformabilitate, hoc est in fundamento seu aptitudine ad relationem conformitatis, veritatem transcendentalem consistere.

Dices conformitatem fundamentalem, dicere fundamentum alicuius relationis æquiparantiæ: ergo cum in relationibus æquiparantiæ, relatio sit in vtroque extremo, & Deus non possit habere relationem realem ad creaturas, non poterit veritas transcendentalis consistere in aliqua conformitate cum intellectu diuino, exemplaribusque diuinis.

Respondeo quod conformitas dicit quidem conuenientiam duorum extremorum in aliqua forma, & consequenter quando forma conuenit illis vniuoce, tunc conuenientia & conformitas in forma, est fundamentum relationis æquiparantiæ; sed si talis forma sit in vno ex duobus extremis, modo diminuto, & dependenter ab altero extremo, tanquam à sua mensura, in qua talis forma longè eminentiori modo reperiatur, non erit necesse quod sit relatio realis ex parte vtriusque extremi, sed sufficiet, quod sit ex parte illius extremi, quod ab altero dependet, & sic cum rationes omnes in quibus creaturæ cum Deo conformantur, sint in Deo tanquam in mensura, & modo longe eminentiori, quam sint in creatis, erit solum relatio realis in creaturis non autem in Deo.

Ex ijs quæ dicta sunt in hac quæst. possunt concordari aliqui Tomistæ, qui prima fronte videntur inter se discordes: alij enim dicunt, quod habitudo conformitatis ad intellectum diuinum, est illa quæ primario, & de formali importatur in ratione veri, & quod ratio entis importatur & significatur solum in ea de materiali. Alij vero (de quorum numero est Masius libro 4. suæ Metaphys. capite 3.) dicunt è conuerso rationem entis esse illam, quæ primario & magis de formali importatur in vero, & habitudinem conformitatis, solum in obliquo, & veluti connotatiue ad eius constitutionem concurrere, ad modum quo negatio diuisionis ad constitutionem vnius in obliquo concurrit. Diceres hæc prima facie omnino inter se pugnare, sed verborum solum pugna est, non sensus. Illi enim qui dicunt rationem veri importare de formali prædictam habitudinem, & rationem entis de materiali, intelligunt per illā habitudinem, non relationem prædicamentalem, sed transcendentalem conformitatis, quam certum est de formali exprimi & significari per verum; & per ens materialiter seu implicite importatum, intelligunt ens secundum quod exprimitur per conceptum entis, quamuis tamen per hoc non excludant, quin veritas dicat ens formaliter, non quidem sub conceptu entis, sed secundum quod ens dicit conformationem cum intellectu. Illi verò qui dicunt, habitudinem conformitatis, solum in obliquo & veluti connotatiuè, rationem verò entis in recto & de formali, per verum significari, intelligunt per illam habitudinem, non relationem transcendentalem conformitatis, sed prædicamentalem, quam certum est in obliquo solum & connotatiue significari per verum: per rationem autem entis in recto & de formali importatam, intelligunt non rationem entis, secundum quod exprimitur per conceptum entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti relationis conformitatis, quod quidem fundamentum, nihil est aliud, quam conformitas fundamentalis, seu habitudo transcendentalis conformitatis cum intellectu. Ex quibus patet, omnes quotquot sunt, in re discordes non esse, sed solis verbis disceptare, cum omnes cōueniant inter se, quod verum dicat de formali ipsum ens, quatenus habet conformitatem & adæquationem cùm intellectu diuino, in qua conformitate & adæquatione inuoluitur, & exprimitur formaliter habitudo transcendentalis conformitatis ad intellectum diui-

num, in qua diximus consistere primario rationem veritatis transcendentalis.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum ratio veri transcendentalis sit formale obiectum intellectus creati.

§. I.

Resolutio Quæstionis.

ARauius 4. Metaphys. quæst. 3. art. 1. num. 4. triplicem affert sententiam. Prima est Scoti in 1. dist. 3. quæst. 3. & Vasquesij 1. p. disput. 76. cap. 2. asserentium rationem entis, liberam & absolutam omnino à ratione veri, esse obiectum formale intellectus, quamuis Vasques disput. 77. c. 5. explicet axioma illud commune, quod verum est obiectum intellectus, sicut bonum voluntatis, secundum modum explicandi, quem tribuit ei tertia sententia.

Secunda sententia est Ægidij quodlib. 4. qu. 7. asserentis quod ratio veri, est ratio formalis obiecti intellectus, sicut ratio boni, est ratio formali obiecti voluntatis.

Tertia sententia est, quod ratio entis, & ratio veri, concurrunt ad rationem formalem obiecti intellectus, ita tamen quod ratio veri concurrat adinstar modi cuiusdam intrinsecè annexi rationi formali, & specificatiuæ intellectus, eo modo, quo cæteris paribus, obscuritas & inevidentia concurrit, per modum intrinseci cuiusdam modi, ad rationem specificatiuam fidei (vt supra disp. 21. de vnitate quæst. 1. num. 3. ex Caietano & Bannesio retulimus,) ratio verò entis, sit ratio formalis specificatiua intellectus: ita Arauius loco iam cit. Flandria 6. Metaph. q. 14. art. 1. Caietanus 1. p qu. 16. art. 3. in expositione responsionis ad 3. & Nauarette 1. p. contro. 72. §. 4. & hæc sententia videtur magis ad mentem D. Tho. accedere, & ideo amplectenda.

Probatur ex D. Tho. 1. p. q. 16. art. 3 ad 3. vbi habet ista verba. *Ad 3. dicendum quod cum dicitur, quod ens non potest apprehendi sine ratione veri, hoc potest dupliciter intelligi, vno modo ita, quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri consequatur apprehensionem entis, & sic locutio habet veritatem: alio modo posset sic intelligi, quod ens non posset apprehendi, nisi apprehenderetur ratio veri, & hoc falsum est, sed verũ non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis, quia ens cadit in ratione veri, & est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens, non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens, ita quod non intelligatur eius intelligibilitas: & similiter ens intellectum, est verum, non tamen intelligendo ens, intelligitur verum.* Videatur adhuc quæst. 1. de verit. artic. 1. ad 3. & in 1. dist. 19. qu. 5. art. 1. ad 2. vbi sic loquitur, *Dupliciter dicitur aliquid non posse intelligi sine altero; aut ita, quod vnum non possit intelligi, nisi ponatur alterum esse, & sic dicitur, quod esse non potest intelligi sine vero, sicut etiam non potest intelligi sine hoc, quod est esse intelligibile; sine ita, quòd quandocumque intelligitur vnum intelligitur & alterum: sicut quicunque intelligit hominem, intelligit animal, & hoc modo potest intelligi esse, sine vero, sed non è conuerso, quia verum*

non est in ratione entis, sed ens est in ratione veri, sicut aliquis potest intelligere ens, & tamen non intelligi aliquid de ratione intelligibilitatis, sed numquam potest intelligi intelligibile, secundum hanc rationem, nisi intelligatur ens: vnde etiam patet quod ens est prima conceptio intellectus. Hæc D. Thomas.

9. Probatur prima pars conclusionis ratione desumpta ex illis authoritatibus D. Tho. illud quod est ratio formalis obiecti intellectus, debet esse tale, vt sine eo nihil possit apprehendi ab intellectu, aut cognosci: (currit enim ratio formalis specificatiua alicuius potentiæ per omnia talis potentiæ obiecta, cum sit ea, quæ defert actionem potentiæ ad omnia, ad quæ extenditur illius actio.) Atqui potest aliquid intelligi ab intellectu, absque eo quod apprehendatur ratio veri, (certum est enim non esse necesse, quod cognoscatur conformatio, & adæquatio, quam habet ens cum intellectu, vt ens, aut quodcumque aliud obiectum cognoscatur, sed sufficere, quod cognoscatur ratio entis in omnibus obiectis ab intellectu apprehensis:) ergo ratio entis, & non ratio veri erit ratio formalis specificatiua intellectus.

Probatur secundò, ratio illa, quæ primò obijcitur intellectui, est illa, quæ est ratio formalis, & specificatiua obiecti intellectus: at ex D. Tho. loco citat. 1. sentent. ratio entis, & non ratio veri, est illa, quæ primò obijcitur intellectui, primum enim cognitum, est ens, & propterea sicut ea, quæ consequuntur aliquam rationē recipiunt modum ipsius, ita omnia obiecta intellectus, modificantur à conceptu entis, cum quæcumque cognoscuntur, cognoscantur ad modum entis: ergo conceptus entis, non autem conceptus veri erit ratio formalis specificatiua obiecti intellectus.

Probatur tertiò ex eodem Diuo Thoma 1. p. quæst. 16. artic. 1. ad 3. si veritas esset ratio formalis obiecti intellectus, veritas, quæ est in nostro intellectu, causaretur à veritate obiecti, veritas enim quæ est in nostro intellectu causatur ab obiecto suo formali: at veritas formalis nostri intellectus, non causatur ab obiecto in esse veri, sed in esse entis considerato, & propterea Philosophus cap. de substantia dicit orationem esse veram, non ex eo quod res est vera, sed ex eo quod res est, vel non est: ergo ratio entis, & non ratio veri, erit ratio formalis obiecti intellectus.

Quod autem ratio veri concurrat ad rationem formalem obiecti intellectus tanquam modus illi intrinsecus, & indispensabiliter ei connexus, quæ est secunda pars conclusionis, probatur, quia implicat aliquid vnquam cognosci ab intellectu, nisi illud habeat comparationem, & conformationem aliquam cum intellectu, si illud cognoscatur, sicut est: ergo licet non sit necesse conformationem & adæquationem illam cognosci quotiescumque aliquod obiectum cognoscitur, debet tamen talis adæquatio, & conformatio in quocumque obiecto cognito semper exerceri.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur ex D. Tho. 1. p. qu. 16. artic. 1. in corpore sicut bonum nominat id, in quod tendit appetitus: ita verum nominat id, in quod tendit intellectus, & in 1. dist. 19. qu. 5. art. 1. ad 2. idem omnino dicit: ergo sicut bonum, est ratio formalis obiecti appetitus, ita verum est ratio formalis obiecti intellectus.

Confirmatur ex art. 2. eiusdem qu. 1. p. in corp. sub finē, vbi dicit, quod perfectio intellectus, est verum vt cognitum: ergo cum ratio formalis obiecti alicuius potentiæ, sit propria illius potentiæ perfectio, verum erit ratio formalis obiecti intellectus.

10. Respondeo cum Arauio, quod duo priora loca D. Tho. debent intelligi proportionaliter, vnde debet sic explicari, quod sicut bonum nominat id, in quod tendit appetitus, tanquam in rationem formalem obiecti sui; ita verum nominat id, in quod tendit intellectus, non quidem tanquam in rationem formalem obiecti sui, sed tanquam in modum indispensabiliter annexum cum ratione formali specificatiua obiecti sui. Vel secundò possunt intelligi sic, quod sicut bonum est id, extra quod, non potest se exendere appetitus; ita vt id omne, in quod fertur, debeat habere rationem boni; ita verum est id, extra quod non potest se exendere intellectus, taliter, quod intellectus non possit ferri circa aliquid, nisi illud habeat rationem veri, abstrahendo ab hoc quod illa ratio veri, sit ratio formalis obiecti sui, siue modus solum illius, & ista explicatio habet fundamentum in loco citat. 1. senten. vel tertiò potest sic intelligi prædicta comparatio, quod sicut bonum est id, in quod tendit appetitus, taliter, quod nulla alia potentia, præter appetitum, possit in illud, sub ratione boni, tendere; ita verum est id, in quod tendit intellectus, taliter, quod tendere in verum, vt verum est, nulli alteri potentiæ prætterquam intellectui conuenire possit, quamuis in illud, tanquam in rationem formalem, & primariam obiecti sui non tendat, & ad hunc sensum dicit Anselmus opuscul. de veritate cap. 12. quod veritas est rectitudo, mente sola perceptibilis. Vel quartò tandem possumus dicere, quod omnes illi loci D. Tho. non intelliguntur de veritate transcendentali, de qua est hic sermo, sed de veritate formali, cum sermonem faciat de veritate, residente in intellectu, vt videre est apud eundem Diuum Th. locis cit. præcipuè 1. p. q. 16. artic. 1. vbi dicit, verum in hoc distingui à bono, quod bonum est in rebus ex Aristot. verum autem in intellectu: ex quo euidenter apparet D. T. loqui de veritate formali, & non de veritate transcendentali: sensus ergo verborum illorum D. Tho. erit, quod sicut bonum, quod est in rebus, est illud, in quod vltimo tendit appetitus, tanquam in vltimam sui perfectionem: ita similiter verum formale, quod est in intellectu est id, in quod vltimo tendit intellectus, tanquam in vltimam sui perfectionem, vltimumque sui complementum; habet enim intellectus vltimam sui perfectionem, quando intelligit se cognoscere

gnoscere & quando rem cognoscit secundum quod est in seipso, vt cognoscente, & per hoc satisfit confirmationi, in qua euidenter S. Tho. loquitur de veritate formali, cum loquatur de veritate, quæ est in intellectu componente & diuidente.

Obijcitur. Illud, per quod obiectum intellectus respicit ipsum intellectum, est ratio formalis obiecti ipsius: sed obiectum intellectus, quod est ens, respicit intellectum per rationem veri & non per rationem entis: ergo: Minor est euidens. Maior autem prob. quia ratio formalis, per quam obiectum specificat potentiam aliquam, debet respicere talem potentiam, quia omne specificatiuum respicit illud, quod specificat, sicut perfectiuum suum perfectibile.

11. Respondeo quod obiectum non specificat potentiam, ex eo quod referatur ad potentiam, vel ex eo quod ab ea dependeat, sed potius ex eo quod potentia referatur ad ipsum, & ex eo quod ab ipso dependeat; specificat enim eam, per modum mensuræ ipsius, & consequenter debet specificare illam, per aliquid absolutum, & non per aliquid respectiuum; vnde ad illud, quod dicitur, quod specificatiuum debet respicere suum specificatum, sicut perfectiuum suum perfectibile. Distinguo, si specificatiuũ specificet per modum partis, & rationis inadæquatæ rem, quæ specificatur, concedo, quia specificatiuum tunc specificat, vt pendens ab ipso specificato, sicut pars à toto; si verò illud quod specificat, specificet per modũ obiecti, & per modũ mensuræ, nego, quia specificatiuum specificat tunc, non per modum partis, sed per modum totius, habentis totum suum independenter à re, quam specificat, & ideo non debet ad eam referri, sed tota relatio debet se tenere ex parte rei specificatæ.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum veritas transcendentalis sit passio entis.

§. I.

Resolutio quæstionis.

CONclusio communiter inter Metaphysicos omnes recepta est, quod veritas transcendentalis est passio entis.

12. Probatur ex D. Tho. 1. p. qu. 16. art. 1. in corp. sub finem, vbi S. D. affert definitionem veritatis ex Auicenna dicente: *Quod veritas vniuscuiusque rei, est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei.*

Probatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doct. art. 3. eiusdem quæst. Illud, quod exprimit aliquem modum ab entis conceptu virtualiter, seu ratione ratiocinata distinctum, ex eo consequentem, & cum eo conuertibilem, habet rationem passionis, & proprietatis, respectu ipsius: talis est veritas transcendentalis respectu entis: ergo. Maior est certa ex suppositione eorum, quæ iam dicta sunt de vnitate, & proprietatibus entis in communi. Minor autem prob. quo ad singulas eius partes, & primò quidem, quod veritas dicat, & exprimat aliquem modum distinctum ratione ratiocinata ab ente, euidens est, quia conceptus entis non exprimit, nisi comparationem ad esse, vbi veritatis conceptus exprimit ens, secundum quod habet

comparationem, adæquationem, & assimilationem cum intellectu diuino, idæisque ipsius: quod autem conceptus veritatis sequatur ex ente, sequela virtuali, patet, quia ex eo quod res acquirat aliquod esse, ex hoc ipso sequitur ipsam habere aliquam assimilationem, adæquationem cum idæis diuinis, & aptitudinem quandam ad hoc vt quantum est ex se conformetur cum quolibet altero intellectu. Tandem quod veritas sit conuertibilis cum ente probatur; nam (vt ex Aristot. secundo Metaph textu 4. ostendit Doctor Angelicus art. cit.) eadem est dispositio rerum in esse, & veritate; vnumquodque enim in tantum est cognoscibile in quantum habet de esse: ergo cum illud omne quod est cognoscibile, sit verum, omne illud quod habet rationem entis, rationem quoque veritatis in se continebit, & sic verum reciprocabitur, & conuertetur cum ente, & consequenter erit vera, propria, & adæquata passio entis.

Confirmatur, quia bonitas est passio entis, ex eo quod exprimat supra ens aliquem modum conuenientiæ cum appetitu, qui per conceptum entis non exprimitur: ergo veritas etiam dicetur passio entis; ex eo quod exprimat supra ens aliquem modum conuenientiæ, qui non exprimitur per conceptum entis.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur ex Augustino in Soliloquiis, c. 5. quod verum est id, quod est: ergo cum ens definiatur etiam id, quod est, quia ens definitur per ordinem ad esse, ens & verum erunt omnino idem, nec verum erit passio entis.

13. Respondeo ex D. Tho. quæst. 1. de verit. art. 1. & in 1. distinct. 19. quæst. 5. art. 1. ad 1. quod definitio illa D. Augustini, est causalis, & non formalis, id est, traditur per causam virtualem, & per fundamentum veritatis, non autem per rationem formalem ipsius.

Obijcitur: id quod se extendit ad ens & non ens, non est passio entis, cum eo conuertibilis: sed verum se extendit ad ens, & non ens; nam verum est, illud quod est, esse; & illud quod non est, non esse: ergo verum se extendit non solum ad ens, sed etiam ad non ens.

Respondeo ex D. Tho. 1. p. quæst. 19. art. 3. ad 2. & art. 5. ad 3. in 1. dist. 19. q. 5. art. 1. ad 5. qu. 1. de verit. art. 1. ad 7. quod intantum non ens habet de veritate, in quantum ex vi apprehensionis ad modum entis concipitur, & consequenter veritas non se extendit in plus, quam ens.

Respondeo secundò quod veritas de qua loquimur, & quæ est proprietas entis, est aliquid reale, positiuum, & ista veritas non potest vllo modo prædicari de non ente, sed sicut à non ente excluditur ratio entis positiui; ita excluditur quoque ab eo ratio veritatis positiuæ, & realis, quæ est proprietas ipsius.

Respondeo tertiò, illud, de quo prædicatur veritas, quando dicitur quod verum est non ens non esse, non est non ens, sed potius oratio enuntiatiua, vel actus intellectus enuntians talem propositionem; quando enim dicitur quod verum est non ens non esse, sensus huius propositio-

nis est, quod illa oratio, vel actus intellectus efformans hanc orationem, habet veritatem formalem, quia de facto intellectus concipit non ens non esse sicut de facto non est.

14. Obijcitur illud quod est prius conceptu entis, non potest esse passio illius; sed conceptus veri, prior est conceptu entis: & probatur, quia eo modo aliqua comparantur ad inuicem, quo sunt intelligibilia, cum vnumquoque disponatur eodem modo ad intelligibilitatem, quo disponitur ad esse: sed ratio entis, non est intelligibilis, nisi per rationem veri: ergo.

Confirmatur, quia veritas ex quæst. prima huius disput. consistit in conformatione, & adæquatione cum idæis diuinis in intellectu diuino existentibus: ergo cum primum, quod est in quolibet effectu, sit comparatio ad suam causam, primum, quod erit in ente, erit comparari ad idæas diuinas, quæ sunt ipsius effectrices: ergo cum ens comparationem, & adæquationem habeat cum ipsis ratione veritatis, veritas erit conceptus antecedens ipsum conceptum entis, & consequenter non poterit esse proprietas ipsius.

Respondeo ex D. Tho. quæst. 1. de verit. art. 1. in corp. 1. sent. distinct. 19. quæst. 5. art. 1. in corp. 1. p. quæst. 16. artic. 3. ad 3. vbi respondet argumento facto, quod cōceptus entis est ille, qui primò ab intellectu concipitur, etiam in sententia eorum, qui volunt veritatem esse rationem formalem sub qua intellectus, & multo magis in sententia eorum, qui admittunt esse solum modum intrinsecum obiecti formalis ipsius, vt quæst. præced. dictum est.

Ad confir. autem respondeo, quod fundamentum, & ratio, quare effectus comparatur ad causam, eique in aliquo conformatur, est, quia accipit aliquod esse ab eo, & consequenter, conceptus entis debet esse illud, quod est primum in re, & id, in quo fundatur, & ex quo sequitur illa conformatio, & assimilatio, quam habet quælibet res cum idæis diuinis.

DISPVTATIO XXIII.

DE VERITATE FORMALI.

LICET veritas formalis non sit proprietas entis vt sic, cum in solis cognoscentibus reperiatur, tamen quia agendo de veritate transcendentali, solet agi communiter & de veritate formali, vt distinctio, quæ est inter vtramque veritatem, dignoscatur, ideo morem aliorum sequendo, post disputationem de veritate transcendentali, hanc instituimus, in qua natura veritatis formalis inquiritur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM VERITAS FORMALIS REPERIATVR TANtum in compositione & diuisione intellectus, an in simplici etiam apprehensione ipsius.

§ I.

Diuersitas opinionum proponitur & determinatur quæstio quantum ad simplicem apprehensionem.

1. NOtamus primò quod veritas formalis, quæ est in intellectu, non excludit ab eo, quod habeat suam veritatem transcendentalem, sicut & aliæ res, vnde sicut res naturales dicuntur transcendentaliter veræ, quia habent similitudinem cum suo principio, cum exemplaribus scilicet diuinis, & propterea ex August. relato à S. Tho. 1. p. quæst. 16. art. 1. veritas sic sumpta definitur, quod sit summa similitudo, quæ est sine vlla dissimilitudine, ita veritas transcendentalis intellectus vt intellectus, seu vt potentiæ intellectiuæ, consistet in hoc, quod habeat in se perfectam similitudinem cum obiecto, quod est principium, & mensura intellectionis; licet enim intellectus in ratione entis, habeat veritatem suam transcendentalem per comparationem ad exemplar suum, in intellectu diuino existens, sicut & cæteræ creaturæ; tamen consideratus in ratione potentiæ formaliter cognoscentis, habet suam veritatem transcendentalem per comparationem ad obiectum, &

per hoc, quod habeat similitudinem formalem cum eo; cum enim res dicatur vera veritate transcendentali ex D. Tho. 1. p. q. 17. art. 1. in corp. ex eo quod habeat ea, quæ sibi competunt, & natura potentiæ cognoscitiuæ sit, exigere transformari in objectum cognitum, per hoc habebit intellectus veritatem suam transcendentalẽ per quod conformabitur objecto; vnde cum per speciem objecti formaliter repręsentatiuã trãsformetur intellectus in objectum, per eam consequenter, habebit intellectus veritatem suam transcendentalem.

Notamus secundo ex D. Tho. 1. p. q. 16. art. 2. in corp. sub finem, nomen veri formalis, importare verum vt cognitum; vnde cum vltima perfectio, in quam tendit intellectus, sit veritas vt cognita (illud enim in quod vltimo tendit intellectus, est verum cognoscere, & ideo quando semel veritatem attigit, ibi sistit omnis motus ipsi⁹, nec vlterius progreditur;) oportet, quod veritas formalis pertineat ad perfectissimam operationem intellectus, terminus enim & finis cujuslibet rei, attingitur per perfectissimam eius operationem, ad quam cæteræ, si quæ sint aliæ in tali re, per modum dispositionis ordinantur.

His positis prima sententia est, Veritatem formalem in simplici apprehensione primo reperiri. hæc tribuitur Platonicis, quos dicunt vniuersalia à singularibus secundum rem separasse, ne cum intellectus apprehendit vniuersalia, præcisa à singularibus, cogerentur admittere cum esse falsum.

Secunda sententia est, veritatem formalem considerari posse, vel subjectiuè, vel objectiuè, hoc est per modum formæ inhærentis, vel per modum objecti cogniti in actu exercito: primo autem modo veritatem formalem reperiri in simplici apprehensione non secundo modo. Ita Ferrariens. 1. contra Gent. c. 59. §. ad dubium ergo motum.

Tertia sententia asserit veritatem formalem in sola compositione, vel diuisione reperiri, ita Cajetanus 1. p. quæst. 16. art. 2. & communiter ibidem alij Thomistæ, cum Flandria 6. Metaph. q. 13. art. 3.

Nostra vero sententia sequentibus conclusionibus declaratur.

2. Prima ergo conclusio sit; veritas formalis non reperitur formaliter in simplici apprehensione intellectus. Ista conclusio videtur esse expressa Aristotelis in anteprædic. cap. 4. Vbi in terminis asserit in simplicium apprehensione, non esse mendacium, aut errorem: ergo nec etiam veritas erit in ea, cum contraria nata sint esse circa idem. Ita quoque sentit S. Tho. 1. p. q. 16. art 2. q. 1. de verit. art. 3. 6. Metaph. lect 4. vbi habet ista verba. *Hoc autem ens, quod dicitur quasi verum, & non ens, quod dicitur quasi falsum, consistit circa compositionem & diuisionem, voces enim incomplexa neque verum, neque falsum significant.* Et paulo post: *Et cum voces sint signa intellectuum, similiter dicendum est de conceptionibus intellectus, quæ enim simplices sunt, non habent veritatem, neque falsitatem, sed solum illæ, quæ sunt complexa per affirmationem, vel negationem.*

Probatur ratione. Veritas formalis debet reperiri in illa actione, in qua intellectus habet perfectionem suã: Atqui intellectus non habet suam perfectionem in simplici apprehensione: ergo veritas formalis, non reperietur in ea. Maior est certa, quia

vt ex vltima ſuppoſitione patet, veritas formalis, eſt vltima perfectio intellectus & finis atque terminus in quo vltimo conquieſcit. Minor autem, ſcilicet quod intellectus non habeat perfectionem ſuam in ſimplici apprehenſione, probatur, quia in ijs quæ procedunt de potentia in actum priora ſunt imperfectiora, nec ſtatim, ſed ſucceſſiuè acquirunt perfectionem ſuam: ergo cum intellectus in acquiſitione perfectionis ſuæ, procedat de potentia in actum, acquiret ſtatim ipſam in prima mentis operatione, quæ conſiſtit in ſimplici apprehenſione.

Deinde probatur eadem minor, quia ſi intellectus acquireret ſtatim in prima mentis operatione perfectionem ſuam, natura non prouidiſſet illi perfectiorem ſpecie operationem, quam ſit ſimplex apprehenſio, & propterea videmus, quod Angelici intellectus, qui poſſunt ſimplici apprehenſione perfectionem ſuam acquirere, non habent diuerſas ſpecie operationes, ſed ſimplici intuitu, æquiualente pluribus, & diuerſis ſpecie operationibus noſtris omnia cognoſcunt: ergo cùm præter ſimplicem apprehenſionem, prouiſa ſit intellectui noſtro, alia perfectior operatio, quæ conſiſtit in iudicio, debet neceſſario afferi, quod intellectus noſter, perfectionem ſibi maiorem acquirit per eam, quam per ſimplicem apprehenſionem, cùm perfectiori actioni, perfectior terminus, & objectum perfectius debeatur. Deinde cum intellectus noſter non quieſcat in ſimplici apprehenſione rei, ſed tentet continuo ferre iudicium de re, quam ſimplici cognitione apprehendit, euidens eſt, quod ſimplex apprehenſio, eſt ſolum actio diſpoſitiua ad acquiſitionem perfectionis, quam per iudicium poſſidet, & conſequenter cum veritas formalis ſit perfectio intellectus, per iudicium, & non per ſimplicem apprehenſionem veritas poſſidebitur.

Nec inferas mihi, ex hac vltima probatione ſequi, veritatem & perfectionem intellectus, non reperiri in iudicio, ſed potius in diſcurſu, quia licet ordinetur intellectus ad diſcurrendum circa rem, de qua non habet firmum certumque iudicium, nullatenus tamen ordinatur ad diſcurrendum circa rem, de qua perfectè iudicat, immo dico magis, quod intellectus non diſcurrit, niſi vt formet perfectum de re iudicium, & ſic omnes operationes intellectus, miniſtrãt & inſeruiunt iudicio, tanquam perfectiſſimæ actioni intellectus, per quã in tranquilla finis, perfectioniſque ſuæ poſſeſſione collocatur.

3. Probatur ſecundo, vbi eſt perfecta adæquatio, & conformitas intellectus cum re, ibi eſt veritas formalis: ſed in ſimplici apprehenſione, non eſt perfecta adæquatio, & conformatio intellectus cum re: ergo in ſimplici apprehenſione, non eſt veritas formalis.

Major eſt certa, tũ quia veritas formalis, nihil eſt aliud, quam perfecta adæquatio, & conformitas intellectus cum re: tum etiam quia veritas formalis (vt dictum eſt n. 1.) eſt finis intellectus, & conſummata eius perfectio; vnde cum intellectus habeat tunc conſummatam perfectionem ſuam, quando perfectam habet cum re quam intelligit conformationem, & adæquationem (illud enim eſt quod intellectus intendit intelligendo, vt ſcilicet per actionem ſuam, transformetur in rem quam intelli-

git) vbi erit perfecta adæquatio & conformitas intellectus cum re, ibi erit veritas formalis.

Minor autem probatur, quia tunc perfecta est, & completa conformitas intellectus cum re, quando gradus, qui sunt in ea, perfectè repræsentantur per aliquam speciem, vt vniti, & quando vt tales ab intellectu concipiuntur; tunc enim perfecta est conformitas, quando repręsentantur & cognoscuntur gradus eo modo, quo sunt in re; ergo cum in re sint vniti, & copulati ad inuicem, tunc perfectè intellectus conformabitur cum re, quando gradus qui sunt in ea, repræsentabuntur intellectui, vt vniti, & copulati ad inuicem: at non possūt repræsētari, vt vniti, & copulati in simplici apprehēsione, & probatur quia vbi nullus est terminus vniēs, & connectens tales gradus, ibi non possunt repręsentari vt vniti & copulati: ergo cum in simplici apprehensione, nullus sit terminus, nullum verbum vniens, atque coniungens illos simul (quia in sola propositione reperitur verbum connectens, & vniens vnum cum altero) consequenter in simplici apprehensione, non repræsentabuntur intellectui, vt vniti & coniuncti simul, sed in solo iudicio, quod per propositionem significatur.

Ex his euidenter apparet, non posse vllo modo sustineri, quod veritas formalis, sit formaliter in simplici apprehensione, etiam subiectiuè, quia contra naturam veritatis formalis est, quod sit solum subiectiuè in intellectu, & non vt cognita; cum de ratione eius sit (vt vidimus ex Diuo Thoma, suppositione secunda) quod sit cognita, & quod ratio, quæ per simplicem apprehensionem præcisa atque diuisa fuerat à subiecto, rursus reuniatur, & attribuatur ei per verbum, exprimens conuenientiam, & vnionem vtriusque ad inuicem, vt magis infra declarabitur.

Conclusio secunda, Veritas transcendentalis reperitur in simplici apprehensione, immo & veritas formalis, non quidem formaliter, sed materialiter veluti atque seminaliter, seu in esse inchoato, & incompleto. Prima pars conclusionis est doctissimi Nauarretæ, prima parte contro. 73. ad 5. vbi dicit, nihil aliud intendisse Ferrariens. quando dixit, veritatem reperiri subiectiuè in prima mentis apprehensione. Secunda autem pars est Arauij, quarto Metaphys. quæstio. 5. articulo tertio, conclus. 2.

4. Probatur prima pars conclusionis ex Diuo Thoma, prima parte, quæstione 16. articulo secundo, & quæst. 17. articulo secundo, vbi dicit. *Quod veritas potest esse in intellectu secundum primam mentis operationem, & in sensu tanquam in re vera*, Veritate scilicet transcendentali.

Probatur ratione ex suppos. prima, & ex D. Tho. quæst. 1. de verit. art. 5. in corp. secundum hoc aliquid denominatur verum transcendentaliter, secundum quod propriæ mēsuræ, principioque dicitur adęquatum & commensuratum; propterea enim imago dicitur vera imago, quia prototypi similitudinem omnino assequitur, & res naturales ideo dicuntur veræ, quia similitudinem exemplarium diuinorum assequuntur, & res artificiales, idcirco veræ, quia naturam artis, idæam scilicet artificis imitantur: ergo cùm objectum intellectus nostri sit ipsius mensura, & principium actionis eius, dicetur

intellectus verus veritate transcendentali, inquantum commensurabitur & adæquabitur objecto suo: ergo cum in simplici etiam apprehensione, intellectus habeat aliquam speciem, per quam assimilatur & conformatur objecto suo, dicetur verus veritate transcendentali in illa operatione ex vi prædictæ assimilationis & conformitatis, quod etiam proportionaliter de sensu est asserendum. Ex quo poteris aduertere (vt iam suppositione 1. insinuauimus) duplicem esse in potentijs cognoscitiuis veritatem, transcendentalem aliam, quæ conuenit eis in ratione entis, & hæc competit eis (sicut & cæteris alijs entibus creatis) per comparationem & conformationem ad idæas diuinas: aliam autem quæ cōpetit eis in ratione potentiæ cognoscitiuæ vt sic, & secundum quod ab alijs entibus non cognoscitiuis distinguũtur, & hæc competit eis per comparationem, & assimilationem ad objectum quod cognoscunt.

Secunda autem pars conclusionis, quod scilicet veritas formalis reperiatur in simplici apprehensione, non quidem formaliter, sed materialiter, & seminaliter in esse inchoatiuo & incompleto: probatur, quia in prima mentis operatione reperitur materia & semen propositionis mentalis, cum in ea reperiantur conceptus ex quibus fit & componitur propositio illa: at vbi reperitur materia & semen propositionis, ibi reperitur materialiter, & seminaliter veritas eiusdem propositionis: ergo cum veritas formalis, sit veritas propositionis, veritas formalis reperietur materialiter, & seminaliter in prima mentis operatione.

Confirmatur, quia conceptus illi formales, quibus verbi gratia concipitur homo, & animal, in prima mentis operatione, sunt conceptus circa quos debet versari intellectus, quando faciet hanc propositionem, homo est animal, & ex quibus prædictam propositionem componit: ergo in prima mentis operatione, reperitur materia, ex qua fit veritas formalis, & circa quam versatur intellectus, attingendo veritatem formalem, & sic veritas formalis reperitur veluti materialiter, & in esse inchoatiuo, & incompleto in simplici apprehensione.

§. II.

Determinatur quæstio quantum ad secundam mentis operationem, quantum ad compositionem scilicet & diuisionem.

5. ANtequam procedamus ad decisionem quæstionis, supponendum est, quæstionem esse de veritate formali, per comparationem ad intellectum humanum; certum est enim, quod Angeli non intelligunt componendo, aut diuidendo (vt ostendit D. Tho. 1. p. quæstio. 58. art. 4.) & multominus Deus, cum intelligere hoc modo arguat imperfectionem in intellectu, vt potest videri loco citato, prima parte & quæstio. 85. articulo quinto, & primo contra Gent. cap. 58.

Notandum est secundo dari in intellectu nostro tria propositionum genera, primum genus, est propositionum, quas vocant pure apprehensiuas, quando scilicet intellectus nullum

lum habet iudicium de obiecto apprehēso, sed habet solum plures conceptus, in modum, & formam propositionis ordinatos, vt contingit in dubitantibus, & in ijs, qui audiunt, vel legunt aliquam propositionem, absque eo quod ferant iudicium de illius obiecto. Secundum genus, est aliquarum propositionum, quas alij vocant compositiuas, aut diuisiuas, seu compositiones, aut diuisiones, ad differentiam scilicet earum, quæ sunt pure apprehensiuæ, quamuis alij, ad differentiam iudicij perfecti, atque formati, apprehensiuas adhuc eas vocant, quia licet in eis sit aliquale iudicium, imperfectum tamen est, & nondum omnino plenum, atque formatum. Tertium tandem genus propositionum; est earum, in quibus perfectum, & formatum omnino fertur de obiecto iudicium, asserendo indubitanter, & firmiter, hoc esse hoc, & tale iudicium dicunt aliqui esse supra præcedens reflexiuum, & illius veluti confirmatiuum, quasi ex vi talis actus, intellectus sibi ipsi diceret, bene composui animal verbi gratia cum homine per actum præcedentem, vel si aliud prædicatum, ipsi non conueniens, ab eo separauerit, bene separaui.

6. Hoc posito, sit conclusio tertia. Veritas formalis non reperitur in propositione pure apprehensiua.

Probatur breuiter ista conclusio, primo, quia sicut aliquis non dicitur in verbis mendax, si non proferat aliquid assertiuè, sed solum sub dubio; ita non dicitur intellectus mendax, aut falsus, nisi mentaliter dicat, & intelligat aliquid assertiuè: ergo cum ex vi propositionis pure apprehensiuæ, nihil assertiuè dicat intellectus, sed simpliciter apprehendat terminos illius propositionis; non erit falsus circa prædictam propositionem, nec consequenter verus, cùm contraria nata sint esse circa idem.

Secundo, quia in propositione simpliciter apprehensiua, intellectus non exerit actum iudicij, sed suspendit illum: ergo cum in solo actu iudicij veritas, vel falsitas reperiatur, non reperietur consequenter in prædicta propositione.

Tertio quia propositio illa purè apprehensiua, est solum in prima mentis operatione, & non in secunda, ideo enim vocatur purè apprehensiua, quia simplici intellectus apprehensione solum attingitur, si enim per iudicium non attingitur, (sicut admittitur ab omnibus communiter) non videtur per quam aliam intellectus operationem possit attingi quā per simplicem apprehensionem: ergo cum in simplici apprehensione veritas formalis non reperiatur, non reperietur etiam in illa propositione.

Et si dicas propositionem illam, esse propositionem proprie dictam, & per compositionis actum efformari, qui tamen non est actus iudicij.

Contra, quia in omni propositione formali, tribuitur, & adjudicatur prædicatum subjecto, cum in omni propositione formali, prædicatum dicatur de subiecto: ergo non potest dari formalis, & propriè dicta propositio, sine iudicio, componente prædicatum cum subiecto, & sic propositio illa apprehensiua dicetur solum materialiter, & secundum apparentiam talis, inquantum scilicet includit terminos in modum, & formam propositionis ordinatos, quamuis prædicti termini propositionem

formalem non conficiant, quia non attinguntur per aliquem actum, qui habeat vim eos connectendi & copulandi verbaliter, sed per simplicem apprehensionem eos cum illo ordine, & cum illa successione, quam habent in propositione, attingentem.

Conclusio quarta; veritas formalis reperitur formaliter in propositione iudicatiua, taliter, quod si iudicium propositionis, sit perfectum omnino, atque formatum, perfecta veritas in ea reperiatur, si vero iudicium sit imperfectum, imperfecta quoque veritas in ea reperiatur. Ista conclusio est Aristotelis 6. Metaph. lect. 4. apud S. Tho. Diui Thomæ, ibid. aliisque locis §. præcedenti conclus. prima citat. nec non & omnium Philosophorum loco citat. Metaphys. & Theologorum prima parte, quæst. 16. art. 2.

7. Probatur ratione. Vltima perfectio alicuius rei, debet attingi per vltimum motum, in quem illa res inclinatur: ergo cum ex dictis §. præc. nu. primo & secundo, veritas formalis, sit vltima perfectio intellectus, quam tanquam finem & terminum intendit, debet attingi per vltimum motum intellectualem in quem inclinatur: ergo cum omnes motus, seu operationes intellectuales intellectus nostri, ordinentur ad iudicium (quia non solum simplex apprehensio, sed etiam discursus ordinatur ad hoc, vt intellectus formet perfectum de obiecto iudicium) debet conseq. veritas formalis attingi per iudiciũ, perfectè quidem, si iudicium sit perfectum, imperfecte vero, si iudicium sit imperfectum; & sic veritas formalis, erit in propositione iudicatiua, perfecte, vel imperfecte conformiter ad perfectionem, vel imperfectionem iudicij, quod concomitabitur.

Probatur secundo ex ijs, quæ dicta sunt §. præced. n. 3. quando intellectus, vt intellectus, seu vt intelligens & cognoscens; habet perfectam conformitatem, & adæquationem cum obiecto, tunc reperitur in eo veritas formalis: at intellectus habet in iudicio quod format de obiecto, perfectam cum eo conformitatem, & adæquationem, quia in iudicio repræsentantur gradus obiecti, eodem prorsus modo, quo sunt à parte rei, hoc est, vt vniti & copulati ad inuicem, cum repræsententur quatenus connectuntur simul per verbum copulatiuum & vnitiuum prædicati cum subiecto ergo. Hæc ratio desumpta est ex D. Tho. lect. 4. cit. 6. Metaph. versus medium, vbi habet ista verba. *Sciendum est autem, quod cum qualibet cognitio perficiatur per hoc, quod similitudo rei cognitæ est in cognoscẽte, sicut perfectio rei cognitæ cõsistit in hoc, quod habet talem formã, per quam est res talis; ita perfectio cognitionis consistit in hoc, quod habet similitudinem formæ prædictæ: ex hoc autẽ, quod res cognita habet formã sibi debitã, dicitur esse bona, & ex hoc quod habet aliquem defectum, dicitur mala; & eodem modo, ex hoc quod cognoscens habet similitudinem rei cognitæ, dicitur habere veram cognitionem; ex hoc vero quod deficit à tali similitudine, dicitur falsam cognitionem habere: sicut ergo bonum & malum designant perfectiones, quæ sunt in rebus, ita verum & falsum designant cognitionum perfectiones.* Hæc D. Tho. ex quibus infero, quod (cum ordo intelligibilis fundetur in ordine essendi) sicut res materiales, quæ sunt obiectum mo-

tiuum, & proportionatum intellectus acquirunt formam sibi debitam, per quam dicuntur tales, ex vi generationis, quæ est actio vnitiua formæ cum materia; ita vt aliqua res intellectuali modo generetur in intellectu, & vt intellectuali perfecto modo transformetur intellectus in eam, (in quo veritas formalis consistit) oportet, quod hoc fiat, ex vi actionis alicuius componentis, & vnientis formam Metaphysicam cum subiecto Metaphysico, id est prædicatum cum subiecto, & id requirit, non solum natura obiecti, sed etiam natura ipsiusmet intelligentis; cum enim operari sequatur esse, & homo acquisierit suam naturam, & suum esse per actionem vnitiuam, debet etiam perfecta intellectus ipsius operatio, (in qua reperitur veritas formalis,) habere vim vnitiuam, & compositiuam, seu vnitiuo, & compositiuo modo suum obiectum attingere, vt sic perfecta operatio sapiat naturam principij, à quo fluit.

8. Probatur tertio ratione desumpta ex Diuo Thoma prima parte, quæstione decima sexta, articulo secundo, & quæstione prima de verit. articulo tertio, quãdo res habet propriam formam naturæ suæ, modo sibi proprio, tunc dicitur vera; sed forma propria intellectus, vt intellectus, seu vt cognoscens est; est species, per quam assimilatur obiecto: ergo tunc intellectus erit formaliter verus, quando habebit speciem, & similitudinẽ obiecti, modo sibi proprio: at modus habendi illam intellectui proprius, est habere illam, iudicando, quod ipsa conformitatem habet cum obiecto, & quod ratio per talem speciem repræsentata obiecto de facto conuenit (habere enim solum similitudinem in esse cognoscibili cum obiecto, & per talem similitudinem cognoscere obiectũ absque eo quod iudicetur, quod ratio cognita de obiecto illi conueniat, & quod species talem rationem repræsentans, habeat conformitatem cum eo, non est soli intellectui propria, cum conueniat adhuc potentiis sensitiuis:) ergo tunc intellectus erit verius formaliter, quando recipiet conformationem, & adæquationem cum obiecto, ex vi speciei, seu similitudinis eius, iudicando de tali conformatione, & adæquatione, quod nimirum species repræsentans illi obiectum, habet vnitatem conformitatis cum eo, & quod ratio repræsentata per talem speciem, est vere vnum quid cum ipso: sicut enim rationes, quæ sunt in obiecto conueniunt ei, & sunt vnum quid cum eo: ita, vt intellectus sit perfecte similis obiecto, & vnum quid in esse intelligibili cum eo, debet intelligere, quod rationes repræsentatæ, obiecto conueniunt, & sunt vnum quid cum eo, quod certe fieri non potest, nisi per iudicium, reuniens rationes prædictas cum obiecto, quæ ex eo abstractæ fuerant ab inuicem atque separatæ per præcedentes actus simplicis apprehensionis; cum enim intellectus noster procedat in acquisitione perfectionis suæ de potentia in actum, prius consequenter rationes vniuersales, verbi gratia, rationem entis, substantiæ, viuentis, animalis per simplicem apprehensionem præcisiuè cognoscit, & deinde per superueniens iudicium, reflectens super præcedentes actus, & super conceptus formales, rationesque repræsentatas per eos, cognoscit tales rationes, non

amplius modo abstractiuo sicut antea per simplicem apprehensionem cognoscebat, sed modo vnitiuo, copulans eas per actum iudicij, per quem iudicat eas esse vnum quid cũ obiecto ex quo abstractæ fuerant atque præcisæ ab inuicem; quod similiter facit quantum ad conceptus formales per quos rationes illæ repræsentantur, iudicat enim eos habere conformitatem & similitudinem in esse repræsentatiuo cum obiecto, sicut prædictæ rationes per eos repræsentatæ iudicantur conuenire & conformari in esse entis cum eo, intellectus enim non potest iudicare prædictas rationes, conuenire obiecto, & esse vnum quid cum eo in esse entis, nisi etiam simul, & in actu exercito iudicet, conceptus formales repræsentantes eas, habere conformitatem in esse intelligibili, & repræsentatiuo cum eo, cum quo sic iudicatur conuenire in esse entis; quia quicquid cognoscit intellectus de obiecto, cognoscit illud per cõceptum formalẽ, similem obiecto, & per consequens, si iudicat aliquam rationem in esse entis obiecto conuenire, & esse vnum quid cum eo, debet in actu exercito, per idem iudicium iudicare, quod conceptus formalis, repræsentans prædictam rationem obiectiuam, habet conuenientiam, & conformitatem in esse repræsentatiuo cum eodem obiecto.

9. Ex his duo infero; primum est, non esse necessarium absolute ad rationem essentialem veritatis formalis, quod obiectum attingatur per actum iudicij reflectentis suprà aliud iudicium, quod antea præcesserit, & confirmantis veluti compositionem ab actu præcedẽti factam, sed sufficere quod attingatur per actum iudicii reflectentis supra actum simplicis apprehensionis, & supra rationem quæ de obiecto apprehensa fuit. Ita sentit Ferrar. 1. contra Gent. c. 59. §. circa illam propositionem, &c.

Et hæc videtur omnino esse mens D. Tho. 6. Met. lect. 4. versus med. & 1. p. q. 16. art. 2. in corp. vbi hæc habet, *Sed quando iudicat (intellectus scilicet) rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit & dicit verum*, Vbi non requirit D. Th. (vt videtur) ad hoc, vt intellectus intelligat, vel dicat verũ, quod forma prius cognita, adiudicata iam fuerit obiecto per aliquem aliũ actum iudicii qui iam præcesserit sed quod solum fuerit apprehensa: Et ratio huius rei est, quia in omni iudicio aperitur veritas vel falsitas formalis: ergo in iudicio, quod supponitur ante actum iudicii reflectentis, supponetur iam esse veritas formalis, vel falsitas; licet ergo ob imperfectionem intellectus, contingat vt plurimum, quod ferat imperfectum iudicium de obiecto, antequã perfecte iudicet de eo, ex hoc tamen non sequitur, quod veritas formalis absolute, & secundum sua essentialia, reperiatur solum in secundo illo actu, sed solum sequitur, quod secundum totam suam perfectionem non reperiatur vt plurimum, nisi in illo actu secundo, quamuis tamen non dubitauerim posse fieri vt plurimum, quod perfecte reperiatur in primo iudicii actu, vt sæpius accidere potest in ijs, qui pollent excellenti ingenio, qui ad primam apprehensionem alicuius rationis, alicui obiecto conuenientis, penetrant statim a cumine intellectus sui, conuenientiã illam cum obiecto, & primo iudicio, quod efformant, applicant, & adiu-

dicant ei tale prædicatum; & quamuis possint postea reflectere supra illum actum, per alium actum iudicij, secundus tamen priori superueniens, non addit ei maiorem aliquam perfectionem substantialem, sed accidentalem solum, quia poterit fieri, quod per primum actum, certo, & infallibiliter penetrata fuerit tota conuenientia prædicati cum subiecto; & hoc contingere potest, non solum in excellenti ingenio præditis, sed etiam in omnibus, saltem quoad principia notissima, sicut sunt hæc, quodlibet est vel non est, totum est maius sua parte &c.

Secundum quod infero cum Flandria 6. Metaphys. q. 13. art. 3. in corp. versus medium est, tres conditiones esse requisitas, ad hoc, quod veritas formalis proprie sit in aliquo. Prima est, quod similitudo rei cognitæ sit in eo, & ex defectu huius conditionis, veritas formalis non potest esse in rebus non cognoscentibus. Secunda est, quod illud, in quo est talis similitudo, cognoscat rationem illius similitudinis, & ex defectu huius conditionis, negat D. Tho. quæst. 1. de verit. art. 4. veritatem formalem in sensu posse reperiri, licet similitudo obiecti in eo reperiatur. Tertia est, quod illud, in quo illa similitudo est, cognoscat rationem illam similitudinis, iudicando de ea, & de ratione repræsentata per eam, quod fieri non potest, nisi per compositionem, vel diuisionem, & ex huius defectu, veritas formalis dicitur non esse in simplici apprehensione.

§. III.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obijcitur, adæquatio intellectus cum obiecto, est veritas formalis: datur in simplici apprehensione adæquatio talis: cum per eam cognoscatur obiectum per similitudinem formalem obiecti: ergo datur in simplici apprehensione veritas formalis.

10. Respondeo quod licet detur in prima apprehensione adæquatio intellectus cum obiecto, immo licet adæquatio illa possit esse per actum reflexum simplicis apprehensionis in actu veluti signato, & vt quod, cognita; tamen, quia non quæcumque adæquatio intellectus cum obiecto, etiam vt cognita, habet rationem veritatis formalis, sed sola illa, quæ iudicatur vt talis, quia veritas formalis, est vltima perfectio, & vltima forma intellectus, vt cognoscentis, quæ consequenter debet per vltimum, & perfectissimum modum intellectualem acquiri, propterea veritas formalis non erit in simplici apprehensione, sed in compositione iudicatiua intellectus, cum terminus, ad quem vltimo natura aliqua tendit, in fine solum vltimi motus, tanquam eius vltimum complementum, reperiatur.

Resp. secundò, ex ijs quę dicit D. Tho. locis supra cit. & præcipuè qu. 1. de verit. art. 3. ad 1. quod non quæcumque adæquatio intellectus cum obiecto, facit veritatem formalem, sed illa sola, quæ est in intellectu, vt cognoscente, modo proprio intelle-

ctus; vnde cum modus proprius cognoscendi intellectui conueniens, quatenus à cæteris potentijs cognoscitiuis distinguitur, sit cognoscere iudicando, quia modus cuiuslibet rei debet attendi, secundum id quod est præcipuum in ea, & præcipuum quod est in intellectu, vt intellectiuus est, atque cognoscitiuus sit iudicare, propterea sola adæquatio & conformitas cum obiecto, quæ est in intellectu iudicante, constituet veritatem formalem, non autem adæquatio aut conformitas quæ est in intellectu apprehendente; & sic in solo iudicio, reperietur veritas formalis, non autem in simplici apprehensione intellectus.

Obijcitur, verum debet reperiri in operatione illa intellectus, in qua cognoscitur aliquid per comparationem ad aliud, vt est aliquid ipsius; sed intellectus per simplicem apprehensionem cognoscens quidditatem aliquam, cognoscit eam per comparationem ad id, cuius est quidditas ex Diuo Thoma primo contra Gent. cap. 59. quia intellectus (ait Diuus Thomas) apprehendit eam vt quidditatem huius rei: ergo veritas formalis debet reperiri in simplici apprehensione.

Confirmatur, quia in simplici apprehensione potest reperiri compositio, potest enim in ea reperiri definitio, & diuisio, quæ conficiuntur ex pluribus terminis: ergo cum veritas reperiatur in compositione & diuisione, reperietur formaliter in simplici apprehensione.

11. Respondeo quod intellectus potest cognoscere quidditatem, per comparationem ad id cuius est quidditas, duobus modis, vel per comparationem applicantem, & adiudicantem quidditatem rei illi, cuius est quidditas; vel per comparationem simplicem, non adiudicantem quidditatem rei illi, cuius est quidditas. Prima comparatio fit per actum iudicij, & per veram compositionem iudicatiuam, cum talis comparatio fiat per hoc quod quidditas illa coniungatur per modum prædicati, cum illa re, cuius est quidditas, tanquam cum subiecto, ex vi alicuius verbi vtrumque copulantis & connectentis simul; & in hac comparatione reperitur veritas formalis. Secunda autem comparatio fit per simplicem apprehensionem, & in ea non reperitur veritas formalis.

Et ratio huius rei est, quia in secunda comparatione, non cognoscitur quidditas, secundum modum illum vnionis, & conuenientiæ, quam habet secundum se, cum illa re, cuius est quidditas, sed potius consideratur modo quodam abstractiuo, & comparatur per modum cuiusdam rationis distinctæ, ad illam rem, cuius est quidditas; vbi intellectus in prima comparatione, quidditatem illam cognoscit secundum modum vnionis, & conuenientiæ, quam habet secundum se, cum re, cuius est quidditas, & secundum talem conuenientiam, applicat & adiudicat eam rei, cuius est quidditas, & consequenter in hac comparatione, in qua comparantur res inter se eo modo, quo sunt reperietur veritas formalis, non autem in altera, in qua comparantur ad inuicem, secundum modum præcisionis, quem patiuntur ab intellectu.

Ad confirmationem autem, similiter respondeo, quod sola compositio, vel diuisio iudicatiua, est illa, in qua reperitur veritas formalis,

non autem compositio, aut diuisio, in quibus non interuenit iudicium aliquod, quales sunt definitio & diuisio.

12. Dices: ex Diuo Thoma prima parte quæstione decima septima, articulo 3. in prima apprehensione, & in definitione, quæ fit per eam potest esse per accidens falsitas: ergo poterit etiam esse veritas in ea.

Respondeo ex Diuo Thoma primo contra Gentes, capite 59. & in primum distinctione 29. quæstione quinta, articulo 1. ad 7. falsitatem non esse per accidens in simplici apprehensione, aut in definitione, nisi quia implicatur in ea aliqua affirmatio, vel negatio falsa, quod etiam asserit loco cit. 1. p. vbi ait ideo aliquem intellectum in definiendo aliquid esse falsum, quia informat hanc v. g. hominis definitionem, animal rationale, aliqua compositione falsa, applicando ei aliquod prædicatum non conueniens ei, vt si diceres animal rationale est quadrupes.

Nota tamen quando dicimus, in simplici apprehensione esse falsitatem per accidens, ratione affirmationis, negationis, seu diuisionis falso in ea implicitæ, mentem non esse, quod prædicta affirmatio aut diuisio per simplicem apprehensionem efformetur, id enim est impossibile, sed dicitur solum prædicta diuisio aut affirmatio implicita in simplici apprehensione, quia licet talis diuisio aut affirmatio fiat interueniente alio actu intellectus, iudicio scilicet, hoc tamen fit, simplici apprehensione subministrante terminos ex quibus de facto iudicium efformat aliquam affirmationem vel diuisionem falsam, licet illa diuisio aut affirmatio nunquam possit fieri per simplicem apprehensionem, & sic falsitas dicitur solum esse in prima illa apprehensione materialiter, seu seminaliter, aut causaliter, (vt ait optime Ferrariensis) non autem formaliter.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Propositio mentalis seu compositio vel diuisio in qua diximus veritatem formalem reperiri, sit qualitas simplex an composita.

§. I.

Resolutio Quæstionis.

13. AD intelligentiam quæstionis suppono primò, quod in omnium sententia, actus iudicij, quo reflectitur intellectus supra cōpositionem, vel diuisionem, quam facit prius componendo prædicatum cum subiecto vel illa inuicem diuidendo, est qualitas simplex, non autem composita: ratio est, quia per iudicium illud reflexiuum, non coniungitur prædicatum cum subiecto, sed potius vnio, quæ per præcedentem enuntiationem facta fuerat inter vtrumque, fit obiectum illius, & iudicatur, vt optime, & conuenienter facta: vnde sicut illa vnio est obiectum simplex, ita actio iudicij ad ipsam terminata, debet etiam esse quid simplex, & non quid compositum. quæstio ergo præsens procedit,

non de illo iudicio reflexiuo, nec etiam de propositione mentali pure apprehensiua, in qua nullum iudicium interuenit, sed de prima enuntiatione iudicatiua, qua prædicatum, v. g. animal, attribuitur homini, & de eo prædicatur.

Notandum est secundo in formanda propositione enuntiatiua, hunc ordinem ab intellectu seruari, vt prius per diuersos conceptus simplicia apprehendat, quam illa per enuntiationem obiecto applicet, & attribuat: antequam enim hanc v. g. propositionem efformet, homo est animal, prius per diuersos simplicis apprehensionis conceptus, rationem hominis & rationem animalis cognoscit, & postea vtrumque conceptum per enuntiationem coniungit atque connectit.

His positis prima sententia est, propositionem enuntiatiuam mentalem, seu compositionem, aut diuisionem, esse qualitatem compositam, & non simplicem: ita Ruuius in Logica lib. 1. de interpret. cap. 4. quæst. 4. Vasquez tomo 2. 1. p. disput. 13. c. 13. Almannius 1. p. summæ Philosoph. qu. 19. artic. 1. quam tenet probabilem Huertos lib. 1. summul. cap. 5. qu. 19. art. 3.

Secunda sent. tenet eam esse simplicem qualitatem, & non compositam: ita Caietanus 1. 2. qu. 113. artic. 7. ad 2. Ferrariensis 1. contra Gent. cap. 59. §. aduertendum secundò, quod cum complexa &c. Masius tomo 2. suæ Logicæ de oratione quæst. 3. Soncinnas 4. Metaphys. quæst. 32. Toletus 3. de anima quæst. 15. Soto lib. 2. summul. cap. 5. quam problematice adhuc sustinet Huertos loco citat. & hæc videtur esse omnino de mente Diui Thomæ & vera, ideoque tenenda.

14 Probatur authoritate Diui Thomæ 1. p. quæst. 58. artic. 3. vbi ait, *Plura vt vnum, simul, & vna operatione intelliguntur, & sic noster intellectus intelligit simul prædicatum, & subiectum, prout sunt partes vnius propositionis*: at prædicatum, & subiectum vna operatione intelligi non possent, nec simul ambo cognosci, si enuntiatio esset qualitas composita, quia prius deberet cognosci subiectum per aliquam operationem partialem, & postea prædicatum per aliam, beneficio cuius vniretur cum subiecto: ergo.

Dices S. Tho. esse intelligendum de vnitate operationis, quæ non sit vna simpliciter, & absolute, sed quæ sit solum vna vnitate ordinis; quamuis ergo distinctis, & sibi inuicem succedentibus actionibus, cognoscantur partes propositionis, tamen ideo dicit D. Tho. eas vna operatione simul cognosci, quia partes illæ in cognitione habent ordinem quendam successionis, cùm vna propter alteram cognoscatur, quod sufficit, adhoc vt dicantur vna operatione cognosci: vbi enim sunt plura propter vnum, ibi est quodammodo vnum (ait S. Doctor) 1. p. q. 58. art. 7. ad 2. & de verit q. 8. art. 14. ad 6.

Sed contra, quia exemplum quod D. Tho. adducit de visione corporea, qua plures partes eiusdem totius continui videntur, conuincit, sicut illa visio corporea est qualitas simplex, & non composita, ita cognitionem illam, qua prædicatum & subiectum propositionis cognoscuntur, esse etiam qualitatem simplicem, & non compositam.

Deinde ista solutio non excludit, quin saltem duæ illæ partiales operationes,

tiones, quibus cognoſcuntur partes propoſitionis, ordinem inter ſe ſucceſſionis habeant & quod vna ſit poſt aliam, prius enim debet in illa ſent. ſubiectum cognoſci, quam prædicatum, quod tamen eſt contra D. Tho. 1. contra gent. cap. 55. ratione prima vbi habet hæc verba: *Similiter intellectus ſimul intelligit propoſitionem non prius ſubiectum, & poſtea prædicatum; quia ſecundũ vnam ſpeciem totius cõprehendit omnes partes*, vbi vides nõ ſolum D. Tho. negare prædicatum cognoſci poſt ſubiectum, ſed etiam aſſerere, quod per vnam ſpeciem totius repræſentatiuam, vtrumque ſimul cognoſcitur: ergo cum illa, quę gaudent vnica ſpecie, vnica etiam operatione intellectus cognoſcantur, prædicatum, & ſubiectum propoſitionis vnica, & ſimplici, operatione cognoſcentur. poteris etiam videre eundem S. Doctorem 6 Metaph. lect. 4. litt. 6. vbi cum Philoſopho aſſerit, quod prædicatum & ſubiectum; non cognoſcuntur ſucceſſiue, & vnum poſt aliud, ſed ſimul, *Si enim intellectus* (inquit) *intelligat hominem, & animal, vt ſunt duo quædam, intelligit ea conſequenter duabus conceptionibus ſimplicibus, non formans ex eis affirmationem, neque negationem; cùm autem ex eis format compoſitionem, aut diuiſionem, intelligit ambo, vt vnum, inquantum ſcilicet ex eis aliquod vnum fit, ſicut etiam partes cuiuslibet totius intelligit intellectus, vt vnum, intelligendo ipſum totum, non enim intelligit domum, intelligendo prius fundamentum, & poſtea parietem, & poſtea tectum, ſed omnia iſta intelligit ſimul, inquantum ex eis fit vnum, ſimiliter intelligit prædicatum & ſubiectum ſimul, inquãtum ex eis fit vnus in ſcilicet affirmatio & negatio*: Hæc D. Tho. ex quibus patet quantum decipiantur, qui contrariam ſententiam D. Tho. attribuunt, vt magis adhuc ex ſolutione quarundam authoritatum, quæ §. ſequenti pro contraria ſent. referentur, patebit.

15. Probatur ratione: vel propoſitio mentalis, ſumitur pro actione intellectus, qua cognoſcitur obiectum, vel pro conceptu formali, repræſentante tale obiectum, ſed quocumque ex illis duobus modis ſumatur, non poteſt dici, quod ſit qualitas aliqua complexa, atque compoſita: ergo &c. Maior patet. Minor probatur & primo quidem, quod non poſſit eſſe qualitas compoſita, ſi ſumatur pro actione intellectus prob. qua cum in compoſitione, vna pars compoſiti habeat rationem potentiæ reſpectu alterius, ſi actio, quia intellectus cognoſcit obiectum propoſitionis, eſſet qualitas compoſita, deberet actio, qua cognoſcitur ſubiectum propoſitionis, habere rationem potentiæ, reſpectu actionis alterius, qua cognoſcitur prædicatum; ſicut enim prædicatum, habet rationem formæ reſpectu ſubiecti, & ſubiectum, rationem potentiæ, reſpectu prædicati: ita actio terminata ad ſubiectum, deberet comparari ad actionem terminatam ad prædicatum, ſicut potentia ad ſuum actum, quod tamen dici non poteſt, quia actio eſt vltima actualitas agentis, vt agens eſt, & conſequenter non poteſt vna actio eſſe potentia reſpectu alterius actionis.

Confirmatur, quia ſi actio actuans aliquod agens redderet illud potens, ad receptionem alterius actionis partialis, actio præcedens eſſet vltima, & non vltima actualitas agentis; vlti-

ma quidem, quia actio definitur vltima actualitas agentis, non vltima ex suppositione, quod ordinaret agens ad receptionem alterius actionis mediante seipsa recipiendæ: pro quo vide Complutenses nostros in Phys. disp. 3. num. 51. & seq.

Deinde potest eadem pars illius minoris alia ratione probari sic, quia cum actio ordinetur ad esse & sit velut fieri rei; sicut in toto est vnum esse primo conueniens toti, & partibus ratione totius, ita debet esset vnica tantũ actio, quę attingat illud totum, illiq; esse communicet: aliàs, si quælibet ex partibus compositi, specialem, & propriam vẽdicaret sibi actionem, cuilibet ex eis conueniret fieri per se, & per consequens, quælibet ex illis esset pars, & non pars, sed totum, pars quidem ex suppositione: non pars, sed totum, quia per se & ratione sui fieret, quippe quæ per se terminus esset actionis propriæ, & specialis: & hæc pro prima parte illius minoris sufficiunt.

Pro secunda autem illius parte, quod scilicet non possit propositio mentalis esse qualitas complexa, si sumatur pro conceptu formali, qui est terminus intellectionis, quo intelligitur, & repræsentatur obiectum significatum per propositionem, probatur: quia propositio mentalis, est vnum per se, & non vnum per accidens: at si propositio mentalis, sumpta pro conceptu formali, in quo repræsentatur obiectum significatum per illam propositionem, esset qualitas composita, non posset esse vnum per se: quod euidenter ostenditur sic, quia si conceptus ille, esset qualitas composita, deberet componi ex conceptu, seorsim repræsentante subiectum & ex conceptu seorsim repræsentante prædicatum: at quilibet ex illis conceptibus, est qualitas completa; neque enim illi duo conceptus, sunt minus completi in secunda, quam in prima mentis operatione: & consequenter cum duo conceptus, quorum vnus seorsim repræsentat, verbi gratia hominem, & alius seorsim repræsentat animal, sint duæ qualitates completæ in prima mentis operatione, erunt etiam tales, & in secunda: ergo quando vnientur, & coniungentur ad inuicem in secunda, non facient vnum per se, sed vnum per accidens, cum ex duobus entibus completis, non possit fieri vnum per se.

16. Probatur secundo, ille iudicij actus quo intellectus reflectitur supra præcedens iudicium, in quo prius composuit subiectum cum prædicato, est simplex qualitas; ergo præcedens iudicium, in quo facta est primo illa compositio, est etiam qualitas simplex, & non composita: neque enim apparet maior ratio, quare potius vnus ex illis actibus, sit simplex qualitas, quam alter, quia in vtroque est veritas, & consequentur in vtroque compositio, & propositio mentalis, cum veritas formalis in sola propositione, seu compositione, seu diuisione reperiatur: ergo si nonobstante, quod actus reflectens, sit compositio vel diuisio, tamen talis actus est simplex qualitas, ita actus præcedens supra quem reflectit, erit etiam talis, etiam si dicatur esse compositio vel diuisio.

Prob. tertio ratione desumpta ex D. Th. 1. p q. 85. art. 5. ad 3 vbi hæc habet, *Differt cõpositio intellectus à compositione rei, nam ea quæ componuntur in re, sunt diuersa, materia enim non est forma, compositio autem intellectus, est si-*

gnum identatis eorum, quæ componuntur; non enim intellectus sic componit, vt dicat, quod homo est albedo, sed dicit quod homo est albus, id est habens albedinem, homo est animal, id est habens naturam sensitiuam, &c. Ergo vt signum signato respondeat, debent prædicatum & subiectum quæ significantur identificari, repræsentari de facto per vnam simplicem qualitatem, quæ vtrumque in seipsa identificet secundum esse intelligibile & repræsentatiuum.

Quod si quæras, quare ergo dicatur noster intellectus cõponere aut diuidere in secunda mentis operatione.

Respondeo id esse propter duo: primo quia sicut dicitur intellectus agens, abstrahere, seu educere speciem à phantasmate, quia producit speciem intelligibilem abstrahentem à conditionibus indiuiduantibus, quæ per phantasma repræsentantur, non autem quia separet aut diuidat ab eadem phantasmatis entitate & specie, repræsentationem illarum conditionum: ita dicitur intellectus, in secunda operatione sua componere, vel diuidere, non quia effectiue componat, vel diuidat diuersas qualitates, seu diuersos conceptus seorsim repræsentantes verbi gratia hominem & animal, tanquam partes diuersas, ex quibus resultet aliquod tertium, sed quia in secunda operatione in qua reflectit supra primam, & supra diuersos conceptus quos habuit, repræsentantes seorsim hominem & animal, vel aliud prædicatum & aliud subiectum, producit aliquem conceptum formalem, qui est simplex quædam qualitas, in qua repræsentantur simul homo & animal, sicut & conformitas, seu conuenientia, quam habet animal cum homine, copulando & connectendo ea ad inuicem per copulam verbalem.

17. Secundo dicitur componere, quia in illa secunda mentis operatione, conceptum formalem prædicati, cum conceptu formali subiecti, obiectiue componit. Quod vt intelligas, sciendum est, quod ita ordinantur inter se operationes mentis, vt tertia supra secundam, & secunda reflectat supra primam: sicut ergo intellectus per discursum reflectit in assensu conclusionis, supra iudicia præmissarũ, (etenim assentitur intellectus conclusioni propter præmissas, & quia videt & aduertit, se eis assensum præbuisse, cum ideo vniat extrema conclusionis, quia videt illa esse vnita cum medio in præmissis) ita similiter in secunda mentis operatione reflectit supra primam, & supra conceptus formales illius quos simplex apprehensio proponit ei contemplandos, vt formet iudicium de eis, eorumq; ad inuicem conuenientia; quãdo ergo intellectus aduertit in illa reflexione conuenientiam & conformitatem quam habet secũdum esse repræsentatiuum cõceptus formalis repræsentãs prædicatum cum conceptu repræsentante subiectum, tunc prædicatum attribuit, & applicat subiecto dicendo hoc esse hoc, hominem v. g. esse animal, & iudicãdo sic hominem esse animal, iudicat etiam conceptum formalem repræsentatiuum animalis, quem habuit in simplici apprehẽsione, & supra quem reflectit in secunda operatione, habere conformitatem cum conceptu hominis, & esse idem cum eo secundum esse repræsentatiuum, & cum homine, per talem conceptũ repræsentato; vnde cõponẽdo obiectiuè seu ex parte obiecti

componendo obiectiuè, seu ex parte obiecti, in esse entis considerati conceptum obiectiuum animalis cum conceptu obiectiuo hominis, componit etiam obiectiue ex parte sui, conceptum formalem, per quem apprehendit rationem animalis, cum conceptu formali, per quem, & in quo, apprehendit rationem hominis, dicendo enim, quod homo est animal, dicit etiam in actu exercito, quod conceptus formalis hominis, est in esse repræsentatiuo conceptus animalis; eodem enim modo, quo comparat animal cum homine in esse rei, vel in esse entis, eodem prorsus modo comparat in esse repræsentatiuo conceptum formalem animalis, qui est in simplici apprehensione, cum conceptu formali hominis, qui est in eadem apprehensione; nam sicut phantasma determinat obiectiue simplicem apprehensionem intellectus, ita vt intellectus, non tendat in obiectum, nisi mediante phantasmate, ad quod debet prius se conuertere, antequam ipsum obiectum, vt est in se, attingat; ita conceptus formales, qui sunt in simplici apprehensione (ex quibus postea, intellectus in propositione mentali format rationem prædicati atque subiecti mentalis, & conuenientiæ, quæ est inter vtrumque) determinant secúdam illam operationem, adhoc vt attingat obiectum medijs ipsis solum, & vt relucet in eis, & per consequens intellectus componendo obiectiue prædicatum cum subiecto in esse entis, componit etiam obiectiue in seipso conceptú formalem exprimentem prædicatú cum conceptu formali subiecti, expressiuo quos proponit ei obiectiue simplex apprehensio, quasi diceret sibi ipsi in actu exercito, conceptus formalis repræsentãs animal, quẽ mihi proponit simplex mea apprehensio, conuenit in esse repræsentatiuo cum conceptu formali hominis, quem mihi proponit eadem apprehensio, sicut animal conuenit in esse entis cum homine. Et ecce rationem quare D. Tho. 1. periherm. lect. 5. ait quod, *Veritas vel falsitas non inuenitur in compositione nisi secundum quod comparat vnum conceptum alteri*, & quare 1. p. quæst. 58. artic. 4. ad 1. dicit, *quod non qualiscumque multitudo intellectuum compositionem causat, sed multitudo intellectuum, quorum vnum attribuitur alteri vel remouetur ab altero*, quia vt sit compositio conceptuum obiectiua in intellectu, debet per secundam operationem vnus intellectus, seu vnus conceptus alteri attribui vel ab alio remoueri.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obijcies D. Tho. 1. p. q. 85. art. 5. in argumento sed contra, non solum tenere dari compositionem in intellectu nostro, sed etiam hanc veritatem probare sequenti argumento. Voces significant conceptiones intellectus, vt ait Philosophus 1. periherm. cap. 1. sed in vocibus est compositio & diuisio, vt patet in propositionibus affirmatiuis & negatiuis: ergo intellectus componit & diuidit. Ecce quomodo D. Tho. admittit euidenter compositionem formalem in intellectu, sicut & in vocibus.

18. Respondeo quod S. Tho. non admittit in intellectu compositionem aliquam in esse entis effectiuè

ab ipso procedentem, sed solum compositionem obiectiuam, quam facit intellectus obiectiuè reflectendo in secunda operatione sua supra conceptus formales simplicis apprehensionis, vnum alteri attribuendo, vel vnum ab altero remouendo & diuidendo, & hanc compositionem obiectiuam cõceptuum formalium seu hos conceptus formales sic obiectiuè per secundam mentis operationem compositos significant voces, quæ sunt in propositione vocali, prout sunt formaliter in ea, ipsam componentes.

Obijcitur ex D. Tho. primo contra Gent. c. 58. ratione quinta, vbi ideo negat Deum intelligere componendo, *Quia* (inquit) *propositionis per intellectum componentem & diuidentem formata compositio, in ipso intellectu existit, non in re, quæ extra animã est*: ergo ex mente D. Tho. compositio ratione cuius dicitur intellectus componere non est obiectiua, sed residens in ipso intellectu.

Respondeo, quod compositio obiectiua cõceptuum superius explicata, existit in intellectu, quam ideo D. Tho. negat posse reperiri in Deo, tum quia compositio illa supponit quod intellectus, in quo est, procedat successiuè, & per multiplices cõceptus, ad perfectam cognitionem obiecti acquirendam, quod Deo conuenire non potest, qui vno, simplicique intuitu omnia intuetur; tum etiam, quia, cum modus operandi sequatur modum essendi, si Deus componeret obiectiuè per suam intellectionem, sequeretur per euidentem consequentiam, eum esse compositum in ordine entis.

Obijcitur, intellectus discurrit formaliter: ergo componit etiam formaliter; ex eodem enim principio procedit, quod componat, & discurrat, ex eo quod scilicet procedat successiuè, ad acquisitionem perfectionis suæ; ergo sicut ex illa imperfectione infertur, quod formaliter discurrat; ita ex eadem debet inferri, quod formaliter quoque componat.

19. Respondeo intellectum formaliter componere, non quidem effectiuè sed obiectiuè; cum enim intellectus in compositione, quam facit, faciat vnum esse aliud, (dicit enim hoc esse hoc) contra naturam compositionis intellectiuæ, esset, si intellectus diceretur componere effectiuè, & in ordine entis, quia compositio in ordine entis, requirit, quod extrema sint diuersa, non autem quod vnum sit aliud.

Obijcitur, debet assignari aliqua differentia inter intellectum angelicum, & humanum, in intelligendo: at nulla potest assignari, nisi intellectus humanus intelligat componendo, compositione propriè dicta, & formali: ergo.

Respondeo, quod intellectus humanus componit suos conceptus formales obiectiuè, quod non facit Angelicus, aliàs sequeretur (sicut infertur ex dictis in solutione ad 2. sub finem) quod natura Angelica, non esset forma simplex, sed composita. Deinde intellectus humanus, non penetrat vno intuitu, quæcumque obiecto alicui conueniunt, sicut facit Angelus, sed procedit successiuè, & per diuersos conceptus, ad cognitionem eorum, quæ illi conueniunt, vt ostendit D. Tho. prima parte, quæstio. 58. articulo quarto, & quæst. 85. art. 5. ex quibus euidenter patet, magnam esse differentiam,

iectiue, eo modo, quo supra num. 17. declaratum est.

QVÆSTIO III.

Vtrum veritas formalis consistat in conformitate rei secundum esse obiectiuum quod habet respectu iudicij ad seipsam in esse rei consideratam.

§ I.

Resolutio quæstionis.

DEterminatum est in prima qu. huius disp. veritatem formalem reperiri in compositione & diuisione intellectus, & in secunda quæstio. compositionem & diuisionem illam intellectus, simplicem esse qualitatem, & non compositam, inquirendum est iam, in quo formalis veritas, formaliter consistat, an in hoc, quod sit solum obiectiuè in compositione & diuisione intellectus, an in ipsamet compositione & diuisione iudicatiua, an tandem in aliquo alio; & quia facilius (inquit August. lib. 1. Solil. c. 15.) intelligitur vbi veritas non sit quam vbi sit, & in quo non consistat, quam in quo consistat, ideo prius videamus, quid non sit, vt postea quid sit, & in quo formaliter consistat, firmius stabilire valeamus.

21. Prima sententia affirmat veritatem formalem consistere in illa conformitate, qua quælibet res dicitur, secundum quod est obiectum intellectus, conformis sibi ipsi in esse rei consideratæ. Ita Durandus in 1. dist. 19. q. 5. & 6. Vasquez 1. p. disput. 76. capite primo, quamuis aliqui interpretentur prædictos authores, de veritate transcendentali, & non de formali, & propterea eos disputatio. præc. q. 1. pro simili sententia circa veritatem transcendentalem retulimus. Citantur & aliqui Thomistæ pro eadem sentent. à Nauarreta controuers. 72. & inter alios Soncinnas 6. Metaph. quæst. 16. sed quamuis in illa quæst. conclus. 3. hoc docuerit, quæstione tamen immediate sequenti, asserit expressè, esse omnino cum D. Th. tenendum, quod veritas, siuè illa sit transcendentalis, siue formalis, non dicit solum aliquem respectum rationis, sed aliquid reale.

Secunda sententia & vera asserit veritatem formalem, non posse consistere in prædicta conformitate. Ita Communiter Thomistæ omnes cum sanctissimo Præceptore 1. p. q. 16. art. 2. Arauius 4. Metaph. q. 5. a. 5. Flandria 6. Metaph. q. 13. per totam, & maxime art. 3. videatur D. Tho. loco cit. & 6. Metaph. lect. 4. cum Aristotele ibid. & quæstio. 1. de veritat. articulo tertio.

Probatur ratione: illud, cui primario conuenit habere conformitatem cum rebus, secundum quod comparatur ad intellectum, est illud in quo consistit veritas formalis: atqui actui intellectus, seu conceptioni eius, non autem rebus ipsis, secundum suum esse obiectiuum consideratis, primario conuenit habere conformitatem, & adæquationem cum rebus: ergo.

Major est certa, quia sicut conformitas, & adæquatio, quam habent res cum intellectu, constituit veritatem transcendentalem in eis; ita conformitas, & adæquatio intellectus cum rebus ipsis, est illa quæ constituit veritatem formalem, vbicumque illa sit. Minor autem patet, quia conformitas, quam habet res in esse

in esse entis considerata, descendit à conformitate, quam habet intellectus cum tali re, ex vi actionis suæ, conceptusque sui formalis, vt adæquati, & commensurati cum ea; in tantum enim res sunt sibi ipsis conformes in esse obiectiuo, inquantum tribuitur ipsis ab intellectu eas cognoscente, & de eis iudicium ferente, cum res habeant tale esse obiectiuum, & tale esse cognitum, ex eo quod sic, vel sic, ab intellectu cognoscuntur: ergo si res habent esse obiectiuum, seu esse cognitum, conforme sibi ipsis, vt sunt à parte rei, hoc est, quia intellectus prius in se formauit conceptum conformem rebus vt sunt in se, actumque ipsis adæquatum, quorum beneficio res denominátur in esse cogniti, & obiecti, conformes sibi ipsis, vt sunt à parte rei: ergo conformitas, & adæquatio cum rebus, reperitur prius in actu intellectus, conceptusque ipsius, quam in ipsis rebus, secundum quod sunt obiectum intellectus, & per consequens, veritas formalis consistet in actu intellectus, conceptuque ipsius, vt conformi obiecto, non autem in conformitate illa, qua res secundum esse obiectiuum, dicitur sibi ipsi secundum esse reale conformis.

22. Probatur secundo, omnis forma analoga analogia attributionis, debet formaliter constitui per aliquã rationem, præcipuo analogato intrinsecam, ipsumque consequenter intrinsece, & primario denominantem, atque respicientem, secundaria vero analogata, extrinsece solum, & secundario: sed veritas formalis, est forma analoga analogia attributionis, respectu intellectus, & rerum ab eo cognitarum, quatenus ab eo intellectæ sũt & cognitæ: ergo cũ præcipuum analogatum ipsius, sit intellectus, res vero ab intellectu cognitæ, analogata eius minus præcipua, atque secundaria, primaria ratio ipsius constituetur formaliter per comparationem ad intellectum, quem intrinsece, & primario, tanquam forma ipsi intrinsece inhærens, denominabit, res vero, quæ sunt obiectum intellectus, extrinsece solum & tanquam quid secundarium.

Major est certa, & quoad omnes eius partes à Complut. N. in Logica disp. 10. q. 3. & 4. egregie probata.

Minor est D. Tho. qui pluribus in locis, sed maxime 1. p. q. 16. art. 1. & 6. q. 1. de verit. art. 2. & alibi sæpe dicit veritatem formalem eodem modo comparari ad intellectum, & ad res per ipsum cognitas, quo comparatur sanitas ad animal, ad cibum, & ad medicinam, & sicut per prius sanitas dicitur formaliter de animali, per posterius vero, & secundario de cibo & medicina; ita similiter per prius veritatem formalem dici de intellectu, secundario vero de rebus, per ipsum intellectis: quod quidem potest euidenter ratione prima, statim à nobis facta demonstrari, vt intuenti satis patebit: ergo debet de necessitate asseri, quod veritas formalis consistit in aliqua forma, intrinseca ipsi intellectui, & per se primo illi conuenienti, non autem in forma ei extrinseca.

Probatur tertio: idem subiectum est contrariorum formaliter receptiuũ sed intellectus est formaliter receptiu⁹ falsitatis, denominatur enim intellectus formaliter, & intrinsece falsus, ex eo quod aliter de rebus iudicet ac sunt in seipsis: ergo erit etiam formaliter, & intrinsece, veri-

tatis

tatis formalis receptiuus, ex eo quod iudicet de rebus, conformiter ad id, quod habent à parte rei.

Confirmatur, mendacium contrariatur formaliter veritati formali: at mendacium contrariatur formaliter conceptioni intellectus, dicitur enim quis mendacium committere ex eo quod dicat aliquid contra id, quod habet in mente sua: ergo veritas formalis consistet formaliter in conceptione mentis.

Probatur quarto, si veritas formalis consisteret in illa conformitate, in qua asserunt eam consistere Durandus & Vasquez, deberet veritas formaliter consistere in aliquo respectu rationis; nihil enim potest sibi ipsi esse conforme, per aliquid realiter respectu sui ipsius respectiuum, quia nihil potest ad seipsum realiter referri: sed veritas formalis non potest consistere in aliquo respectu rationis, quia veritas formalis, etiam in abstracto, prædicatur de sapientia æterna, & propterea dicebat Christus de seipso, quod erat veritas ipsa: ergo cum abstractum, nil, nisi formam, quam exprimit, significet, & quodcumque aliud à sua significatione excludat, implicat, quod veritas formalis significet solum ens rationis, alias sequeretur quod Deus esset ens rationis, imo quod non esset aliud, quam ens rationis.

Et si dicas quæstionem esse non de veritate increata, sed de veritate intellectus humani.

Respondeo proportionaliter esse loquendum de veritate increata, ac de creata, cum veritas creata sit participatio quædam veritatis increatæ: ergo si veritas creata est aliquid solum rationis de formali, idem erit dicendum de increata.

Probatur vltimo; veritas, quæ est in propositione vocali, non consistit in conformitate rei vt significatæ per propositionem ad seipsam, consideratam prout existit à parte rei, sed consistit in adæquatione, quam habent voces cum ipsa re, secundum quod sunt significatiuæ ipsius: ergo veritas formalis, quæ est in propositione mentali, non consistet etiam formaliter, in conformitate illa, quam habet res secundum esse obiectiuum ad seipsam, in esse rei consideratam, sed consistet formaliter in adæquatione vera, & reali, quam habet intellectus, secundum suum conceptum, cum illa re, quam cognoscit, ex vi talis conceptus.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obiicitur ex D. Tho. prima parte quæstio 16. articulo secundo in corp. sub finem, nomen veri importat cognitum, vt est in cognoscente; sed cognitum, vt est in cognoscente, importat, & dicit de formali rem, vt est obiectum cognitionis: ergo res vt obiectum cognitionis & vt est conformis in esse obiecti sibi ipsi in esse rei, erit id in quo verum formaliter consistit.

24. Respondeo quod cognitum est in cognoscente, non per seipsum formaliter, sed per verbum, & per speciem ipsius repræsentatiuam: vnde licet cognitum, vt est in cognoscente, dicat rem, vt est obiectum cognitionis, non tamen dicit rem, vt res, est extra verbum sed potius, vt

est in verbo, ex quo patet, quod illa D.Tho. authoritas, est omnino pro nobis, & non contra nos.

Et si dicas, verum esse in intellectu obiectiuè, & non subiectiuè, cum dicatur intellectus cognoscere, & dicere verum, & per consequens verum non consistere in aliquo existenti in intellectu, sed in aliquo se tenente ex parte obiecti.

Respondeo, verum, esse in intellectu, & subiectiuè, & obiectiuè, cum enim verum, sit perfectio cognitionis iudicatiuæ, & cognitio habeat perfectionem suam, inquantum cognoscit obiectum suum, trahendo illud ad se, debet consequenter verum, esse in cognoscente, seu in intellectu, vt intellectum perficiat, secundum exigentiam, & modum naturæ intellectus.

Obijcitur, vel debet veritas consistere formaliter in aliquo intellectus actu obiectiuu sibi conformante, & adæquante, vel in ipsamet re, vt conformi secundum esse obiectiuum quod habet in intellectu, sibi ipsi, in esse rei consideratæ: atqui ex D.Tho.1.contra Gent.cap.59. statim sub initium, veritas formalis non consistit in actu intellectus, accipe eius verba, *Ad id in intellectu veritas pertinet, quod intellectus dicit, non ad operationem, qua id dicit, non enim ad veritatem intellectus exigitur, vt ipsum intelligere, rei adæquetur, cũ res interdum sit materialis, intelligere immateriale; sed illud quod intellectus intelligendo dicit, & cognoscit, oportet esse rei adæquatum, vt scilicet ita in re sit, sicut intellectus dicit:* ergo ex D.Tho. veritas formalis non consistet in actu intellectus.

Et si dicas cum Ferrariensi supra illum S. Doctoris locum, quod veritas formalis non consistit in actu intellectus, quia actio intellectus non habet similitudinem, nec conformitatem cum obiecto, cum illa non sit repræsentatiua, sed in specie, per quam intellectus formaliter assimilatur, & adæquatur obiecto: contra, nam ideo S. Tho. dicit actum intellectus non posse adæquari obiecto, nec consequenter habere rationem veritatis formalis, quia obiectum interdum est materiale, & actus intellectus est immaterialis: ergo cum species quæcumque, in intellectu residens, sit etiam immaterialis, non poterit veritas formalis consistere in aliqua specie, nec in quacumque alia re, in intellectu formaliter existente: ergo consistet in ipsa re, quatenus est in esse obiecti, conformis sibi ipsi in esse rei.

Confirmatur, quia nihil est, quod possit ita æquari obiecto, sicut res in esse obiecti, potest æquari sibi ipsi, in esse rei, quia si res est materialis in esse rei, erit quoque materialis in esse obiecti; si vero sit immaterialis in esse rei, erit etiam immaterialis in esse obiecti, vbi quando res est materialis, nihil est existens in intellectu, quod possit in esse materiali æquari materialitati obiecti, cum totum, quod est in intellectu, sit immateriale: ergo cum veritas formalis dicat omnimodam conformitatem cum obiecto, non consistet formaliter in aliquo, residente in intellectu, sed in ipsamet re, vt conformi secundum esse obiectiuum, sibi ipsi, in esse rei consideratæ.

25. Respondeo ad argumentum, quod solutio ibi insinuata, est optima, & ad mentem omnino Diui Thomæ, cum Diuus Thomas asserat veritatem quæ est in intellectu per-

tinere ad id, quod intellectus dicit intelligendo: ergo cum id, quod intelligendo dicit, sit conceptus, seu verbum mentis, veritas formalis consistet in conceptu & verbo mentis. Et ad replicam in contrarium dico cum Ferrar. vbi supra, quod ex immaterialitate actionis intellectus, optime infertur non posse veritatem formalem in ea formaliter consistere, quamuis ex immaterialitate conceptus seu verbi, idem de eo concludi non possit. Ratio disparitatis est, quia cum intellectio non habeat rationem repræsentantis obiectum, sed solum attingentis ipsum, nulla potest in eo intelligi conformitas, & adæquatio, nisi in esse naturali, seu in esse entis, & ideo cùm intellectionis natura sit immaterialis, si res intellecta sit materialis, nunquam poterit intellectio habere adæquationem cum ea; conceptus autem intellectus, est forma repræsentatiua rei intellectæ, & ideo licet non habeat adæquationem cum re materiali, in esse naturæ, potest tamen adæquari cum ea secundum repræsentationem, repræsentando eam secundum quod est in se: ergo licet optime inferatur, quod veritas formalis non possit formaliter consistere in actione intellectus, quia actio illa est immaterialis, non potest tamen ex immaterialitate conceptus, & verbi, eadem consequentia inferri.

Ad confirmationem respondeo, ad rationem veritatis, non esse necessarium, quod id, in quo consistit veritas formalis, conformetur, & adæquetur obiecto secundum esse naturale, taliter, quod modus naturalis, & in esse rei, qui conuenit obiecto, conueniat etiam & veritati formali in eodem ordine, id est in ordine naturali seu in ordine entis, sed sufficit, quod conueniat ei in esse repræsentatiuo; cum enim veritas formalis conformetur & adæquetur obiecto, per modum imaginis, vel exemplaris, sufficit, quod conformetur obiecto in esse repræsentatiuo, nec magis requiritur.

Obijcitur, ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, ex Aristotele cap. de substantia: ergo illud, quod significatur formaliter per propositionem, est res, secundum modum essendi naturalem, quem habet, vt est extra intellectum, non autem res vt est in intellectu per verbum: ergo cùm illud, quod significatur per propositionem sit veritas formalis, ipsamet res secundum suum esse naturale, considerata tamen, vt est obiectum intellectus, & vt adæquatur secundum tale esse obiectiuum sibi ipsi in esse rei consideratæ; erit veritas formalis.

26. Respondeo primò cum sancto Thoma prima parte, quæstione decima sexta, articulo primo ad tertium, Aristotelem non dixisse, ex eo quod res est vera, propositionem, vel orationem esse veram, sed ex eo quod res est, ad declarandum, quod illud, à quo causatur veritas propositionis ex parte obiecti, est sola entitas eius, non autem veritas aliqua formalis, quæ se teneat ex parte ipsius, & ratio huius rei est, quia non potest causari veritas propositionis ab obiecto, tanquam ab aliqua causa vniuoca, in qua scilicet reperiatur formaliter veritas, sed tanquam ab aliqua causa æquiuoca, & diuersæ rationis; vnde tantum abest ex illo Philosophi axiomate sequi, ve-

ritatem formalem esse in obiecto, quin potius contrarium penitus ex eo infertur.

Respondeo secundo ex isto argumento euidenter inferri veritatem formalem residere formaliter in conceptione mentis; ex communi enim Philosophorum omnium consensu, & ex ipso vsu omnium hominum constat, voces esse institutas ad exprimendos animæ conceptus: ergo illud quod voces formaliter, & immediate significant atque repræsentant, sunt conceptus mentis, & per consequens in eis consistet veritas formalis, non autem, in rebus ipsis, secundum esse obiectiuum consideratis, quamuis verum sit, quod ad hoc, vt sit veritas formalis in conceptu, debeat res exprimi per eum, secundum quod est in se; ex quo Philosophus sumpsit occasionem prædicti axiomatis, quod scilicet propositio dicatur vera, vel falsa, ex eo quod res est, vel non est, siue illa propositio sit verbalis, siue mentalis; vt enim verbalis sit vera, debet exprimere, & significare conceptum mentis, in quo consistit veritas formalis; & vt veritas illa formalis sit in conceptu mentis, debet de necessitate per eum repræsentari, & exprimi res, secundum quod est in se; & sic de primo ad vltimum, ex eo quod res est vel non est propositio dicitur vera, vel falsa.

Obijcitur; veritas debet esse prædicatum conuertibile cum ente; sed si veritas non consistat in eadem re, vt conformi secundum esse obiectiuum sibi ipsi, in esse rei, sed in aliquo alio existente in intellectu, non erit prædicatum conuertibile cum ente: ergo.

Respondeo cum D. Tho. prima parte, quæstione decima sexta, articulo tertio, & quæstione prima de veritat. articulo secundo ad 1. quod verum formale conuertitur cum ente, per modum manifestatiui & declaratiui ipsius: at verum transcendentale conuertitur cum ente secundum substantiam, & prædicationem.

Respondeo secundo quod verum transcendentale potest solũ conuerti cum ente, non autem verum formale.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum veritas formalis consistat formaliter in actu iudicii vnum componentis cum alio, an in conceptu formali prædictum actum terminante, an in relatione intellectus ad rem intellectam.

§. I.

Resolutio quæstionis.

CVm ostensum sit quæst. præc. veritatem formalem non consistere formaliter in aliquo se tenente ex parte rerum, quæ sunt obiectum intellectus, sequitur de necessitate eam in aliquo, quod sit formaliter in intellectu constituẽdam esse; quid autem sit illud, hoc opus, hic labor est.

Prima sententia constituit eam in relatione formali conformitatis, qua intellectus iudicans de obiecto dicitur esse ei conformis, quam quidem relationem, dicunt esse realem, si obiectum existat, rationis vero, si non existat, hanc sententiam probabilem tenet Arauius 4. Metaph. q. 5. art. 5. concl. 3. & eam tribuit Iauel. 6. Met. q. 23. & Zumel 1. p. q. 16. art. 2.

Secunda sententia constituit eam in ipsomet actu iudicij, quatenus connotat obiectum; & ad illud dicit ordinem transcendentalem: ita Bannez 1. p. quæst. 16. art. 3. dub. vlt. & aliqui alij Tomistæ cum eo supra art. 2. quæst. 16. Soncinnas 6. Metaphys. quæst. 17. & Flandria ibid. qu. 15. art. 3. Arauius loco cit. conclu. 4.

Tertia sententia constituit eam, non in actu iudicij, sed in termino ipsius: in conceptu scilicet formali repræsentante conuenientiam, quæ est inter prædicatum & subiectum: ita Ferrariensis 1. contra Gent. cap. 59. Nauar. contro. 72. §. 1.

Nostra sententia sequentibus conclusionibus declaratur.

Conclusio prima: Non videtur probabilis illa sententia, quæ constituit rationem veritatis formalis in aliqua relatione formali conformitatis actus iudicij ad obiectum.

Probatur ex D. Tho. qui quotiescumque loquitur de veritate, constituit semper eam in vera & reali conformitate intellectus ad obiectum: ergo cum illa relatio conformitatis, aliquando sit realis, aliquando vero rationis, vt prædicta sententia fatetur, non poterit in illo respectu seu in illa relatione veritas formalis consistere.

Confirmatur quia 1. p. q. 16. art. 2. S. Doctor asserit, *Veritatē formalē consistere in similitudine rei cognotæ. Quæ est forma intellectus, inquantum est cognoscens*: & infra sub finem corp. eiusdem ar. dicit *nomen veri importare perfectionem intellectus, & rationem cogniti*: at nullus dixerit quod forma intellectus, in quantum est cognoscens, quod ipsius perfectio, & id quod habet rationem cogniti ab eo, sit aliqua relatio, & maximè relatio rationis, qualem existimant prædicti authores posse esse prædictam conformiratis relationem: ergo non potest dici, quod veritas formalis consistat in illa relatione secundum mentem D. Tho. sicut potest adhuc ex eodem euidenter colligi 6. Metaph. lect. 4.

28. Probatur ratione: finis & vltima perfectio, in quam tendit intellectus, est veritas formalis, vt ostensum est qu. 1. huius disp. § 1. suppos. 3. sed finis, & vltima perfectio, in quam tendit intellectus, non est aliqua relatio, & maxime, si illa sit relatio rationis, sed debet esse aliquid absolutum: ergo licet verum sit, quod ex veritatis acquisitione, resultet, tanquam ex fundamento, in intellectu, aliqua relatio conformitatis cum obiecto, realis quidem, si obiectum sit reale & existens, rationis vero, si non existat, vel sit quid rationis, tamen in illa relatione, non consistet ratio formalis veritatis, sed in aliqua qualitate absoluta, terminus enim intellectionis, aut cuiuscumq; alterius motus, non est relatio, sed aliquid absolutum.

Probatur secundo; Veritas formalis, est aliqua ratio existens in intellectu, habens rationem cogniti, per quam repræsentatur iudicio intellectus cōuenientia prædicati cum subiecto, vt quod homo v. g. sit animal, at nō potest dici, quod prædicta relatio, habeat rationem cogniti, aut quod per eam repræsentetur formaliter iudicio intellectus, conuenientia prædicati cum subiecto: ergo. Maior est certa ex ijs, quæ paulo ante ex D. Tho. relata sunt, & ratio est euidens, quia vt dictum est quæst. 1. huius disput. finis, quem intendit intellectus in suis actionibus, est cognoscere veritatem, & per eam, tanquam per similitudinem obiecti repræsentatiuam,

obiectum intelligere, & de eo iudicare. Minor autem constat, quia sicut illud, quod cognoscitur ex parte obiecti, non est aliqua relatio, sed quod prædicatum, v.g. gradus animalis conueniat homini, tenenti locum subiecti in propositione: ita veritas formalis, quæ est medium, per quod intellectus iudicat de tali prædicato, & de conuenientia, quam habet cum subiecto, debet esse similitudo quædam repræsentatiua prædicati, & conuenientiæ ipsius cum subiecto.

Probatur tertio; veritas formalis debet habere essentiam, quæ sit semper eiusdem rationis: ergo cum prædicta relatio sit aliquando realis, aliquando rationis, non poterit essentia veritatis consistere formaliter in illa relatione, sed consistet in aliquo alio, quod indispensabiliter sit quid reali, quia sicut intellectus, est quid reale, ita veritas formalis, quæ est summa eius perfectio, debet consistere indispensabiliter in aliquo reali.

Conclusio secunda, veritas formalis non consistit in actu iudicij, nisi vialiter & in fieri, sed formaliter, & in facto esse, consistit in conceptu formali, repræsentante conuenientiam prædicati cum subiecto: ista conclusio est authorum secundæ sententiæ, nec diffident vllo modo ab eis, qui citantur pro tertia; quia prædicti authores non asserunt in actu iudicij veritatem consistere, nisi quatanus talis actus est repræsentatiuus obiecti complexe cogniti, & vt est in se; Vnde cum actus intellectus non sit repræsentatiuus obiecti ratione sui, sed ratione conceptus formalis, seu verbi, cuius est via & fieri, vt communiter Thomistæ tenent contra Suar. 1. p. quæst. 12. art. 2. pro quo poteris videre Salmant. nostros ibid. disp. 2. dub. 9. ad argum. propterea si veritas formalis consistat in actu iudicij, consistet solum in eo in fieri, in omnium Thomist. sent. formaliter vero, & in facto esse, in ipso conceptu formali, vt conformi cum obiecto, seu vt repræsentante, & exprimente conuenientiam prædicati cum subiecto.

7. Probatur ista conclusio authoritate D. Th. 1. contra Gent. cap. 59. sub initio, vbi sub expressis terminis negat veritatem consistere in operatione intellectus, sed in eo quod dicitur per talem operationem: locum citauimus quæst. præced. §. 2. in secunda obiectione, vbi poteris videre solutionem alicuius obiectionis, quæ posset ex prædicto loco contra nos fieri: ergo cum illud quod dicitur per operationem intellectus, sit verbum, seu conceptus formalis obiecti, veritas formalis consistet formaliter in prædicto conceptu.

Et si dicas D. Tho. in illo loco negare absolute, quod veritas consistat in operatione intellectus, & consequenter veritatem ex mente ipsius, nullo modo consistere in tali operatione, etiam vialiter.

Respondeo quod D. Tho. intendit solum negare, veritatem consistere formaliter, & in facto esse in ipsa operatione, cum enim operatio sit via ad terminũ, & fieri ipsius; eo ipso quod constituat veritatem formalem in termino intellectionis, & in eo, quod dicitur per eam, oportet de necessitate quod eam constituat etiam vialiter & in fieri, in ipsa operatione.

Confirmatur ex eodem Angelico Doctore 1. p. quæst. 16. artic. 2. & 6

Metaphysicæ lectione 4. vbi constituit veritatẽ formalem in similitudine & conformitate, formali, vt cognita, quam habet intellectus cum obiecto: ergo cum intellectus habeat similitudinem, & conformitatem formalem vt cognitam cum obiecto, per conceptum formalem, exprimentem, & repræsentantem conuenientiam prædicati cum subiecto, veritas formaliter consistet in conceptu formali; & in fieri, seu vialiter in actu, qui est via ad conceptum formalem.

Probatur ratione: veritas formalis est conformitas intellectus cum obiecto complexè cognito: sed actio intellectus, non potest esse talis conformitas, quod probatur, quia si actio intellectus esset conformis cum obiecto, vel esset conformis cum eo in esse entis, vel in esse repræsentatiuo; at neque conformis est cum eo in esse entis, (quia actio intellectus est immaterialis; & obiectum eius vt plurimum materiale;) neque etiam in esse repræsentatiuo, (quia actio intellectus non est repræsentatiua, sed species;) ergo neutro modo erit conformis cum eo: ergo veritas non consistet in ea, sed in conceptu formali, obiecti repræsentatiuo.

30. Confirmatur: quia vel veritas formalis consistet formaliter in iudicio: vel in specie impressa; vel in expressa, seu conceptu formali obiecti, vel in relatione conformitatis & similitudinis, quæ est inter intellectum, & obiectum; vel tandem in ipsomet obiecto, vt est secundum esse obiectiuum sibi ipsi in esse entis conforme: at non consistit in vltima conformitate, vt ostensum est quæst. præced. contra Durandum & Vasquez: neque in penultima, vt ex conclusione præced. constat; neque etiam in specie impressa, quia species impressa est forma intelligibilis, veritas vero formalis habet rationem formæ cognitæ, cum sit vltima intellectus perfectio, neque tandem in actione intellectus, cum actio intellectus non sit similis formaliter obiecto; ergo debet de necessitate consistere in conceptu formali, qui est formalis & expressa similitudo obiecti, quia nihil aliud potest assignari in intellectu, in quo possit consistere.

Confirmatur: quia conceptus formalis repræsentans obiectum complexe cognitum, seu conuenientiam quæ est inter prędicatum & subiectum, est terminus intrinsecus actionis intellectiuæ, & vltima perfectio, in quam intellectus vltimo tendit, quia cum intellectus tendat in suum obiectum, vt est in ipsomet intellectu, & obiectum habeat rationem cogniti, & termini intellectionis, per conceptum eius formalem, in quantum in eo, & per eum repræsentatur, conceptus formalis, erit vltima perfectio intellectus: ergo veritas formalis, quæ, vt sæpius dictum est, est vltima intellectus perfectio, consistet formaliter, & in facto esse, in prædicto conceptu, vialiter autem, & in fieri in ipsa actione intellectus, tanquam in via & fieri ipsius conceptus formalis.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur, ex D. Tho. 1. p. quæst. 16. art. 8. & quæst. 1. de verit. art 1. veritas consistit in conformitate & similitudine intellectus cum obiecto: ergo cum similitudo, & conformitas dicat relationem, veritas consistet in aliqua relatione.

31. Respondeo quod veritas non dicit de formali relationem prædicamentalem, sed solum relationem transcendentalem similitudinis, & conformitatis intellectus cum obiecto, & siequando D. Th. dicit veritatem consistere in similitudine intellectus cum obiecto, intelligendus est de similitudine fundamentali, dicente solum relationem transcēdentalem, non autē de similitudine formali dicente relationem prædicamentalem.

Obijcitur ex D. Tho. quæst. 1. de verit. art. 9. vbi dicit, quod veritas reperitur in intellectu, secundum quod intellectus reflectit supra suum actum, non solum ipsum cognoscendo, sed etiam proportionem eius ad obiectum: ergo secundum D. Tho. veritas consistet in actu intellectus.

Respondeo quod consistit in eo vialiter, in fieri, & causaliter, seu actiue, hoc est tanquam in actu causante veritatem formalem, completiue tamen atque formaliter, in conceptu formali consistit.

Respondeo secundo quod licet veritas reperiatur in actione intellectus, (vt quæst. 1 huius disp. ostensum est ex communi Philosophorum sententia) tamen non sequitur quod consistat formmaliter in ea, quia veritas dicitur solum reperiri in actione intellectus, tanquam perfectiuum in suo perfectibili, & tanquam terminus, atque complementum ipsius actionis, vt optime aduertit Flandria 6. Metaph. quæst. 13. art. 3. ad 1. ex quo sequitur veritatem formalem esse constituendam potius in conceptu formali, qui est terminus, & complementum intellectionis, quam in ipsamet intellectione.

Nec vrget in contrarium illa D. Tho. authoritas, quia verificatur semper quod veritas in intellectu reperitur, secundum quod reflectit supra suum actum, etiam si dicatur ipsam consistere formaliter in ipso termino reflexionis.

Obijc. Illud quod immediate significatur per propositionem vocalem, est veritas formalis intellectus: sed illud quod immediate per eam significatur, est actus iudicij: ergo in eo consistet veritas formalis.

Respondeo quod illud, quod immediate significatur per propositionem vocalem, est conceptus formalis vt conformis obiecto, & si significatur actus intellectus, significatur tantum per modum viæ ad talem conceptum formalem, & consequenter veritas consistet solum vialiter & in fieri in actione intellectus, completiue autem formaliter, & in facto esse, in conceptu formali.

Obijcitur; datur veritas formalis in illa actione, qua beati vident Deum: sed illa veritas non est increata, licet enim veritas obiectiua, quam vident, sit increata, cum sit essentia diuina, tamen veritas formalis, qua intellectus beati dicitur vere videre Deum, est veritas creata: ergo veritas illa, non

non consistet in conceptu formali repræsentatiuo obiecti, cum in sententia magis probabili Thomistarũ non detur in visione beatifica species expressa creata, sed Deus gerat vicem ipsius, sicut & speciei intelligibilis: ergo consistet in ipsa visione beatifica, & cum sit eadem ratio de veritate formali, respectu aliorum obiectorum, veritas formalis semper consistet in actu intellectus, proportionato & commensurato cum obiecto.

32. Respondeo quod visio beatifica, quatenus proportionata, & commensurata obiecto, habet veritatem quandam transcendẽtalem, per quam dicitur vera, sicut quælibet alia res, dicitur vera, veritate transcendentali, quatenus est proportionata & commensurata suæ mensuræ, & talis veritas in visione beatifica, est veritas creata, quia nihil est aliud, quam visio ipsamet vt obiecto proportionata, sed quantum attinet ad veritatem formalem, quæ est in intellectu beati, quatenus Deum intuetur, cum illa consistat in formali similitudine atque conformitate cum obiecto, sicut intellectus beati, in illa probabiliori sententia, dicitur conformis obiecto, per aliquam similitudinem increatam; ita videndo Deum, dicitur verus veritate formali per veritatem aliquam increatam, quia non ipsa intellectio, sed terminus intrinsecus actionis, vt cognitus conformis & similis obiecto, est id in quo consistit formaliter veritas formalis.

Ex his quæ dicta sunt in hæc quæst. & in præcedentibus, potest breuiter satisfieri alicui quæstioni, quæ hic fit ab aliquibus, vtrum scilicet verum per prius dicatur de intellectu, quam de rebus; dicimus enim, quod si verum sumatur pro vero formali, dubium esse non potest, quin per prius dicatur de intellectu, quam de rebus, vt ostendit D. Tho. pluribus in locis, sed præcipuè 1. p. qu. 16. art. 1. 6. & 8. qu. 1. de verit. art. 2. ex professo, quia verum sic sumptum, est analogum analogia attributionis ad intellectum, & cætera entia, & in solo intellectu intrinsece reperitur, tanquam in præcipuo analogato suo, in cæteris vero entibus extrinsece tantum: at si verum sumatur absolute, vt præscindit tam à vero formali, quam à vero transcendentali tunc comparabitur ad intellectum, & ad cætera entia, tanquam analogum analogia proportionalitatis, & per consequens reperietur intrinsece in omnibus suis analogatis, & proportionaliter cuncta illa denominabit; quia sicut se habet verum formale in comparatione ad intellectum; ita proportionaliter se habet verum transcendentale in comparatione ad cætera entia: & sic verum, sumptum prout abstrahit, tam à vero transcendentali, quam à vero formali, æqualiter æqualitate proportionalitatis, & rem & intellectum denominabit, quamuis tamen si attendamus ad communem vsum loquendi, per prius dicatur verum de intellectu, quam de rebus, quia quando absolute & sine vllo addito loquimur de vero, intendimus loqui de vero formali & non de vero transcendentali.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum falsitas in solo intellectu an etiam in rebus reperiatur.

§. I.

Resolutio Quæstionis.

QVia secundum D. Tho quæst. 17. 1. p. art. 4. falsitas opponitur contrariè veritati, & vnum contrariorum per aliud innotescit, cum eadem sit contrariorum ratio; ideo post quæstiones de veritate, de falsitate breuis hæc instituitur quæstio, quæ disputationem præsentem terminabit.

33. Conclusio prima: Non potest reperiri falsitas in rebus, quæ sit simpliciter & absolute transcendentalis in genere entis. In hac conclusione omnes conueniunt, nec vllus est qui dissentiat, poterit videri D. Tho. 1 p. quæst 17. art. 1. cum commentatoribus ipsius supra prædictum locum, Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 1. Suarez disp. 9. sect. 1. Arauius 4. Metaph. quæst. 5. art. 6.

Probatur ratione: impossibile est, quod duæ rationes omnino oppositæ atque contrariæ, naturaliter & transcendentaliter eidem rei conueniant; (in contrarijs enim, quando vnum inest per naturam alicui, alterum non est natum inesse eidem secundum Philosophum in prædicam. cap. de oppositis, relatum à D. Tho. quæst. 21. de verit. art. 2. ad 1,) sed cuilibet rei conuenit essentialiter, & transcendentaliter veritas transcendentalis, cùm includatur in quolibet conceptu entis, & nulla sit ratio entis, quæ non habeat intelligibilitatem, atq; veritatem: ergo cum falsitas transcendentalis, absolute sumpta, & quæ sit simpliciter talis in genere entis, sit omnino veritati transcendentali opposita, atque contraria, implicabit eam vlli rei transcendentaliter conuenire.

Probatur secundo: quælibet res habet conformitatem passiuam cum intellectu diuino in esse entis, nec vlla est, quæ non imitetur idæam diuinam in illo ordine: ergo nulla res potest dari falsa transcendentaliter in ordine entis. Antecedens patet: probatur consequentia, quia cum contraria contrarijs constituantur rationibus, sicut veritas transcendentalis constituitur per hoc, quod quælibet res conformetur in ordine entis intellectui diuino, & intra ordinem illum, idæam diuinam imitetur tanquam regulam & mensuram suam: ita si falsitas transcendentalis (quæ esset absolute talis, & in ordine entis,) inueniretur in rebus, deberet constitui per hoc, quod aliqua res recederet ab intellectu diuino, & ab imitatione exēplarium diuinorum in ordine entis, quod tamen implicat, quia sicut nulla datur entitas, seu realitas in ordine entis, quæ non sit à Deo producta; ita nulla etiam potest dari realitas in ordine entis, quæ non imitetur aliquam idæam in Deo, cum Deus operetur quidquid operatur per assimilationem, & conformationem ad suas idæas.

34. Conclusio secunda: Potest reperiri in quibusdam rebus falsitas transcendentalis, quæ sit solum talis in aliquo determinato genere entis. Ista conclusio est contra Vasquesium 1. p. disp. 77. cap. 2. sed est expressa

D.Tho.1 p.qu.17.art.1.in corp.vbi asserit artificialia aliqua esse simpliciter in genere artificialium falsa, in quantum scilicet recedunt à forma artis, & peccata esse falsa in genere moris, & propterea in scriptura sacra vocari mendacia Psalm. 4. Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium, quia recedunt à regula rationis practicæ.

Probatur ratione: quælibet res dicitur vera veritate transcendentali per hoc, quod commensuratur propriæ regulæ & propriæ mensuræ, vt ostensum est quæst. 1. huius disput. §. 1. supposit 2. ergo quælibet res dicetur etiam falsa, per hoc quod non commensurabitur propriæ mensuræ, & propriæ regulæ: at propria & per se regula artificialium, in genere artificialium, est forma artis, & in genere moris, propria & per se regula actionum moralium, est ratio practica: ergo artificialia, quæ recedent à forma artis, erunt falsa in genere artificialium, & peccata falsa in genere moris, quia recedunt à rectitudine rationis.

Conclusio tertia: Falsitas formalis reperitur in solo intellectu diuidente vel componente, & consistit in hoc formaliter, quod conceptus formalis iudicij componentis, aut diuidentis, non sit conformis, & adæquatus obiecto.

Probatur conclusio, quia contraria nata sunt esse circa idem, & consequenter, sicut veritas reperitur in solo intellectu componente, vel diuidente, & consistit formaliter in conformitate conceptus formalis iudicij componentis, vel diuidentis, cum obiecto; ita falsitas reperietur in solo iudicio componente vel diuidente, & consistet formaliter in difformitate, & inadæquatione conceptus ipsius formalis cum obiecto secundum quod est in se; *Sicut enim verum ponit acceptionem adæquatam rei*, inquit, D. Tho. 1. p. quæst. 17. art. 4. *ita falsum acceptionem rei non adæquatam.* Sicut tamē diximus veritatem formalem posse vialiter, & in fieri consistere in intellectione; inquantum intellectio est via, & fieri conceptus formalis obiecto conformis; ita poterit similiter dici, falsitatem in ea reperiri vialiter, & in fieri, inquantum est via, & fieri conceptus formalis, dissimilis obiecto, & ipsum secundum quod est in se, non exprimentis.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur ex Vasquesio, loco supra à nobis citato, si daretur aliqua in rebus falsitas, maximè in rebus artificialibus, prout deficiunt à forma artis, & in peccatis prout deficiunt à ratione practica, sicut ipsemet D. Tho. fatetur: sed in nullo ex prædictis falsitas simpliciter reperitur, ergo. Maior est certa. Minor probatur & primo quantum ad artificialia, nam si verbi gratia domus ab idæa sua ita deficiat, vt in nullo prorsus ipsi conformetur, tunc non poterit illud opus artificiale dici falsa domus, quia neqbidem domus erit; si autem talis domus habeat essentialia domus, & deficiat ab aliqua perfectione solum accidentali, erit vera domus: sed non bona atque perfecta, quia deerit ei integritas, & consumma-

tio perfectionis, quæ ad bonitatem, non vero ad veritatem rei pertinet, & sic non erit falsitas in artificialibus, sed malitia.

Quod etiam falsitas non reperiatur in peccatis simpliciter probatur, quia defectus qui est in peccatis, est potius malitia, quam falsitas; nam qua ratione operatio deficit à Deo, vel aduersatur ei, dicitur mala malitia morali, & non falsa; vnde si in scriptura dicuntur peccata interdum falsa, & mendacia, hoc est inquantum peccatum est causa falsi iudicij in homine, peccatum enim ita apparet homini, vt homo iudicet, & speret in eo inuenire summam delectationem & summam pacem, in quo decipitur: Hæc Vasquez.

35. Respondeo quod intantum opus artificiale est verum, inquantum imitatur formam artis, & intantum falsum, inquantū deficit ab imitatione illius: vnde si domus imitetur formam artis, quantum ad essentialia domus, & deficiat ab idæa domus, quantum ad perfectiones aliquas accidentales, illa domus erit vera domus, quantum ad essentialia domus, & falsa, quantum ad accidentales eius perfectiones; defectus enim ille perfectionum accidentalium, potest habere, & rationem mali, & rationem veri, sub diuersa consideratione; si enim consideretur defectus ille, quatenus est defectus aliquarum rationum, conuenientium naturæ domus, tunc defectus ille habebit rationem mali, quia malum dicit carentiam alicuius conuenientis, cum ratio boni consistat in conuenientia, si vero defectus ille consideretur, quatenus domus recedit, & deficit à perfecta imitatione formæ artis, tunc defectus ille habebit rationem falsi.

Et ad illud quod dicitur in eodem argumento, quod si domus deficeret totaliter ab idæa domus, itaut non haberet essentialia domus, tunc non esset falsa domus, quia nulla ratione esset domus.

Resp. primo quod adhoc vt esset falsa domus, sufficeret quod haberet aliquod vestigium & similitudinem domus.

Resp. secundo quod si quis artifex intendens facere domum, faceret aliquod opus, in nullo prorsus habens similitudinem cum domo, illud opus esset adhuc falsa domus, & omnino falsa; quia sicut perfecta veritas operis artificialis, consistit in imitatione & essentialium & accidentalium perfectionum formæ artis; ita falsitas omnimoda, quæ ei omnino opponitur, consistit in recessu à quacumque prorsus imitatione formæ artis; vnde ex hoc quod illud opus, non esset domus, non concluditur, quod non esset falsa domus, immo efficacius concluditur quod esset omnino falsa quia recederet penitus ab intentione & regula artis domi-factoriæ; verum est tamen cum falsitas opponatur contrariè, non contradictoriè veritati, quod deberet illud opus, esse aliquod artificiale, ad hoc vt opus illud dicere posset aliquam rationē positiuam distantem sub genere entis artificialis à vera domo, quæ est ens artificiale.

Ad illud autem, quod obijcitur de peccatis.

Resp. quod peccata habent rationem mali, & rationem falsi, sub diuersa consideratione; rationem mali, inquantum opponuntur Deo, vt est summū bonum, & vltimus finis, rationem vero falsi, inquantum discedunt à regula, & mensura sua, quæ est rectitudo rationis.

DISPVTATIO XXIV.

DE BONO.

DISPVTATIONEM de Bono, huius Metaphysicæ postremam fecimus, tum quia bonitas inter proprietates entis, vltimum locum obtinet, vt visum est disput. 20. num. 16. & declarabitur adhuc quæstio. 7. sequenti, tum etiam, vt in bonitate, quam vt finem omnia appetunt, terminum suum Metaphysica nostra fœliciter inueniret.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Bonum addat supra ens rationem conuenientiæ, itaut prædicta ratio sit ratio eius constitutiua.

§ I.

Resolutio quæstionis.

1. ANtequam accedamus ad resolutionem quæstionis, supponendum est, quod bonum non addit supra ens rationem aliquam realem, distinctam ex natura rei ab ente, vt probatum est disputat. præcedentibus de aliis proprietatibus entis, contra Scotum id asserentem, neque etiam aliquid solum rationis, vt ostẽsum est ibidem contra Fonsecam & potest adhuc probari primo, quia ex Philosopho 6. Metaph. lect. 4. apud S. Thomam, bonitas est in rebus; ergo bonitas non est solum aliquid rationis: secundo quia ex eodem Philosopho, bonum est, quod omnia appetunt: at illud, quod omnia appetunt, non dicit solum de formali aliquid rationis, sed potius aliquid reale, appetunt enim omnia perfectionem suam; ergo cum perfectio rerum consistat in aliquo reali, & non in aliquo rationis, ratio boni consistet in aliquo reali formaliter, & non in aliquo rationis solum.

Hoc posito prima sententia dicit bonum addere supra ens, rationem conuenientiæ, non quidem cum appetitu, sed cum altero extremo reali, cui dicitur esse conueniens: ita Durandus in 2. dist. 34. art. 1. cui suffragatur Suares in Metaph. disput. 10. sect. 1. num. 13. & seq. addens bonum, vt est passio entis, non dici absolutè, sed relatiuè, per connotationem ad aliud extremum, cui dicitur conueniens, & si sumatur absolute, non es-

ſe amplius paſſionem entis, ſed ipſammet entis eſſentiam.

Secunda ſententia diuidit ens in bonum, relate ſumptum, quod eſt bonum, non in ſe, ſed alterius, & in bonum abſolutum, quod eſt bonum in ſe. hoc poſito dicit, bonum relate ſumptum, non eſſe paſſionem entis tranſcendentalis, bene autem ſumptum abſolute, rationemque eius ſecundum poſtremam hanc rationem conſiſtere formaliter in integritate cuiuſlibet rei: ita Vaſquez diſp. 23. capite quarto, vbi primam partem, & capite quinto, vbi ſecundam partem affirmat.

Tertia ſententia inter Thomiſtas communiter recepta eſt, bonitatem addere formaliter ſupra ens rationem conuenientiæ reſpectu appetitus. Sit ergo concluſio prima. Bonitas vt eſt paſſio entis non conſiſtit formaliter in conuenientia cum alio extremo reali, quod non ſit appetitus, ſeu voluntas.

2. Probatur ratione. Illud quod conuenit enti, non vt ens eſt ſimpliciter, ſed vt eſt ens tale, non poteſt eſſe paſſio entis, vt ſic: ſed quod vnũ ens, ſit naturæ alterius entis conueniens, conuenit ei, non vt ens eſt ſimpliciter, ſed vt eſt ens tale, ſeu vt eſt determinatum ad hanc, vel illam ſpeciem: ergo. Major eſt aperta ex ipſis terminis, neque enim hic inueſtigamus paſſionem talis entis, ſed paſſionem entis vt ſic. Minor etiam patet. quia quod vnum ens conueniat naturæ alterius, prouenit ex aliqua qualitatum ſympathia; vnde cum iſtæ qualitates conueniant enti, non vt ens eſt, ſed vt eſt ens tale, quod vnum ens conſeq. ſit alteri conueniens, proueniet ei, non ex ratione entis vt ſic, ſed ex ratione talis entis; & ſic conuenientia entis cum altero ente, non erit paſſio entis vt ſic.

Probatur ſecundo. Bonitas quæ eſt paſſio entis debet habere idem conſtitutiuum in omnibus entibus, non vero diuerſum pro diuerſitate entium: quia ſicut omnia conueniunt in ente, ita & in ratione bonitatis, & conſequenter debet ratio bonitatis, quæ eſt paſſio entis, habere in omnibus entibus idem conſtitutiuum, alias certe bonitas non competeret entibus, ſecundum rationem communem entis, in qua conueniunt, ſed ſecundum talem ac determinatam rationem entis, ſecundum quam diuerſificantur & diſtinguntur ad inuicem: atqui ſi ratio bonitatis conuenit entibus, quatenus vnum naturæ alterius congruit, ratio bonitatis non habebit idem conſtitutiuum in omnibus entibus, ſed diuerſum, pro diuerſitate entium, quia vnum ens dicetur bonum per hoc, quod conueniat huic enti, & iſtud per hoc quod conuenit alteri enti, & ſic de cæteris entibus: ergo ſicut conuenientia, quæ in diuerſis entibus reperitur, diuerſitatem habet connotatorum, ita diuerſitatem habebit conſtitutiuorum, & conſequenter ratio bonitatis diuerſa erit ſecundum diuerſitatem entium.

Probatur tertio. Quia, qua ratione res ſunt quibuſdam conuenientes, eadem ratione ſunt & aliis diſconuenientes: ergo creaturæ non dicentur magis (ſecundum illam ſententiam, quam impugnamus) tranſcendentaliter bonæ, quam tranſcendentaliter malæ, & ſic non magis bonum dicetur paſſio tranſcendentalis entis, quam malum, quod tamen dici non poteſt, primo: quia quando vnum

oppositorum conuenit alicui rei, ex natura, non potest aliud oppositum eidem conuenire, ex Philosopho in antepraedicam. cap. 2. de oppositis: secundo quia hoc errori Manichæorum non parum faueret, qui aliquas constituebant creaturas ex natura sua malas, vt testatur Augustinus libro secundo de moribus Manicheorum à capite primo, vsque ad octauum.

Confirmatur, quia si bonitas conueniret enti, quatenus habet rationem conuenientis respectu alterius entis, Deus diceretur bonus per respectum ad creaturas, seu per connotationem creaturarum, quod certe inauditum est.

3. Conclusio secunda. Ratio bonitatis non consistit formaliter in integritate rei.

Probatur; quia complementum, & integritas alicuius rei pertinet, & reducitur formaliter ad rem illam, cuius dicitur esse complementum, & integritas: ergo integritas, & complementum conceptus entis, pertinet & reducitur ad ipsam entis essētiam, perficitque solùm conceptum entis, intra conceptum entis, nec alium ab ipso distinctum exprimit: ergo cum bonitas dicat conceptum distinctum à conceptu entis, non debet constitui per integritatem entis.

Confirmatur; quia integritas substantiæ, perficit substantiam intra rationem substantiæ: intantum enim dicitur substantia integra, inquantum habet omnia requisita ad conceptum, & rationem substantiæ: ergo similiter, intantum erit ens integrum, atque perfectum in ratione entis, inquantum habebit omnia requisita ad perfectam rationem entis: ergo integritas entis pertinebit ad eundem conceptum entis & non ad alterum, & per consequens, bonitas, quæ est conceptus distinctus à conconceptu entis, non consistet in illa integritate.

Confirmatur; quia perfectum & imperfectum distinguuntur solum, tanquam magis & minus intra eandem rationem: ergo ens magis vel minus integrum, magis vel minus perfectum distinguetur solùm tanquam magis & minus intra eundem conceptum entis.

Conclusio tertia. Ratio bonitatis consistit formaliter in ente, quatenus ens habet conuenientiam quandam, primario quidem, & per se cum voluntate diuina, secundario autem cum voluntate creata. ita Thomistæ omnes prima parte, quæstione quinta, cum Arauio 4. Metaphys. quæstione sexta, articulo quarto, conclus. tertia & quarta.

4. Probatur ex Aristotele 1. Ethic. in principio, vbi dicit optime ab aliquibus bonum fuisse definitum, quod sit id, quod omnia appetunt, cuius axiomatis veritatem ostendit ex professo Diuus Thomas, quæ. 22. de verit. articulo primo, videatur etiam quæstio. prima de verit. articulo primo, in corp. & quæst. 21. articulo primo; item prima parte, quæst. 5. art. 1. & in 1. dist. 8. quæst. 1. art. 3. vbi expressis terminis docet nostram conclusionem.

Probatur ratione; sicut se habet ens in comparatione ad intellectum, ad constitutionem veri, ita se habet ens comparatum ad voluntatem, ad constitutionem boni: sed ens habet rationē veri, quatenus primario cōparatur ad intellectum diuinum, & quatenus cū eo quandā habet conueniētiā, secundario vero, secundū quod

habet conuenientiam, seu adæquationem cum intellectu creato, vt ostensum est disp.22.quæst.1.num.3. ergo ens habebit rationem boni, quatenus comparatur primario ad voluntatem diuinam, & cum ea conuenientiam habet, secundario vero secundum quod dicit rationem illam conuenientiæ cum voluntate creata.

Probatur secundo, antequam ens creatum comparetur ad voluntatem creatam, tanquam perfectiuum ipsius, & per modum habentis vim trahendi eam ad se, ratione conuenientiæ, quam habet cum ea, debet prius comparari ad voluntatem diuinam per modum termini ipsius: sed ens creatum non comparatur ad voluntatem diuinam tanquam terminus ipsius, nisi secundum quod recipit ab ea impressionem quandam bonitatis, secundum quam habet vim trahendi ad se voluntatem creatam: ergo antequam ens creatum comparetur ad voluntatem creatam, secundum rationem boni atque conuenientis, debet prius secundum prædictam rationem, comparari ad voluntatem diuinam. Maior est aperta; cùm enim quicquid habet ens creatum, habeat dependenter à voluntate diuina, tanquam à prima causa, debet consequenter prius cõparari ad voluntatem diuinam, vt terminus eius, quam ad voluntatem creatam.

Minor autem constat, quia quicquid attingitur à voluntate diuina, attingitur secundum rationem aliquam bonitatis: ergo quando ens creatum terminabit voluntatem diuinam, terminabit eam, secundum quod recipit ab ea participationem quandam bonitatis increatæ, & sic antequam creatura habeat rationem boni & conuenientis, respectu voluntatis creatæ habebit iam prædictam rationem respectu voluntatis diuinæ, & per consequens ratio bonitatis, quæ est in creatura, petetur essentialiter atque primario per comparationem ad voluntatem diuinam, secundum quod est terminus quidam ipsius habens conuenientiam cum ea, & secundario per comparationem ad voluntatem creatam, secundum quod est perfectiua ipsius, eique conueniens.

Probatur tertio, illa quæ sunt respectiua, & quæ ab alio tanquam à mensura, & regula sua dependent, constituuntur formaliter atque primario per ordinem ad mensuram suam, tota enim ratio & perfectio rei mensurabilis, petitur per comparationem ad mensuram, vt patet in scientijs, aliisque habitibus, quorum tota ratio atque perfectio petitur per comparationem ad obiectum, quia ab eo tanquam à propria mensura dependent: sed bonitas creata comparatur ad voluntatem diuinam, tanquam ad propriam mensuram: ergo: Major est certa: Minor probatur, quia creatura comparatur ad voluntatem diuinam, tanquam ad causam, à qua per se recipit totam participationem bonitatis increatæ quam habet; nam cum bonitas increata sit obiectum per se primo inspectum à voluntate diuina, illud omne, quod habet participationem illius bonitatis increatæ, debet de necessitate illam habere per dependentiam à voluntate diuina: ergo ratio bonitatis creatæ constituetur primario per comparationem ad voluntatem diuinam inquantum habet conuenientiam cum ea, & secunda-

rió

riò per comparationem ad voluntatem creatam.

5. Confirmatur, quia ratio boni consistit in appetibilitate, non quidem in ea, quæ prouenit ex denominatione extrinseca appetitus, potentis appetere, sed in ea, quæ conuenit enti, ratione virtutis intrinsecæ, quam habet terminandi appetitum, secundum quod habet conuenientiam cum eo: ergo ratio boni consistet primario in conuenientia respectu primi appetentis: ergo cum primum appetens, seu primum volens sit Deus, ratio boni consistet primario in conuenientia respectu voluntatis diuinæ.

Et si obijcias D. Tho. q. 21. de verit. ar. 1. in corp. sub finem dicentem expressis terminis quod *primo & principaliter dicitur bonum ens perfectiuũ alterius per modum finis*: & conseq. cùm bonum non possit habere rationem perfectiui, nec rationem finis, respectu voluntatis diuinæ, sed respectu solius voluntatis creatæ, rationem boni petendam esse primario, & principaliter per comparationem ad voluntatem creatam.

Respondeo primo D. Tho. loqui de bono, non absolute sumpto, & secundum rationem eius formalem, sed de bono aliquo particulari, comparato ad aliud bonum: loquitur enim de bono, quod habet rationem finis per comparationem ad aliud bonum, quod habet rationem medij ad finem, dicitque rationem boni, magis principaliter conuenire bono, quod habet rationem finis, quam bono, quod habet solum rationẽ medij.

Respondeo secundo, quod licet bonum creatum non habeat rationẽ perfectiui, aut finis respectu voluntatis diuinæ, bonum tamen diuinum habet respectu illius rationem perfectiui & finis non quidem formalis, sed virtualis: sicut enim vnum attributum potest esse in Deo causa virtualis respectu alterius attributi, (vt dicunt communiter Theologi) ita bonitas diuina potest dici causa finalis virtualis respectu voluntatis Dei, quod sufficit ad verificandam propositionem D. Tho. in qua non dicit absolute, quod bonum sit finis, sed quod sit perfectiuum per modum finis.

Respondeo tertio, quod S. Tho. non loquitur de bono per respectum ad voluntatem Dei quam primario respicit, sed de bono provt contra distinguitur à vero per comparationem ad potentias animæ, & sic loquitur S. Doctor de ijs quæ conueniunt primario & principaliter bono, secundum quod est specificatiuum voluntatis nostræ, quam secundario solum respicit, quod sæpius facit D. Tho. quando loquitur de vero vel bono; loquitur enim vt plurimum de eis, secundum rationes eorum nobis magis notas, magisque manifestas.

Ex ijs quæ dicta sunt, duo sunt breuiter aduertenda; primum est, quod bonitas creata dicit de formali ordinem conuenientiæ, non quidem prædicamentalem, sed transcendentalem ad voluntatem diuinam; ad voluntatem autem creatam, ordinem rationis radicalem & fundamentalem; ita vt bonitas in recto dicat ipsum ens, quatenus præstat fundamentum ad prædictum respectum rationis. Secundum est quod quando diuiditur bonum in illud, quod est bonum alterius, & in illud, quod est bonum per se, & subsistens, diuiditur bonum materialiter, seu fundamentaliter sumptum, cum ratio for-

malis bonitatis non concipiatur in re, antequam concipiatur ratio conuenientiæ cum voluntate, de qua re consule doctissimum Nauarretam prima parte, controuers. 21. §. primo & quarto, vbi sententiam Vasquesij examinat.

§ II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur ex D. Tho. prima parte quæstione quinta articulo primo ad 1. vbi ait *Bonum dicere rationem perfecti.* & in corp. *Bonum esse id, quod omnia appetunt vnumquodque vero appeti secundum quod est perfectum:* ergo perfectum & bonum erunt vnum & idem, iuxta mentem D. Tho. ergo cum perfectum & integrum coincidant, res erit bona, ratione integritatis.

6. Antequam respondeamus huic obiectioni, supponendum est ex eodem D. Tho. prima parte, quæstione quinta, articulo primo, ad 1. & qu. 6. art. 3. in corp. quod bonum sumitur duobus modis, primò pro bono absolute, & transcendentaliter sumpto; secundo pro bono, quod est tale omnibus modis: si bonum sumatur primo modo, tunc dicitur res bona, eo modo quo ens, ait S. Tho. quæst. 5. prima parte, art. 5. ad 2. Si vero sumatur secundo modo, tunc vt res dicatur bona illa bonitate, nihil debet ipsi deesse ex ijs, quæ exigit secundum modum suæ perfectionis, perfectum enim est illud, *Cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis*: ex D. Thoma prima parte, quæstione 4. articulo primo, & quæstio. quinta, articulo quinto in corp. vel secundum Philosophum 5. Metaph. cap. 16. lect. 18. apud S. Tho. *Extra quod non est accipere aliquam eius particulam*: Hoc est, cui nulla ex eius partibus deest.

Hoc posito duo respondeo. Primo D. Tho. intelligendum esse de bono considerato secundo modo.

Secundo, licet D. Tho. intelligatur de bono secundo illo modo, non sequitur tamen, quod S. Doctor intendat rationem formalem boni consistere in perfectione rei, absque ratione conuenientiæ respectu voluntatis, sed solum intendit, quod ratio prædicta conuenientiæ, in quo consistit ratio formalis bonitatis, supponit in ente perfectionem, & integritatem tanquam fundamentum, & causam virtualem, ex qua, tanquam ex essentia virtualiter dimanat bonitas, seu conuenientia cũ appetitu per modũ proprietatis transcendentalis.

Instabis & dices, rem dici malam, ex eo quod desit ei aliquid suarum partium, aut eorum quæ exposcit ex natura sua: ergo similiter res dicetur bona, ex eo quod sit integra, nullaque suarum partium sibi desit.

Respondeo ad rationem bonitatis consideratæ secundo illo modo, prærequiri integritatem rei per modum fundamenti, vt dictum est, & propterea si deesset rei aliqua ex partibus suis, licet res illa esset tantum bona bonitate transcendentali, quantum participaret de entitate, tamen non esset bona perfecte, & omnibus modis, ex defectu aliquorum, quæ requiruntur ex parte fundamenti ad rationem bonitatis perfectæ atque consummatæ.

7. Obijcitur ex D. Tho. & ex Ari-

stotele 1. Ethicor. Bonum est, quod omnia appetunt: ergo ratio formalis bonitatis non consistet solum in conuenientia cum voluntate, siue illa sit increata, siue creata, sed in conueniẽtia cum quocumque alio appetitu naturali.

Respondeo, quod licet cæteri appetitus possint appetere hoc, vel illud bonum particulare, atque determinatum, tamen appetere bonum vt sic, non possunt, sed hoc soli voluntati, siue appetitui rationali conuenire potest, qui cum sequatur ad cognitionem, quæ apprehendit bonum vt sic, potest consequenter & in illud vt sic, inclinari; vnde cum inquiramus hic naturam & definitionem, non huius, vel illius boni in particulari, sed boni vt sic, non mirum, quod rationem boni constituerimus principaliter, & primario per comparationem ad voluntatem diuinam, & secundario per comparationem ad voluntatem creatam.

Obijcitur; bonum vt sic, est specificatiuum voluntatis creatæ: ergo cum specificatiuum respiciat prius illud, quod specificat, quam quodcumque aliud, prius bonitas vt sic saltem creata, respiciet voluntatem creatam, quam diuinam.

Respondeo quod quando specificatiuum specificat solum extrinsece, & per modum mensuræ, & regulæ, tunc necessarium non est, quod primo & principaliter respiciat specificatum (vt dictum est disputatio. 22. quæstione secunda, numero vndecimo) sed sufficit, quod per se primo respiciatur à specificato; vnde cum bonitas creata specificet voluntatem creatam, per modum obiecti motiui ipsius, & tanquam eius mensura, non quidem prima, sed voluntati diuinæ subordinata, à qua participat totam vim quam habet, mouendi & trahendi ad se voluntatem creatam, exiget consequenter, per se primo, respici à voluntate creata, quamuis tamen, id per ordinem ad quod constituitur, atque specificatur primario, sit voluntas diuina.

QVÆSTIO II.

Vtrum Bonum sit passio entis.

§. I.

Resolutio quæstionis.

8. SVppono primo ad intelligentiam quęstionis duplicem illam bonitatis acceptionem, quam quæst. præc. §. vlt. in resp. ad 1. ex D. Tho. retulimus.

Suppono secundo ens communiter diuidi in ens nominaliter, & in ens participialiter sumptum. Ens nominaliter sumptum significat ens, quatenus præscindit ab exercitio, & à tempore, cum nomen significet sine tempore, ens autem participialiter sumptum, significat ens in actu exercito consideratum, & vt est à parte rei, participium enim, sicut & verbum, significat cum tempore.

His positis prima sententia asserit bonum esse solum passionem entis participialiter sumpti. ita Iauellus 1. p. q. 5. art. 3.

Secunda sententia asserit bonum transcendentale, esse passionem entis nominaliter sumpti, bonum vero sumptum pro perfecto, & pro bono simpliciter & omnibus modis tali, esse proprietatem

ſolius entis in actu ſecundo exiſtentis. ita Arauius quarto Metaphyſicæ, quæſtione ſexta, articulo primo, concluſ.3.

Prima concluſio. Bonum tranſcendentale eſt paſſio entis, abſtrahendo ab hoc, quod ens ſumatur nominaliter, vel participialiter. iſta concluſio eſt omnium Philoſophorum.

Probatur, ex D. Tho. prima parte, quæſtione quinta, articulo tertio, & de verit. qu. 21. art. 2. & alibi ſæpius, vbi aſſerit bonum reciprocari, & conuerti cum ente.

Probatur ratione. Bonum tranſcendentale exprimit modum aliquem, diſtinctum à conceptu entis, ad ipſum conſequentem, & cum eo conuertibilem: ergo bonum tranſcendentale, eſt vera paſſio entis. Conſequentia eſt aperta. Probatur antecedens, & primo quidem, quod bonum exprimat modum aliquem ab ente diſtinctum, euidens eſt, quia exprimit rationem conuenientiæ cum appetitu, quæ per conceptum entis nõ exprimitur. Quod etiam ratio illa conuenientiæ ſequatur ad ens & cum eo conuertatur, patet, quia conceptus ille conuenientiæ fundatur in ente, & de quocumque ente prædicatur: ergo ſequitur ad ens, & cum eo conuertitur.

Probatur ſecundo, omne ens diuiditur adæquate in creatum & increatum: ſed bonum prædicatur de Deo & creaturis, de Deo enim dicitur Thren. 2. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum: de creaturis vero Geneſ. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: ergo nullum eſt ens, de quo bonum non prædicetur, ergo conuertitur cum ente, & conſequenter erit paſſio illius.

9. Secunda concluſio. Bonum tranſcendentale, eſt paſſio entis nominaliter, & in actu ſignato, non autem participialiter, & in actu exercito conſiderati.

Probatur ratione. Per hoc diſtinguitur proprietas, ſeu paſſio ab accidenti communi quod proprietas conuenit omni, ſoli, & ſemper, vt patet ex Logicis: ſed bonum non poteſt ſemper conuenire enti in actu exercito & participialiter conſiderato, ſed ſolum enti ſumpto nominaliter, & in actu ſignato, quia ens in actu exercito conſideratum, non eſt ſemper, ſed aliquando eſt, & aliquando non eſt; cum exiſtentia in actu exercito, conueniat contingenter enti ſaltem creato: ergo bonum tranſcendentale non erit paſſio entis in actu exercito, & participialiter conſiderati, ſed entis ſumpti nominaliter, & ſecundum quod abſoluit à tempore.

Confirmatur. Quia propoſitiones in quibus prædicatur propria paſſio de eſſentia ſubiecti, ſunt æternæ veritatis, & in materia neceſſaria: ergo cum ens in actu exercito, ſeu participialiter conſideratum, dicat ens ſecundum aliquem modum contingentiæ, ſecundum quem poteſt aliquando eſſe, & aliquando non eſſe, non poterit hoc modo conſideratum, eſſe ſubiectum in propoſitione æternæ veritatis, & per conſequens, bonum non erit proprietas illius in actu exercito, ſed in actu ſignato & nominaliter conſiderati.

Confirmatur: in ſcientiis paſſio demonſtratur de eſſentia ſubiecti: ergo cum ſcientia ſit de æternis, & neceſſariis, non vero de contingentibus, & de ijs quæ aliquando poſſunt eſſe, & aliquando non eſſe, debet ſubiectum

passionis, inquantum subiectum illius est, esse quid æternum, & absoluere à tempore, ergo bonum non erit passio entis, quatenus ens est in actu exercito, & in tempore, sed entis nominaliter sumpti, & quatenus ens ab omni prorsus tempore absoluit.

Quod si dicas conclusionem hanc esse contra Salmant. nostros tract. de volunt. Dei disp. 5. dub. 1. §. 5. & 7. in sol. ad 1. vbi dicunt bonum non esse passionem entis, nominaliter sumpti, sed entis considerati in actu exercito, & secundum existentiam suam.

10. Respondeo quando PP. nostri dicunt, bonum esse passionem entis, participialiter, non nominaliter sumpti, eos loqui de bono in actu exercito, non autem de bono in actu signato, loquuntur enim ibi de bono, secundum quod potest in actu exercito terminare actum voluntatis diuinæ; vnde cum solum bonum in actu exercito, non vero bonum in actu signato, possit actu, & in exercitio terminare actum voluntatis, vt §. seq. nu. 11. ostendetur, loquuntur ex consequenti de bono in actu exercito, non autem de bono in actu signato: videatur §. 5. num. 19. & 20. vbi expressis verbis asserunt entia eodem modo dici bona, quo sunt entia, & ideo ea dici solum bona possibiliter, seu in actu signato ante esse exercitum, quia ante illud esse, sunt solum entia possibilia, & in actu signato: ex quo patet, quando negant bonum esse passionem entis nominaliter, & in actu signato considerati, ipsos loqui de bono in actu exercito, de quo non immerito negãt, esse passionem entis nominaliter sumpti; certum est enim, sicut ens hoc modo sumptum, est solum in actu signato, & in statu possibili, ita ab eo quoque solum exigi passiones in actu signato, & in statu possibili non autem in actu exercito.

Ex his infero; eos qui dicunt, bonum sumptum pro perfecto, esse passionem entis in actu exercito, seu participialiter considerati, non esse intelligendos de passione, seu de proprio quarto modo, sed de proprio tertio modo, quod conuenit omni, & soli, sed non semper: quod ego assero non solum propter rationes statim allatas, sed etiam speciali alia ratione motus: cùm enim passio sit aliquod ens per se, & non ens per accidens, & bonum, sumptum pro perfecto, & pro bono simpliciter, & omnibus modis, tali, dicat aliquod aggregatum per accidens, (dicit enim secundum D. Tho. 1. p. qu. 6. art. 3. in corpore non solum ipsum esse rei subsistentis, seu existentis, sed etiam accidentia eius, & possessionẽ finis sui) non poterit consequenter bonitas sic sumpta, esse in rigore proprietas, seu passio entis in actu exercito, & participialiter sumpti.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur contra secundam conclusionem: D. Th per totam qu. 5. & 6. 1. p. nec non quæst. 21 de verit. art. 2. & alibi sæpius asserit, vnumquodq; bonum esse secundum suum esse: ergo bonitas conueniet enti participialiter, & prout est in actu exercito, per suum esse.

11. Respondeo D. Tho. posse in-

telligi non de bono in actu signato, sed de bono in actu exercito, & vt in exercitio habet vim terminandi actionem voluntatis, quæ quidem ratio boni, conuenit solum enti, sumpto participialiter in actu exercito: sicut enim bonum in actu signato, conuenit enti nominaliter sumpto, ita bonum in actu exercito, conuenit enti participialiter sumpto, & consequenter ratione esse, per quod ponitur ens in actu exercito & à parte rei.

Respondeo secundo, D. Tho. posse intelligi de bono simpliciter tali, & secundum quod dicit omnimodam perfectionem bonitatis, etiam in actu exercito, non autem de bono transcendentaliter, & in actu signato, considerato.

Obijcitur secundo: contra eandem conclus. si bonitas conueniret enti nominaliter sumpto, per modum passionis ipsius, sequeretur quod creaturæ possibiles essent bonæ, & per consequens terminus amoris diuini, bonitas enim est terminus amoris: ergo si bonitas conuenit illis, erunt in illo statu terminus amoris diuini, quod tamen est contra communem Thomistarum sententiam, qui quæstione 19. prima parte, articulo secundo, contrarium tenent.

Respondeo, non deesse Thomistas qui teneant creaturas in illo statu possibilitatis amari à Deo amore complacentiæ necessario inter quos est Arauius 4. Metaphysicæ, quæstione sexta, articulo primo, numero quinto, sed quia cõtraria sententia magis est communis in schola D. Th. ideo

Respondeo secundo. Quod eo modo bonitas habet vim terminandi actionem appetitus, seu voluntatis quo conuenit enti, vnde cùm bonitas in actu exercito, non conueniat enti possibili, sed solum bonitas in actu signato, non habebit consequenter in eo statu vim terminandi in actu exercito actionem aliquam, sed habebit solum possibilitatem ad hoc, vt terminet in actu exercito appetitum, quando de facto conueniet enti in actu exercito.

Obijcitur contra secundam conclus. si bonitas esset passio entis, deberet cuilibet enti conuenire: at bonitas non conuenit cuilibet enti, quia sicut materia prima est expers cuiuslibet perfectionis & actualitatis, ita & bonitatis, cum bonum & perfectum sint vnum & idem.

12. Respondeo ex Diuo Thoma, quæstione vigesima prima de veritate articulo secundo ad tertium, & prima parte, quæstione quinta, articulo 3. ad 3. materiam primam, eo modo esse bonam, quo & ens, vnde sicut materia prima est ens potentiale, & non actuale, ita bona est, non actuali, sed potentiali bonitate.

Respondeo secundo ex eodem tertio contra Gentes, capite vigesimo, materiam primam posse dici simpliciter bonam; licet non debeat dici ens simpliciter, quia ens simpliciter ab esse dicitur, quod materiæ non conuenit per se, sed ratione formæ: at bonum simpliciter quid dicitur ex ordine ad finem; quia ergo materia dicit per se ordinem ad formam, tãquam ad finem suum, propterea potest dici simpliciter bona, licet non possit dici ens simpliciter.

Obijcitur, vt bonum posset dici passio entis, deberet soli enti conuenire, proprium enim conuenit soli: atqui bonum non conuenit soli enti, & pr.

quia conuenit etiam non enti: cum enim damnati, & plerique alij miseriarum & calamitatum pondere oppressi, appetant non esse, debet necessario non esse habere aliquam rationem boni, cum vnumquodque appetatur, inquantum est bonum.

Respondetur ex Diuo Thoma prima parte, quæstione quinta, articul. 2. ad 3. quod damnati, & alij huiusmodi infœlices, non appetunt non esse per se, sed solum per accidens, inquantum scilicet, non esse, quod appetunt, adducit secum separationem ab aliqua miseria, qua quidem miseria priuari desiderant, propter aliquod esse, quod summe desiderant, quo tamen priuantur per prædictam miseriam, qua plus nimio prægrauantur: ex quo patet, quod illud, quod per se ab eis appetitur, est esse, non esse vero per accidens solum; S. D. accipe verba ad 3. *Dicendum quod non esse secundum se non est appetibile, sed per accidens, inquantum scilicet ablatio alicuius mali est appetibilis, quod quidem malum aufertur per non esse, ablatio vero mali non est appetibilis, nisi inquantum per malum priuatur quodam esse: illud igitur quod per se est appetibile est esse, non esse vero per accidens tantum, inquantum scilicet quoddam esse appetitur quo homo non sustinet priuari, & sic etiam per accidens non esse dicitur bonum.* Si vis videre plura quoad solutionē huius obiectionis lege Arauium quarto Metaphysicæ, quæstione sexta, articulo secundo, vbi ex professo, & ad longum tractat istam quæstionem, vtrum scilicet non esse possit induere rationem appetibilis & boni, & egregie contra Durandum ostendit non solum ex iudicio erroneo, sed etiam ex iudicio recto, & recte ordinato, posse aliquando appeti non esse, vt potest accidere in eo, qui peccato præferret mortem vel etiam penitus non esse.

Obijcitur, entia Mathematicalia sunt entia, & tamen non sunt bona: ergo bonitas non conueniet cuilibet enti, & sic non erit passio entis vt ens est.

Ista obiectio postulat vt ei abunde satisfaciamus, ideo sit

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Entia Mathematicalia sint Bona.

§. I.

Resolutio quæstionis.

13. VAsquez prima parte in expositione articuli tertij quæstionis quintæ Diui Thomæ asserit entia Mathematicalia esse bona bonitate transcendentali, quam dicit consistere in integritate rei, vt quæstione prima huius disputationis §. primo vidimus: & addit vlterius, quando Aristoteles tertio Metaphysicæ textu quarto negat illa esse bona, intelligendum esse de bonitate relate sumpta, non autem de bonitate transcendentali.

Antequam aperiamus quid in hac re sentiant Thomistæ communiter, notandum est quod entia Mathematicalia possunt considerari, vel in esse rei, & vt sunt absolute; vel secundum illum modum abstractionis, secun-

dum quem subjacent formaliter considerationi Mathematices.

Hoc posito, prima conclusio. Si entia Mathematicalia considerentur absolute in esse rei, & secundum quod sunt, certum est illa esse bona bonitate transcendentali. In hac conclusione conueniunt omnes Philosophi.

Probatur ratione; quia bonitas est passio transcendentalis entis: ergo si entia Mathematicalia considerentur absolute in esse rei, & secundum quod sunt, bonitas transcendet illa, cum eisque identificabitur realiter, & per consequens erunt bona in esse rei, & secundum se considerata.

Secunda conclusio: Si considerentur entia Mathematicalia secundum illum modũ abstractionis, secũdum quem subijciuntur formaliter considerationi Mathematices, non sunt formaliter bona. Ista conclusio est expressa Aristotelis 3. Metaph. textu 4. D. Tho. 1. p. quæst. 5. artic. 3. ad 4. & de potent. quæst. 21. art. 2. ad 4. vbi expressis terminis & præsentem, & precedentem docet conclusionem. Diuum Tho. cum Aristot. sequuntur Suarez disp. 10. sect. 3. num. 19. Valentia 1. p. disp. 1. quæst. 5. puncto 1. Arauius 4. Metaph. quæst. 6. artic. 1. dub. p. Nauarrete 1. contro. 1. 22. & Thomistæ communiter.

14. Probatur ratione desumpta ex D. Tho. & Arist. locis statim allatis. entia Mathematicalia considerata formaliter secundum prædictum modum, appellant formaliter proprium, & præcisum conceptum, secundum quem subduntur formaliter considerationi Mathemacices: atqui entia Mathematicalia, considerata vt talia, & vt appellant proprium illum & præcisum conceptum, non sunt bona: ergo. Maior est certa. Probatur minor, quia entia illa, quæ non solum abstrahunt ab existentia, & à fine proprio, sed etiam à tendentia, tum in finem, tum in existentiam, non possunt vt sic dici formaliter bona: atqui entia Mathematicalia, vt talia non solum abstrahunt secundum rationem ab existentia, & à fine proprio, sed etiam à tendentia, tum in finem, tum in existentiam: ergo. Maior est certa, quia ex D. Th. 1. p. quæst. 5. art. 1. ad 1 & quæst. 6. art. 3. in corp. ratio perfecta bonitatis coalescit ex coniunctione rei cum existentia, & cum fine proprio, & ex Aristot. lib. 2. Physic. cap. 3. textu 31. 1. Ethicor. cap. 3. & ex D. Tho. pluribus in locis, sed maximè 3. contra Gent. cap. 2. & 3. quæst. 21. de verit. artic. 1. in corp. sub finem, 1. p. quæst. 5. art. 4. & alibi sæpius, bonum & finis coincidunt, cum enim finis sit id, cuius gratia aliquid fit, & non fiat aliquid, nisi propter rationem boni, & conuenientis, debent consequenter bonum & finis coincidere: ergo illa quæ præscindent non solum à fine & existentia, sed etiam ab ordine, seu tendentia, tum in finem proprium, tum in propriam existentiam, illa non erũt bona: dixi quod illa, quæ abstrahunt, non solum à fine & existentia, sed etiã ab ordine ad ea, quod illa inquam non sunt bona, quia non solus finis, aut sola existentia, sed etiam ordo & tendentia ad illa, dat rationem boni ex D. Tho. quæst. 21. de verit. art. 1. ad 3. quia illud quod tendit in aliquid, habet iam similitudinem aliquam cum eo, & aliquam eius participationem.

Minor autem, quod entia Mathematicalia secundum illum præcisum conceptum, abstrahant non solum à fine,

fine, & existentia, sed etiam ab ordine ad ea, probatur: quia entia Mathematicalia abstrahunt, non solum à materia sensibili, in qua & finem proprium, & propriam existentiā habent, sed etiam ab omni motu Physico secundum quem possent ordinari ad possessionem tum finis, tum existentiæ in materia sensibili acquirendam: Mathematicæ enim non considerant quantitatem, vt motui subiectam aut vt aliquo modo ordinatam ad ipsum; cum non considerent eam, aut per modum principij, aut per modum termini motus; & propterea omnes earum demonstrationes fiunt, non per causam efficientem aut finalem, quæ sunt causæ ordinatæ ad motum, & ad eum inclinantes, sed per solam causam formalem, quæ à motu præscindit. Pro quo poteris consulere Soncinnatem 4. Metaphys. quæst.16. ex quo euidenter patet, entia Mathematicalia abstrahere prorsus ab omni motu, & propterea vocantur ab Arist. 2. Metaph. textu 4. & 11. lect. 4. apud S. Tho. entia immobilia, & consequenter ab omni ordine tum ad finem, tum ad existentiam & per consequens à bonitate.

Ex quibus potest inferri, quantum sit aliena à veritate illa Vasquesij doctrina, superius allata, in qua asserit, entia Mathematicalia posse dici absolute, & simpliciter bona, si bonitas sumatur pro integritate, quia si quæ bonitas possit eis denegari, maximè bonitas integritatis, atque perfectionis, cum illa ex D. Thoma coalescat ex existentiæ finisque possessione: Immo cum bonitas transcendentalis debeat fundari in ente, quatenus ens dicit ad minus ordinem, & ad proprium finem, & ad propriam existentiam, eo ipso quod Mathematicalia abstrahant & præscindant à tendentia & ordinatione ad ea, præscindent & abstrahent quoque necessario à bonitate transcendentali.

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

Obijcitur ex D. Thoma tertio Metaphysicæ lectione quarta in fine, vbi dicit: *Falsum esse, quod entia Mathematicalia non sint bona.* Et Philosophus secundo Ethic. ca. 6. dicit, *omnem scientiam esse circa bonum*: Ergo cum entia Mathematicalia sint obiectum Mathematicæ, erunt bona.

15 Respondeo, tam S. Doctorem, quam Philosophum esse intelligendos de Mathematicalibus in esse rei, & secundum sensum primæ conclusionis, satis enim vterque declarauit mentem suam quantum ad Mathemeticalia, considerata formaliter, vt subijciuntur præcise considerationi Mathematicæ, quod scilicet illa vt sic, præscindunt & abstrahunt à bonitate formaliter.

Obijcitur. Si qua esset ratio, quare entia Mathematicalia non essent bona, maximè propter rationem à S. Thoma prima parte quæst. 5. artic. 3. ad 4. assignatam, quia scilicet non subsistunt separata, seu considerata secundum abstractionem Mathematicalem: at ista ratio nulla est, quia si quid probat, probat quod nulla obiecta scientiarum sunt bona.

rum enim ſcientia ſit de vniuerſalibus, & vniuerſalia non ſubſiſtant ſeparata, certe nulla obiecta ſcientiarum erunt bona.

Reſpondeo non negari à Diuo Thoma quod entia Mathematicalia ſint bona ex eo ſolum præcisè, quod non ſubſiſtant, quatenus per Mathematicam conſiderationem ſunt ſeparata & abſtracta, ſed maximè ex eo quod non ordinantur ſub illa abſtractione ad finem & exiſtentiam: vndè quando dicit D. Tho entia Mathematicalia non eſſe bona, ſeu præſcindere à bonitate, quia non ſubſiſtunt vt ſeparata, intelligendus eſt non ſolum de exiſtentia actuali, ſed etiam de ordine ad exiſtentiam; hoc eſt, quod ideo entia Mathematicalia non ſunt bona, quia, prout cadunt formaliter ſub conſideratione Mathematicali, non ordinantur ad exiſtentiam, vt ſtatim dictum eſt numero 14. vnde cum obiecta cæterarum ſcientiarum, licet abſtrahant ab actuali vnione cum exiſtentia, & ſecundum illam rationem poſſit dici, quod non ſubſiſtant, quia nulla vniuerſalia, in ſua vniuerſalitate exiſtunt, tamen non abſtrahant ab ordine ad exiſtentiam, ſed potius ex vi propriæ abſtractionis, ordinentur ad eam, inquantum ex vi propriæ abſtractionis ſubijciuntur ordinationi cauſæ efficientis, & finalis, (per eas enim fiunt demonſtrationes in cæteris ſcientijs) ideo licet Mathematicalia in ſua Mathematicali ſeparatione ſeu abſtractione, à bonitate præſcindant, ab ea tamen non præſcindunt obiecta aliarum ſcientiarum intra propriam abſtractionem conſiderata.

Inſtabis, & dices, ex iſta ſolutione ſequi non ſolum entia Mathematicalia non eſſe bona, ſed nequidem eſſe entia, quia conceptus entis petitur ab exiſtentia, ſeu ab ordine ad exiſtentiam: ergo ſi Mathematicalia præſcindunt ab ordine ad exiſtentiam, præſcindent etiam à conceptu entis.

16. Reſpondeo cum Nauarrete controuerſ. 22. ad 3. verum eſſe, quod entia Mathematicalia non conſiderantur à Mathematica ſub conceptu entis, ſed munus hoc eſſe, non Mathematicæ ſed Metaphyſices.

Et ſi dicas alias ſcientias, præter Metaphyſicam, non conſiderare etiam obiecta ſua ſub ratione entis.

Reſpondeo non conſiderare quidem illa ſub ratione entis vt ſic, quamuis conſiderent illa ſub ratione talis entis, quod tamen non facit Mathematica, quia non conſiderat obiecta ſua, quatenus ſubijciuntur fini proprio, & cauſæ efficienti, per quas ordinantur ad propriam exiſtentiam, ſicut faciunt cæteræ ſcientiæ conſiderando obiecta ſua.

Inſtabis rurſus & dices, inter ens & non ens non dari medium, cum opponantur contradictoriè: ergo cum Mathematica non conſideret obiectum ſuum ſub ratione non entis, conſiderabit illud de neceſſitate ſub ratione entis.

Reſpondet Nauarreta, inter ens, & non ens, non dari quidem medium à parte rei, benè autem in conceptu noſtro, quia poteſt intellectus noſter concipere aliquid, non ſub conceptu entis, nec ſub conceptu non entis, ſed ſub conceptu abſtrahente ab vtroque, ſeu po-

tius neutrum exprimente, conceptus enim rei, & quidditatis, non exprimit conceptum entis, cum exprimat essentiam entis præcisam ab ordine ad esse, quem tamen exprimit conceptus entis.

Respondeo secundo inter ens & non ens, siue explicite, siue implicite consideratum, non dari quidem medium, licet inter ens, consideratum sub expresso conceptu entis, & non ens, possit dari medium; datur enim conceptus rei, qui nec conceptum entis exprimat, nec conceptum non entis, licet implicite contineat conceptum entis.

Respondeo tertio, posse considerari non ens negatiue, seu potius abstractiuè veluti, atque præcisiuè, prout scilicet conceptum entis non exprimit; vel exclusiuè, prout talem conceptum, siue explicite, siue implicite consideratum excludit & negat. Hoc posito dico Mathematicam considerare obiectum suum sub conceptu non entis negatiuè, seu abstractiuè considerati, quia considerat illud, prout conceptum entis non exprimit, licet non consideret illud sub conceptu non entis, qui sit exclusiuus conceptus entis, siue implicite, siue explicite considerati, quia non considerat illud, negando de ipso, quod sit ens.

Objicitur, Mathematicalia allicere ad sui cognitionem, & consequenter esse bona.

Respondeo quod peccata alliciunt etiam ad sui cognitionem, & tamen certum est non esse bona, nec sub ratione alicuius boni ex parte peccati se tenentis allicere: argumentum ergo concludit solum quod Mathematicalium cognitio suauis est, iucunda, & bona, & quod bonitate & suauitate sua allicit appetitum: non autem quod Mathematicalia vt sic, sint bona; alias idem de peccatis concluderetur.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum creatura possit dici bona per essentiam.

§. VNICVS.

Resolutio Quæstionis.

17. Vasques disput 24. capite 2. tenet partem affirmatiuam, & impugnat rationem D. Tho. qua prima parte quæst. 6. artic. 3. negatiuam probat.

Sentenia tamen communis inter Thomistas, est negatiua, poterunt videri loco citato primæ partis, sed antequam conclusiones nostras statuamus, aliqua nobis sunt breuiter supponenda, ex quibus facile erit veritatem, & mentem S. Doctoris inferre, atque colligere.

Supponendum ergo est primo aliquid posse dici bonum per essentiam duobus modis, primo prout hæc particula, per essentiam contradistinguitur contra accidentaliter, seu per accidens: secundo potest sumi, prout contradistinguitur contra per participationem: vt aliquid dicatur bonum per essentiam primo modo, debet illud esse bonum ratione suæ essentiæ, & non solum ratione accidentis, seu alicuius, extra rationem essentialem existentis: vt autem aliquid dicatur

bonum per essentiam secundo modo, debet illud esse bonum, non secundum quid, aut secundum diminutionem, sed secundum plenitudinem, & perfectionem totius bonitatis, cum enim participare, sit idem, ac partem capere, & partem relinquere illius rei quæ participatur, si sumatur hæc particula, per essentiam prout contradistinguitur contra, per participationem, debet illud, quod dicitur bonum per essentiam, habere omnem in se plenitudinem bonitatis, nullamque, extra essentiam suam, bonitatis partem, siue rationem relinquere.

Suppono secundo, acceptionem illam duplicem, bonitatis simpliciter, seu omnibus modis dictæ, & bonitatis secundum quid, seu transcendentalis, de qua iam sæpius locuti sumus in quæstion. præcedentibus.

His positis sit prima conclusio. Si ista particula, per essentiam, sumatur prout contradistinguitur contra per participationem, creaturæ non possunt dici bonæ per essentiam, sed esse bonum in hoc sensu est proprium solius Dei. Ita D. Thomas prima parte quæstion. 6. articulo tertio, quæst. 21. de veritate articulo quinto, vbi egregie & fusissime probat hanc conclusionem: primo contra Gentes à capite 37. vsque ad 41. inclusiue: opusculo secundo capite 109. 110. 111. 112. & alibi.

Probatur ratione: vt aliquid dicatur bonum per essentiam, modo prædicto, debet illud in sua essentia habere plenitudinem, & abundantiam totius bonitatis, haut extra essentiam suam, nullam rationem bonitatis relinquat, (vt patet ex prima suppositione:) atqui creaturæ non possunt hoc modo dici bonæ: & probatur, quia eo modo creaturæ dicuntur bonæ, quo sunt entia: atqui creaturæ non habent in sua essentia omnem entis perfectionem, sed perficiuntur in ordine entis, & ab existentia, & ab accidentibus, & à possessione finis, (quæ quidem omnia sunt extra essentiam creaturæ) ergo creaturæ non continent in sua essentia, plenitudinem totius entis: ergo neque plenitudinem totius bonitatis: ergo non poterunt dici bonæ per essentiam, si sumatur particula hæc, per essentiam, prout distinguitur contra per participationem, & hoc modo sumpsit Diuus Thomas locis omnibus superius allatis particulam hanc, per essentiam, quando negauit creaturas esse bonas per essentiam, vt patet ex articulo tertio quæstionis sextæ primæ partis vbi in argumento sed contra probat alia omnia à Deo non esse bona per essentiam, quia sunt bona per participationem.

Secunda conclusio. Si sit sermo de bonitate transcendentali, creaturæ possunt dici bonæ per essentiam, prout τὸ per essentiam distinguitur contra per accidens, seu accidentaliter. Ista conclusio est adhuc expressa Diui Thomæ quæstione illa 21. de veritate, articulo quinto ad primum vbi habet hæc verba. *Ad primum dicendum quod creatura non potest esse non bona, bonitate essentiali, quæ est bonitas secundum quid*, & ad sextum dicit, *quod creatura eo modo dicitur bona, quo ens*: ergo cum creatura dicatur essentialiter ens, dicetur etiam essentialiter, bona.

Prob. ratione. Illud quod transcendit essentiã creaturę, & cum ea realiter

identificatur, potest per essentiam prædicari de creatura, provt τὸ per essentiam, idem sonat, ac essentialiter, & provt distinguitur contra accidentaliter, seu contra per accidens: sed bonitas transcendentalis transcendit ipsam creaturæ essentiam, & cum ea realiter identificatur, passio enim transcendentalis entis, sicut est bonitas, ideo dicitur transcendentalis, quia transcendit illa omnia, quæ habent rationem entis, & cum eis realiter identificatur: ergo bonitas poterit per essentiam, seu essentialiter de creaturis prædicari, provt τὸ per essentiam idem sonat ac essentialiter, & sumitur, vt quid distinctum conta per accidens, seu contra accidentaliter.

Probatur secundo, eodem modo potest dici aliquid bonum, quo ens, (vt statim ex D. Tho. allatum est:) at creaturæ possunt dici ens per essentiam, id est, ens non accidentario, quia ens prædicatur essentialiter de creaturis, & non accidentaliter: ergo creaturæ possunt etiam similiter dici bonæ per essentiam, id est, non accidentaliter, sed essentialiter.

Tertia conclusio. Creaturæ non possunt dici bonæ per essentiam seu essentialiter, si sit sermo non de bonitate secundum quid, & transcendentali, sed de bonitate simpliciter & omnibus modis dicta, seu de bonitate, dicente perfectionem & integritatem totius bonitatis, secundum quam creaturæ dicuntur bonæ.

19. Probatur ratione. Quia ex Diuo Thoma, articulo tertio statim citato quæstione sexta, prima parte: & articulo 5. quæstio. 21. de verit. & alijs locis à nobis superius allatis, creaturæ dicuntur bonæ, non solum ex principiis essentialibus, sed ex existentia, accidentibus, & fine earum: ergo cum existentia, accidentia, & finis creaturarum, sint quid realiter distinctum ab essentiis earũ, non poterunt creaturæ dici bonæ per essentiam, seu essentialiter, si bonitas sumatur simpliciter pro bonitate omnibus modis dicta, seu pro bonitate, dicente integritatem, perfectionem, & complementum totius bonitatis, secundum quam, creaturæ dicuntur bonæ simpliciter.

Confirmatur. Quia bonum hoc modo sumptum idem est, ac perfectum: ergo cum creaturæ perficiantur, non solum secundum principia intrinseca, & essentialia, sed etiam secundum accidentia earum, non poterunt dici secundum essentiam, seu essentialiter bona, secundum omnimodam rationem bonitatis, quam includunt.

Ex tribus his conclusionibus, possunt facile solui omnia argumenta, quæ possunt adduci contra nos, & propterea inutile esset ea sigillatim referre: etenim illæ authoritates, quę possent ex D. Tho. afferri, in quibus S. Doctor negat, quod creaturæ sint bonæ per essentiam, intelligendæ sunt ad sensum, vel primæ, vel tertiæ conclusionis, quod scilicet non sint bonæ per essentiam, provt τὸ per essentiam sumitur, vt quid distinctum contra per participationem, vel quod non sunt per essentiam, id est, essentialiter bonæ, bonitate dicente omnimodam perfectionem, & integritatem bonitatis, secundum quam creaturæ denominantur bonæ.

Argumenta autem Vasquesij, & alia, quæ possent adduci contra com-

munem Thomistarum sententiam, negantium creaturas posse dici absolute bonas per essentiam, soluuntur per secundam conclusionem, nec magis possunt probare, quam id, quod in ea concedimus.

Si autem quæras vtrum possit simpliciter, & absolute sine vlla distinctione, aut explicatione concedi, quod creaturæ sint bonæ per essentiam.

Respondeo, eas non posse dici simpliciter tales, tum quia τὸ per essentiam sumitur communiter, & secundum proprietatem sermonis, provt contradistinguitur contra per participationem: tum etiam quia talis propositio simpliciter pronuntiata, intelligitur non de bonitate secundum quid, & transcendentali, sed de bonitate simpliciter dicta, dicente perfectionem, & integritatem totius bonitatis, quæ est in creatura, & propterea quotiescumque simpliciter pronuntiatur, nunquam simpliciter est concedenda, sed potius simpliciter neganda; & ideo etiam ab Angelico Doctore, (qui terminos illius propositionis in proprietate sermonis & secundum communem vsum sumebat,) nunquam simpliciter est concessa, sed semper negata simpliciter, & absolute.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum creatura possit analogari cum Deo secundum rationem Boni, & qua analogia.

§ I.

Resolutio quæstionis.

20. PRima sententia admittit posse creaturas analogari cum Deo analogia attributionis in ratione bonitatis, non tamen analogia proportionalitatis propriæ. ita Suares disput. 28. Metaph. sect. 3. num. 11. & disputat. 32. sectio. 2. num. 12. quamuis enim loquatur in illis locis de Deo & creaturis in comparatione ad ens, tamen proportionaliter debet idem asserere de eis, quantum ad alia prædicata, quæ sunt eis communia.

Secunda sententia, recepta communiter in schola D. Tho. est quod analogantur ad inuicem secundum prædictam rationem, & secundum alias eis communes vtraque analogia, attributionis scilicet, & proportionalitatis propriæ. Vide Complut. N. in Logica disp. 10. quæst. 4. & disp. 11. quæst. 3. vbi plures referunt Thomistas pro illa sententia, & fuse disputatione decima, probant eam esse de mente D. Tho. & Aristotelis.

Conclusio prima. Creaturæ possunt analogari cum Deo analogia attributionis in ratione bonitatis. In hac conclusione omnes conueniunt.

Probatur ratione, desumpta ex D. Tho, prima parte, quæstione sexta,

art.4. analoga attributionis dicuntur illa, quorum nomen est commune, & ratio per tale nomen significata, eadem secundum terminum, diuersa vero secundum habitudines diuersas, quas dicunt analogata ad huiusmodi terminum: atqui creaturæ conueniunt cum Deo in nomine boni, nec non in ratione, & forma significata per tale nomen, diuersamque habent à Deo habitudinem ad illum terminum, seu ad rationem bonitatis: ergo analogantur cum Deo in ratione bonitatis analogia attributionis. Major est ipsamet definitio analogiæ attributionis. Minor autem est certa, quia ex D.Tho. loco cit. per ipsam bonitatem in Deo existentem, creaturæ possunt denominari extrinsece bonæ: ergo cum dicere habitudinem ad aliquam rationem tanquam ad formam intrinsecam, & dicere habitudinem ad eam, tanquam ad formam extrinsecam, extrinseceque solum denominãtem, diuersas exprimant habitudines ad eandem formam, diuersas Deus & creaturæ dicent habitudines ad eandem formam bonitatis.

21. Conclusio secunda, Quando creaturæ analogantur sic cum Deo in ratione boni, analogia attributionis, ratio illa bonitatis, significata per nomen analogum, debet esse intrinseca soli Deo, non autem creaturis; vnde illa eadem bonitas, quæ existit in Deo, est illa, quæ intrinsece denominabit Deum in analogia illa, & extrinsece creaturas. ista conclusio est omnium illorum, qui cum Complutensib. N. disput. illa 11. cit. tenent in analogia attributionis, rationem significatam per nomen analogum, intrinsece solum in vno reperiri, in præcipuo scilicet analogatorum, extrinsece vero in secundariis analogatis, quæ quidem doctrina est expressa D. Tho. plerisque in locis, sed præsertim prima parte, quæstione decimasexta, articulo sexto, in corp. vbi hæc habet. *Ad cuius euidentiam sciendum est, quod quando aliquid prædicatur vniuoce de multis, illud inuenitur secundum propriam rationem in quolibet eorum, sicut animal in qualibet specie animali.: sed quando dicitur aliquid analogice de multis, (intellige analogia attributionis) illud inuenitur secundum propriam rationem in vno eorum tantum, à quo alia denominantur; sicut sanum dicitur de animali, vrina, medicina; non quod sanitas sit nisi in animali, hoc est alibi quam in animali, sed à sanitate animalis denominatur medicina sana, in quantum est illius sanitatis effectiua, & vrina inquantum est illius sanitatis significatiua: & quamuis sanitas non sit in medicina, neque in vrina, tamen in vtraque est aliquid, per quod hoc quidem, (id est medicina) facit, illud autem, (id est vrina) significat sanitatem.* Et 1. 2. quæst. 20. articulo secundo ad tertiũ. *Quando aliquid deriuatur ab vno in alterum, sicut ex causa agente vniuoca, tunc aliud est, quod est in vtroque, sicut cum calidum calefacit, alius est numero calor calefacientis & calefacti, licet idem sit in specie; sed quando aliquid deriuatur ab vno in alterum secundum analogiam uel proportionem, tunc est tantũ vnum numero, sicut à sano, quod est in corpore animalis, deriuatur sanum ad medicinam & vrinam, nec alia est sanitas medicinæ & vrinæ quam sanitas animalis, quam medicina facit & vrina significat.* Ex quibus euidenter apparet, quod ratio significata per nomen analogum, non debet es-

se nisi in præcipuo analogato, & propterea dicit D. Tho. quod non debet esse nisi vna numero, quod est intelligendum per comparationem ad analogata, in quibus non debet multiplicari, sed in vno solum reperiri, & per consequens de vnitate numerica saltem negatiuè sumpta, id est de negatione multiplicationis, rationis analogæ in analogatis, quæ multiplicatio fiat ex vi analogatorum, vt explicant Complutenses N. loco cit. num. 15. & Arauius 4. Metaph. q. 2. art. 2. dub. 3. & sic quando creaturæ analogabuntur cum Deo in ratione boni analogia attributionis, ratio bonitatis significata per nomen analogum, in solo Deo, tanquam in præcipuo analogato, intrinsece reperietur, extrinsece vero in creaturis.

22. Probatur ratione, de ratione intrinseca analogiæ attributionis, est quod ratio significata per nomen analogum, descendat ad secundaria analogata, non immediate, sed mediante primo, ita vt in ratione prædicati non attribuatur eis, nisi per dependentiam ad primum, cui debent essentialiter subordinari in susceptione prædicationis talis rationis analogæ, propterea enim vocantur analoga attributionis, quia ratio significata per nomen analogum, tribuitur eis per attributionem, & proportionem ad aliud, seu ratione alterius, quod primo, & principaliter denominatur ab illa forma analoga: atqui si ratio bonitatis, secundum quam dicuntur creaturæ analogari cum Deo analogia attributionis, est etiã intrinseca creaturis, & non soli Deo, ratio illa analoga non descendet ad creaturas mediante Deo, qui est præcipuum analogatum, nec prædicabitur formaliter de eis per dependentiam à Deo. Et probatur; quia prædicatio alicuius formæ sequitur modum essendi, quem forma habet in subiecto, de quo prædicatur, modumque informandi, secundum quem illud informat, prædicatio enim fundatur in forma, quatenus forma habet rationem formæ, & propterea etiam prædicatum vocatur forma subiecti: atqui omnis forma, seu ratio formalis intrinseca, informat subiectum, in quo est, independenter à quocumque alio in genere causæ formalis, seu in ratione formæ, quia per seipsam & secundum illud intrinsecum quod habet informat, non autem per aliquid extrinsecum, cum causalitas formæ fiat per intrinsecam suipsius communicationem; & propterea etiam impossibile reputatur de quacumque potentia, quod Deus suppleat rationem causæ formalis entitatiuæ: ergo si bonitas in qua creaturæ analogantur cum Deo sit intrinseca creaturis, bonitas non prædicabitur de eis dependenter à Deo, nec per attributionem ad eum.

Confirmatur; quia bonitas quæ est in creatura, non denominat Deum formaliter & primario bonum, sed creaturam, cum in ipsa intrinsece & formaliter sit, non autem in Deo: ergo bonitas illa non denominat creaturas bonas mediante Deo formaliter, sed immediate: ergo non erit analoga analogia attributionis ad Deum & ad creaturas, vt est intrinseca creaturis: ergo vt sit talis, debet esse soli Deo intrinseca, quia sic considerata poterit denominare Deum principaliter, creaturas vero secundario, cum forma denominet principaliter & primario subiectum in quo.

in quo est, secundario autem & minus principaliter alia in quibus non est.

23. Dices bonitatem illam intrinsecam, non denominare creaturas, nisi per dependentiam à Deo, & per attributionem ad bonitatem illius, & per consequens eam analogari posse cum Deo analogia attributionis.

Contra, quia licet bonitas creata pendeat à Deo in genere causæ finalis, efficientis, & exemplaris, tamen bonitas creata informat immediate creaturam & independenter à Deo in genere causæ formalis, cum bonitas creata non possit per modum formæ Deo conuenire; vnde cum denominatio & prædicatio fundetur in genere causæ formalis (vt dictum est) consequenter bonitas creata non prædicabitur de creaturis, mediante Deo, nec eas denominabit dependenter ab ipso, dependentiâ illâ requisitâ ad analogiam attributionis, quia per eam essentialiter exigitur, quod forma analoga non informet, aut denominet secundaria analogata, nisi prius informet aut denominet primarium analogatum, non autem quod illa denominet solum per dependentiam ab alio vel tanquam à causa efficiente, vel tanquam à causa finali, vel tanquam ab obiecto, aut alijs huiusmodi modis, cum omnes illi dependentiæ modi non tollant vniuocationem absolute, vt intuenti statim patebit; intellectus enim conuenit vniuoce cum qualitate, quam potest habere pro obiecto in ratione qualitatis, & calor productus ab alio calore in ratione caloris & sic de cœteris.

Ex his coliges licet analogia attributionis possit fundari remote in quolibet causarum genere, tamen eam proxime fundari in causa formali, intrinseca quidem præcipuo analogato, cæteris vero extrinseca, quia in quocumque genere fundetur, debet semper ratio analoga considerari per modum formæ, denominantis intrinsece præcipuum analogatum, cætera vero extrinsece.

24. Conclusio tertia. Creaturæ analogantur cum Deo in ratione bonitatis, secundum analogiam proportionalitatis.

Probatur breuiter ista conclusio, ad hanc analogiam sufficit, quod ratio significata per nomen analogum, sit intrinsece in omnibus analogatis, quod in eis sit eadem, non quidem simpliciter, sed proportionaliter: at bonitas comparata ad Deum & ad creaturas, est huiusmodi, quia bonitas reperitur intrinsece, & secundum quandam proportionalitatẽ tam in Deo quam in creaturis; licet enim bonitas quæ est in creaturis; & bonitas quæ est in Deo, sint simpliciter diuersæ, ambæ tamen proportionalitatem quandam habent, in comparatione ad subiecta, quæ ab ipsis vt bona denominantur: sicut enim se habet bonitas creata ad constituendam creaturam bonam; ita proportionaliter se habet bonitas diuina ad constituendum Deum bonum: ergo bonitas erit analoga analogia proportionalitatis ad Deum & ad creaturas.

& creaturis, ex hoc inquam legitimè inferatur, quod talis ratio sit magis vna Physice, & in esse entis considerata, quam illa ratio vniuoca; tamen non infertur, quod sit magis vna in ratione formæ denominantis, & secundum rationem prædicabilitatis, quia ratio, seu forma vniuoca, vno eodemque modo, & per modum formæ intrinsecæ, omnia vniuocata sua æqualiter denominat, vbi forma analoga inæquali & diuerso modo penitus analogata sua denominat: cum præcipuum analogatum, tanquam forma eius intrinseca, secundaria vero analogata, tanquam forma eorum extrinseca denominet: vnde cum in vniuocatione & analogia, modus ille denominationis atque prædicabilitatis, secundum quem tam forma vniuoca quam analoga, inferiora sua denominat, & de eis prædicatur, importetur de formali, vniuocatio consequenter maiorem importabit vnitatē, quam analogia. Et per hoc satisfit confirmationi; licet enim bonitas diuina Physice, & secundum se considerata, sit maximè vna, spectata tamen quatenus significatur nomine analogo analogiâ attributionis, & per comparationem ad sua analogata, consideratur vt est vna tantum secundum quid, & vt est simpliciter diuersa, consideratur enim primario secundum quod est forma, seu ratio intrinseca Deo, & secundario secundum quod est forma extrinseca creaturarum, quæ quidem rationes sūt valde diuersæ, licet eidē numero formæ conueniant, quatenus dicit diuersum illum modum essendi in inferioribus, & diuersum illum modum denominandi, iuxta definitionem analogorum attributionis, quæ dicuntur esse ea quorum nomen est commune, ratio vero significata per tale nomen, eadem secundum terminum, diuersa verò secundum habitudines ad eundem terminum: ex quibus patet Deum & creaturas, non dicere tantam inter se conuenientiam in ratione boni, ac si vniuocarentur in ea, conuenire enim in aliqua ratione, quæ sit intrinseca, æqualis, & eodem modo in omnibus, quæ in tali ratione conueniunt, est magis conuenire, quam conuenire in aliqua ratione quæ sit solum intrnseca in vno, & in aliis extrinseca.

Obijcitur: bonum secundum quod est analogum analogia attributionis respectu Dei & creaturarum, ad plura se extendit, quam bonum diuinum, cum se extendat etiam vsque ad creaturas, ad quas bonum diuinum non se extendit, creaturæ enim non sunt bonum diuinum: ergo bonitas diuina non est illa sola quæ significatur per bonum, quod est analogum analogia attributionis ad Deum & ad creaturas.

27 Respondeo, quod si consideretur bonum diuinum, tam secundum denominationem intrinsecam, quam extrinsecam, quam tribuit suis analogatis, æque se extendit ac bonum vt sic, licet si consideretur solum secundum denominationem intrinsecam quam tribuit Deo, in quo solo est intrinsece, non ita latè seipsum exporrigat atque extendat, atque bonum vt sic: at quando bonum diuinum sumitur vt est analogum analogia attributionis ad Deum, & ad creaturas, non consideratur solum secundum denominationem eius intrinsecam,

sed etiam secundum denominationem eius extrinsecam & cõsequenter æque late extenditur ac bonum vt sic.

Obijcitur, quando definitur medicina, quatenus denominatur sana, definitur formaliter per hoc, quod sit causa sanitatis: ergo cum id quod ponitur in recto in definitione alicuius, nõ significetur solũ extrinsece per nomen, sed intrinsece per sanũ, quod est analogum analogia attributionis ad medicinam & animal, significabitur, non solum aliquid intrinsecum principali analogato, sed etiam aliquid intrinsecum secundarijs analogatis, & sic per bonum vt est analogum analogia attributionis ad Deũ & ad creaturas, non significabitur solùm bonitas intrinseca Dei, sed etiam bonitas intrinseca creaturarum.

Respondeo, quod quando definitur accidens in concreto, illud quod ponitur in recto in definitione ipsius, est subiectum, in obliquo vero forma significata per nomen, vt ostendunt Complutenses. N. in Logica disput. 5. quæst. 2. vnde quia medicinam esse causam sanitatis, est fundamentum in medicina, ad hoc vt sit subiectum denominationis illius, qua medicina denominatur formaliter sana, à sanitate quæ est in animali, propterea in definitione sani, denominantis medicinam sanam, ponitur medicina, vt causa sanitatis per modum subiecti, non quidem inhæsionis, sed denominationis illius qua denominatur sana: non sequitur ergo ex hoc quod ponatur in definitione medicinæ, vt sanæ, ipsamet medicina, vt causa sanitatis, quod per sanum significetur aliquid intrinsecum medicinæ, sed sufficit, quod aliquid intrinsecum medicinæ, seu ipsa medicina, sit subiectum denominationis extrinsecæ, à sanitate prouenientis.

Obijcitur D. Thomam 1. p. q. 2. art. vlt. per viam quandam analogiæ procedere ad demonstrandum quod datur vnum summum, & primum bonum, quod est Deus, ex eo quod datur maior, vel minor bonitas in creaturis: ita enim procedit eius demonstratio. In creaturis datur magis & minus bonum: sed magis & minus dicuntur per comparationem ad maximum: ergo si datur magis & minus bonum, debet dari & maximum. ex hoc sic arguo: atqui ea, quæ comparantur ad inuicem tanquam minus, magis, & maximum, comparantur ad inuicem, tanquam quædam analoga attributionis, quia magis & minus comparantur ad maximum tanquam ad aliquid, à quo velut ab exemplari dependent: ergo creaturæ participabunt intrinsece rationem boni, in qua analogantur cum Deo tanquam secundaria quædam analogata attributionis.

28. Respondeo, magis & minus bonum, quod est in creatis, esse fundamentum adhoc, vt creaturæ possint denominari extrinsece à bonitate diuina, tanquam à causa exemplari, & finali, & consequenter D. Thomam procedere in illo loco per analogiam, non formalem, sed fundamentalem, ad demonstrandum existentiam Dei.

Obijcitur contra tertiam conclusionem. Illa quæ dicunt secundum omnes rationes suas essentialem attributionem ad Deum quatenus Deus est bonus, non possunt analogari cum Deo secundum prædictam rationẽ analogia proportionalitatis,

sed solum analogia attributionis: atqui creaturæ dicunt secundum omnes rationes suas, dependentiam essentialem à Deo, quatenus Deus dicit rationem summi boni, cùm pendeant ab ipso, tanquam ab vltimo fine: ergo cùm ea omnia quæ dicunt essentialem dependentiam ab aliquo, dicant attributionem ad illud, implicat quod creaturæ possint analogari cum Deo, alia analogia, quam analogia attributionis.

Respondeo distinguendo Maiorem, si habeant talem attributionem ad Dei bonitatem, vt ab ea solum denominentur, tanquam à forma extrinseca, & non denominentur ab aliqua forma bonitatis eis intrinseca, concedo maiorem; si vero dicant talem attributionem ad Dei bonitatem, vt non denominentur solum à Dei bonitate, tanquam à forma extrinseca, sed denominẽtur adhuc à proprijs bonitatibus intrinsecis, respicientibus tamen semper bonitatem Dei, vel tanquam finem vltimum, vel tanquam causam exemplarem, nego maiorem: vnde cum creaturæ dicant vtramque illam attributionem ad Dei bonitatem tanquam ad id à quo denominanantur velut à forma extrinseca, & tanquam ad id à quo non denominãtur extrinsece, propterea possunt analogari cum Deo vtraque analogia, attributionis quidem, si considerentur quatenus denominantur solum bonæ à bonitate Dei, quæ est eis extrinseca; proportionalitatis vero, quatenus proprijs & intrinsecis bonitatibus denominantur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Bonum adæquate diuidatur in honestum, vtile, & delectabile & quænam sit illa diuisio.

§. I.

Resoluitur quæstio quantum ad primam partem.

27. VT huic quæstioni debite satisfaciamus, quid ista vocabula, honestum, vtile, delectabile significent, prius nobis est inquirendum.

Vtile ergo illud est, quod propter aliud est conueniens appetenti, vtile enim ab vtendo dicitur; vnde cum ea quibus vtimur, ordinentur ad alia, & non sint propter se, vtile consequenter dicetur, quod est propter aliud appetibile atque conueniens. Delectabile vero dicitur, quod est causatiuum delectationis, seu quietis in appetitu, vt satis ipsum nomen indicat: at honestum dicitur esse illud, quod est appetibile per se & ratione sui. Quod potest sic declarari, quia honestum secundum Doctorem Angelicum secunda secundæ q. 145. articulo 1. in corpore illud est, quod est honore dignum, honestas enim vt ibid refertur ex Isid. lib. 10 Ethimol. cap. 8. dicitur quasi honoris status, at honor debetur excellentiæ, quia vt dicitur 2. 2. qu. 103. art. 1. honor est contestatio quædam, seu testimonium quoddam quod redditur de excellentia alicuius, vnde, & homines qui gloriam & honorem venantur, quærunt testimonium suæ excellen-

tiæ (inquit Phil. 1. Ethich. cap. 12. & lib 8. cap. 8 ergo bonum excellens & honestum sunt vnum & idem: Sed bonum excellens, est per se & ratione sui appetibile: ergo bonum honestum, est per se & ratione sui appetibile.

Ex his infero duo. Primum est, honorem non deberi inferioribus creaturis, quia non sunt naturæ excellentis, nec excellens aliquod bonum eis conuenit. Secundum est, honorem deberi creaturis intellectualibus atque rationalibus, vt pote excellenti natura prædicis, non tamen propter quodcumque bonum, sed propter bonum aliquod excellentissimum, quo cæteris præeminent: vnde cum bonum illud, quo cæteris creaturis præstant, sit bonum rationis, & bonum illud rationis consistat in virtute, per quam homines viuunt conformiter ad rationem, honor debebitur hominibus propter virtutem, & per consequens bonum honestum consistet formaliter in virtute: & propterea dicit D. Tho. secunda secundę quæst. 145. *Quod honestum dicitur, secundum quod aliquid habet quandam excellentiam, dignam honore propter spiritualem pulchritudinem*, quam spiritualem pulchritudinem dixerat art. præcedenti consistere in virtute: sicut enim (inquit) pulchritudo corporis, consistit in debita membrorum proportione, cum quadam debiti coloris claritate, ita pulchritudo spiritalis, consistit in hoc, quod conuersatio hominis, siue actio eius, sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem, quod fit per virtutem, quæ res omnes humanas secundum rationem moderatur.

Ex quo apparet, quod diuisio illa qua bonum diuiditur in honestum vtile, & delectabile, bono humano & morali, proprie, & primario conuenit, vt notat D. Thomas prima parte quæst. 5. artic. 6. in corpore quamuis tamen ad bonum etiam transcendentale transferatur.

Prima conclusio. bonum transcendentale, adæquate diuiditur in honestum, vtile, & delectabile. ad intelligentiam conclusionis, duo sunt prænotanda. Primum est nos non intendere per eam, quod in quolibet bono transcendentali, tres prædictæ bonitatis rationes reperiantur, quia certum est dari aliqua bona transcendentalia, in quibus aliqua ex prædictis rationibus reperiri non potest: etenim, vt de cæteris taceam, certum est, quod in vltimo fine ratio vtilis reperiri non potest, quia cum vltimus finis, non possit alteri in appetibilitate, sicut nec in bonitate subordinari, immo potius cætera appetibilia sint propter ipsum, non autem ipse propter alia; consequenter non poterit habere rationem vtilis. Sensus ergo conclusionis est, quod bonum ita diuiditur in honestum, vtile, & delectabile, vt nulla res sit, cui non conueniat aliquod menbrum ex tribus prædictis.

Secundo notamus quod quando diuiditur bonum in honestum, vtile, & delectabile, non intelligitur diuisio ad istum sensum, quod cuilibet rei non possit nisi vnum ex istis membris conuenire, adeo vt res, quæ est verbi gratia vtilis, non possit simul esse delectabilis & honesta; certum est enim, quod vna & eadem res potest simul tres illas bonitatis rationes induere: nam eadem virtus habet rationem boni honesti respectu hominis, quia propter se est appetibilis

ab homine; habet rationem delectabilis, quia causat in eo quietem & delectationem; & tandem est vtilis, quia homo vtitur ea, tanquam medio ad fœlicitatis acquisitionem.

His positis probatur conclusio ratione desumpta ex D. Thomas loco statim citato: bonum debet tot modis dici, quot modis terminus appetitus terminat appetitum, quia cum bonum sit terminus appetitus, secundum diuersos modos, secundum quos terminabitur appetitus ad suum obiectum, siue ad suum terminum, erunt diuersi modi bonitatis: atqui tribus solum modis diuersis, terminus appetitus potest appetitum terminare. Et probatur, quia non potest terminus appetitus illum terminare, nisi vel per modum termini vltimi, & hoc modo terminat bonum honestum, quod terminat appetitum, vt ad vlteriorem terminum non ordinabile, cùm terminet, vt appetibile ratione sui, & non ratione alterius; vel terminat eum per modum termini non vltimi, & ad vlteriorem adhuc ordinabilis; & hoc modo eum terminat bonum vtile, quod terminat, vt est ratione alterius appetibile: vel tandem terminat per modum quietantis, & delectantis appetitum in appetibilitatis suæ suauitate; & sic terminat eum bonum delectabile: ergo sicut terminus appetitus diuiditur adæquate in tres illos diuersos modos terminandi appetitum; ita bonum adæquate diuiditur in tres illos modos diuersos bonitatis.

Quod si dicas ex isto discursu sequi in solo fine vltimo bonum honestum posse reperiri, quia ille solus est, qui potest per se, & ratione sui ita terminare appetitum, vt ad vlteriorem terminum non sit ordinabilis ratione cuius sit appetibilis.

13. Respondeo quando dicitur bonum honestum esse illud, quod ratione sui est appetibile, & non ratione alterius, sensum esse, si bonum honestum terminet in genere causæ finalis particularis & proximæ quod illud non est appetibile ratione alterius in eodem genere causæ finalis, proximæ & particularis, licet tamen per hoc non excludatur, quin possit esse appetibile ratione alterius diuersi, ordinis ad quod vlterius ordinetur, tanquam ad finem vniuersalissimũ, & omnino vltimum: vnde licet bonum honestum, quod terminat appetitum per modum finis omnino vltimi, & vniuersalissimi, non sit vllo modo ordinabile ad vlteriorem finem seu terminum, ratione cuius sit appetibile; tamen bonum honestum, quod terminat solum per modum finis particularis & proximi, potest vlterius esse appetibile ratione finis vniuersalissimi, cui subordinatur, quamuis non sit appetibile ratione finis alterius particularis, & proximi.

Probatur secundo conclusio: diuisio quæ traditur per membra contradictoria, est adæquata, atqui ista traditur per membra contradictoria: ergo debet esse adæquata. Maior est certa. Minor probatur, quia terminare per modum vltimi, & per modum non vltimi in eodem ordine, & in eodem genere causæ, sunt membra contradictoriè opposita: atqui diuisio illa boni, traditur per terminare appetitum per modum vltimi, & per modum non vltimi in eodem ordine, eodemque genere causæ, quia bonum honestum terminat per modum

vltimi, vtile verò per modum non vltimi in eodem genere causæ, in quo honestum terminat per modum vltimi, quia vtile terminat solum per modum medij, & consequenter per modum non vltimi: ergo ista diuisio boni traditur per ista duo membra, tanquam per membra contradictoriè opposita, quibus tamen, quia conuenit causare delectationem & gaudium in appetitu, conformiter ad modum, secundum quem, quodlibet ex illis terminat appetitum, propterea ratione talis virtutis ambo induunt rationem boni delectabilis, & sic adæquate diuiditur bonum, in honestum, vtile, & delectabile.

§. II.

Resoluitur Quæstio quantum ad secundam partem.

SI autem quæras quænam sit diuisio illa, quæ est secunda pars huius quæstionis.

31. Respondeo cum distinctione, nam si triplex illa ratio bonitatis, consideretur secundum quod eandem rem denominat (quod supra num. 30. fieri posse ostendimus) diuisio erit eiusdem rei in diuersas formalitates, diuersosque respectus, similisque erit diuisioni illi, qua diuiditur intellectus in speculatiuum & practicum; nam sicut intellectus diuiditur in practicum & speculatiuum, tanquam in duos conceptus inadæquatos, duasque formalitates, quas induit ratione diuersorum connotatorum, ita eadem res, verbi gratia eadem virtus diuiditur in bonum, honestum, vtile, & delectabile, tanquam in tres conceptus sui inadæquatos, quos induit ratione diuersorum connotatorum; si enim virtus consideretur, vt est medium ad acquisitionem fœlicitatis, habet rationem vtilis; si consideretur vt causat delectationem in voluntate, habet rationem delectabilis; si vero consideretur vt per se appetibilis à voluntate, habet rationem honesti; & sic diuisio illa, est diuisio eiusdem rei in diuersos sui conceptus inadæquatos.

Si vero consideretur triplex illa ratio bonitatis, secundum quod diuersas res denominat, tunc bonum diuiditur in illa membra, sicut analogum tam attributionis, quam proportionalitatis, in sua analogata; si enim considerentur res illæ, vt participant intrinsecam aliquam bonitatem, & vt ab ea intrinsece denominantur, tunc comparabuntur ad bonum, tanquam analogata ipsius secundum analogiam proportionalitatis; si autem considerentur res illæ, inquantum denominatur extrinsece à bonitate extrinseca rei honestæ, tunc comparabuntur ab bonum, tanquam analogata ipsius secundum analogiam attributionis.

Et si dicas media, quæ dicuntur bona vtilia, non habere vt talia, bonitatem aliquam intrinsecam, & consequenter non posse analogari cum bono honesto analogia proportionalitatis.

Respondeo quod sicut se habent conclusiones ad principia in speculatiuis; ita se habent media ad finem, siue ad bonum honestum in practicis; vnde sicut conclusiones non desinunt habere suam intelligibilitatem & veritatem intrinsecam, licet habeant eam dependenter à principijs, & ratione intelligibilitatis, veritatisque eorum; ita media non desinent

habere

habere suam bonitatem intrinsecam licet illam habeant dependenter à bono honesto; quamuis verũ sit, quod illa bonitas intrinseca, non consideretur in mediis, nisi fundamentaliter, & veluti materialiter, quando analogantur cum honesto in ratione boni, analogia attributionis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Bonum sit prius quam verum.

§. I.

Resolutio Quæstionis.

33. CErtum est & indubitatum, si comparetur bonum formale cum vero formali, quod prius bonum est in rebus, quam verum; cum enim verum formale in solo intellectu componente vel diuidente reperiatur, vt ostensum est disp. 23 quæst. 1. §. 1. conclus. 4. num. 6. bonum vero formale reperiatur in re ipsa secundum suum esse considerata, (bonum enim habet vim terminandi voluntatem secundum quod est in rebus, non autem secundum quod est in voluntate (ideo fit quod bonum formale sit prius simpliciter, quam verum formale, sicut esse, prius est simpliciter, quam operari.

Quæstio ergo non procedit de vero formali, sed de vero transcendentali, quod in rebus ipsis, sicut & bonum reperitur, & quæritur verum verum illud sit prius in rebus, quam bonum.

Hoc posito prima sententia est, bonum transcendentale antecedere verum transcendentale. Hæc sententia sine authorum nomine refertur ab Arauio 4. Metaph. quæst. 6. artic. 1. conclus. 4. sed in eam haud dubie inclinabit Scotus cum eius sequacibus, qui sicut voluntatem intellectui præferunt; ita quoque obiectum voluntatis, obiecto intellectus præferent, vt eundem ordinem inter obiecta potentiarum constituant, quem constituunt inter potentias.

Secunda sententia communiter in Schola D. Tho. recepta est, verum transcendentale prius reperiri in rebus, quam bonum, ita Arauius loco cit. Masius lib. 2. suæ Metaph. cap. 19. Iandunus 4. Metaph. quæst. 6. Soncinnas ibid. qu. 24. conclus. 2. & alij citati à Masio. videatur D. Th. qu. 21. de verit. art. 3. & 1. p. qu. 16. artic. 4. vbi docet & probat hanc conclusionem ex professo.

Probatur ratione desumpta ex D. Tho. loco cit. primæ partis: qualis est ordo inter potentias, talis debet esse & inter obiecta potentiarum: at intellectus & voluntatis potentiæ; quæ pro obiectis verum & bonum sibi vindicant, ita comparantur ad inuicem, vt intellectus voluntatem præcedat, sicut ostendunt ex D. Thoma Complutenses N. in libris de anima disput. vlt. qu. 4. ergo cum verum sit obiectum intellectus, bonum vero voluntatis, verum erit prius bono, ipsumque in rebus præcedet.

34 Confirmatur; debemus iudicare de ordine rerum, & rationum, quæ in eis reperiuntur secundum finem, ad quem sunt destinatæ & institutæ à Deo: atqui omnes creaturæ natura intellectuali inferiores, rationesque omnes, quæ in eis reperiuntur, sunt institutæ à Deo, vt ministrent perfectioni prædictæ naturæ, potentiarumque ipsius, quæ

cumque enim à Deo sunt, ordinata sunt, & consequenter sicut membra ignobiliora corporis, sunt instituta, vt seruiant nobilioribus, eisque ministrent: ita inferiores omnes creaturæ in ministerium hominis sunt à Deo effictæ atque efformatæ, & vt iuuent atque cooperentur ad eius perfectionem: ergo rationes illæ quibus concurrunt ad hominis ministerium, eodem ordine erunt à Deo procreatæ, quo homo illis indigebit ad sui, suarumque potentiarum perfectionem: atqui prius homo indiget vero, quam bono quia nihil potest amplecti voluntas quod prius cognitum non fuerit per intellectum, cum intellectus sit veluti dux, & lucifer ipsius voluntatis: ergo cum verum sit obiectum intellectus, vel saltem modus inuiolabiliter & indispensabiliter ei annexus vt ostensum est disput. 22. quæst 2. verum erit prius in rebus, quam bonum, quod est voluntatis obiectum.

Confirmatur, quia quando aliqua sunt vnum & idem à parte rei, & distinguntur solum, prout diuersa connotant & respiciunt, debemus iudicare de prioritate vel posterioritate eorum, secundum ordinem connotationum, & terminorum quos connotant: ergo cum verum & bonum sint vnum & idem à parte rei, & distinguantur solum inter se secundum diuersas connotationes, ex hoc scilicet, quod verum connotet intellectum, bonum vero voluntatem, debemus iudicare de prioritate & posterioritate veri & boni, secundum ordinem, quem seruant inter se intellectus & voluntas, & sic, cum voluntas subsequatur intellectum, bonum erit posterius vero, ipsum quę sequetur, tanquam id, per quod aperitur sibi via ad mouendam, & trahendam voluntatem ad se.

Si vis videre plures alias rationes, lege Complutens. N. & Diuum Thomam locis à nobis supra citatis.

---

§. II.

Proponuntur & soluuntur obiectiones.

OBijcitur, ordo nominum, est secundum ordinem significatorum per nomina: sed Dionysius capite 3. de diuinis nominibus in principio, inter nomina Dei, prius ponit bonum, quam ens: ergo prius erit bonum, quam ens: ergo cum ens sit prius vero, prius erit etiam bonum quàm verum.

35. Respondeo ex D. Tho. prima parte quæst. 5. artic. 2. ad 1. vbi sub his verbis respondet huic obiectioni: *Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius determinat de diuinis nominibus, secundum quod important circa Deum habitudinem causæ; nominamus enim Deum vt ipse dicit ex creaturis, sicut causam ex effectibus, bonum autem, cum habeat rationem appetibilis, importat habitudinem causæ finalis, cuius causalitas prima est, quia agens agit propter finem, & ab agente materia mouetur ad formam: vnde dicitur quod finis est causa causarum; & sic in causando, prius est bonum, quam ens, sicut finis, quam forma, & hac ratione inter nomina significantia causalitatem diuinam, prius ponitur bo-*

num, quam ens: Sed quamuis ordine causalitatis bonum præcedat, & ens, & verum, tamen in ordine entis, prius est ens & verum, quam bonum: pro quo vide eundem S Doctorem articulo quarto eiusdem quæst.

Obijcitur; qualis est ordo inter causas, talis debet esse, & inter effectus per se correspondentes huiusmodi causis: atqui voluntas diuina prius concurrit ad productionem cuiuslibet creaturæ, quam intellectus diuinus, quia intellectus diuinus non concurrit ad earum productionem, nisi vt determinatus, & applicatus à voluntate diuina: ergo debet prius relucere in creatura effectus correspondens per se voluntati Dei; quam effectus, qui per se correspondet intellectui ipsius: sed proprius & per se effectus correspondens voluntati diuinæ, est creatura secundum rationem boni: ergo bonum, prius erit in creatura, quam verum, quod diuino intellectui respondet, vt propriuseius effectus.

36. Respondeo argumentum probare solum illud, quod diximus in solutione præcedentis argumenti, bonum scilicet præcedere verum ordine causalitatis, non autem in esse rei, seu in ordine entis; quando enim plures causæ, seu plures rationes causandi concurrunt ad vnum & eundem effectum, & vna ex illis concurrit per modum applicantis & determinantis ad finem cæteras rationes cum ea concurrentes ad productionem effectus, tunc debet solum effectus per se correspondens tali rationi, cæteras ad finem applicanti atq; determinanti, præcedere ordine intentionis & causalitatis finalis rationes, quæ correspondent aliarum causarum causalitatibus: vnde cum voluntas Dei concurrat solum ad productionem creaturarum per modum applicantis ad finem, intellectum seu potentiam Dei executiuam, bonum correspondens per modum effectus voluntati, præcedet solum rationem veri, correspondentem intellectui, ordine intentionis & causalitatis finalis, non autem simpliciter, & absolute in esse rei, seu in ordine entis; immo potius, cum potentia executiua, quæ est intellectus (secundum probabiliorem Thomistarum sententiam, vt ostendunt Salmanticenses N. tractatu de scientia Dei disputatio. quinta, dubio tertio,) immediatius, & prius effectum attingat, quam virtus applicans ipsam, prius consequenter erit verum, quam bonum; prius enim relucet in effectu causa, quæ immediate eum attingit & per se, quam illa quæ solum concurrit per modum applicantis: vnde possumus in forma ad argumentum respondere concedendo maiorem, si omnes illæ causæ concurrant ad effectum immediate & per se, sicut faciunt causa prima, & causa secunda, quando ad eundem effectum concurrunt: negando autem eam, quando vna per modum applicantis solum, & altera per se atque immediate concurrit. Quis enim dicat, quod priusquam reluceat in visione corporali, ratio correspondens potentiæ visiuæ, debeat relucere in ea aliqua ratio voluntati correspondens, ex eo quod potentia visiua pendeat à voluntate, tanquam à virtute eam applicante ad agendum? certe nullus hoc dixerit; sed omnes fatentur, illud quod primo relucet in visione

corporali, esse tendentiam in obiectum per se visus: ergo licet intellectus Dei applicetur, & determinetur ad agendum seu producendum effectum suum à voluntate, non sequitur tamen, quod illud, quod prius relucet in tali effectu, sit ratio bonitatis, sed potius, quia intellectus immediatius attingit effectum, debet prius ratio veritatis in eo relucere.

Si autem quæras vtrum ordine imperfectionis, an potius ordine perfectionis, verum antecedat bonum.

Respondeo antecedere ordine perfectionis in ratione obiecti, licet præcedatur à bono ordine perfectionis in esse rei: obiectum enim voluntatis est perfectius in esse rei, quam obiectum intellectus, licet in esse obiecti, obiectum intellectus sit perfectus obiecto voluntatis. Lege Complutenses N. disput. illa vlt. lib. de anima.

QVÆSTIO OCTAVA.

In quo consistat malum, & quomodo opponatur Bono.

§. VNICVS.

Resoluitur quæstio.

37. NOtandum est primo duplex esse malum, aliud in esse moris, quod remouet actionem creaturæ rationalis à rectitudine ipsi debita, vt quando priuat eam, vel fine suo, vel debitis circumstantiis & de hoc malo agere, pertinet ad Theologos prima secundæ quæst. 71. artic. 6. aliud malum est, quod vocatur malum naturæ, quod quidem dicitur tale, quia priuat subiectum aliqua perfectione naturali & connaturaliter ei debita; & hoc modo cæcitas potest dici malum naturæ respectu animalis, in quo est, quia priuat animal potentia visiua, quæ est perfectio naturalis animalis, & de malo naturæ in hoc sensu, procedit titulus quæstionis.

Notandum est secundo quod malum naturæ duplex est; aliud, quod dicitur tale simpliciter; aliud vero, quod dicitur tale secundum quid. malũ simpliciter dicitur illud, quod nihil prorsus boni in sua ratione formali includit; malum vero secũdum quid, quod omnem prorsus rationem boni à sua ratione formali non excludit, & hoc modo dicũtur malæ secũdũ quid omnes qualitates, quæ sunt dissonæ, & disconuenientes alicui subiecto, sicut est. v. g. calor respectu aquę. Hoc posito

Prima conclusio. Malum naturæ, quod est simpliciter tale, non consistit formaliter in aliqua entitate positiua, neque etiam in mera negatione, sed in priuatione alicuius entitatis, seu perfectionis alicui subiecto debitæ. In hac conclusione sunt tres partes.

38. Probatur prima pars: malum simpliciter tale, non debet includere formaliter aliquid bonitatis: ergo malum, quod est simpliciter tale, non debet consistere formaliter in aliqua entitate positiua. consequentia est aperta & manifesta, quia omnis entitas positiua, est bona transcendentaliter: ergo si malum quod est simpliciter tale nihil debet prorsus bonitatis includere, non poterit formalis eius

ratio consistere in aliqua entitate positiua. Antecedens autem probatur, quia si malum simpliciter tale, includeret aliquam rationem bonitatis, certe malum illud non esset amplius simpliciter malum, quia secundum id bonitatis quod includeret, non esset malum: ergo vt aliquid dicatur simpliciter, & absolute malum, nihil debet prorsus bonitatis in sua ratione formali includere.

Confirmatur. Quia oppositum non dicitur simpliciter & absolute tale, si includat aliquid in sua ratione formali de altero opposito: ergo vt malum simpliciter & pure sit malum, nil debet de bonitate, cui opponitur in sua ratione formali includere.

Secunda pars conclusionis, quod scilicet ratio formalis mali, non consistat in pura negatione, probatur: quia si ratio formalis mali consisteret in pura carentia bonitatis alicuius transcendentalis, siue illa bonitas & perfectio, esset connaturaliter debita, siue non, nulla esset creatura, quæ non esset mala malitia naturali, quia nulla est creatura adeo perfecta, quæ non careat aliqua bonitate, & perfectione naturali, vel possibili, vel in alijs creaturis inuenta: ergo si ratio formalis mali consistat in carentia & negatione cuiuscumque bonitatis, & perfectionis, siue illa sit debita naturaliter, siue non, certe nulla erit creatura, quantumcumque perfecta, quæ non sit mala.

39. Confirmatur, quia ex D. Th. 1.p. q.5. art.5. vnumquodque dicitur bonum, inquantum perfectum est: ergo cum ex eodem ibid. & quæst. 4.art.1. perfectum dicatur illud, non cui nihil deest absolute, sed cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis, malum etiam dicetur illud, non cui aliquid deest absolute, & secundum quamcumque rationem, sed cui aliquid deest secundum modum suæ perfectionis, seu secundum id quod exigit connaturaliter. Et per hoc satisfit tertiæ parti conclusionis, in qua dicimus quod ratio formalis mali naturę quod est simpliciter tale, consistit in priuatione, seu carentia alicuius perfectionis connaturaliter debitæ.

Secunda conclusio. Malum, quod secundum quid dicitur tale, non consistit solum in aliqua priuatione, sed etiam in aliquo positiuo.

Probatur ratione, quia calor verbi gratia in aqua receptus, non solum est aquæ disconueniens, ex eo quod secum adducat priuationem frigiditatis in aqua, sed ratione propriæ suæ entitatis, per quam vere nociuus est naturæ aquæ: ergo non sola priuatio & carentia frigiditatis, quæ est in aqua, dicitur ei mala, sed etiam ipsamet caloris natura, quæ cum aqua naturalem habet antipathiam, atque repugnantiam.

Confirmatur. Quia si malum secundum quid, consisteret in sola priuatione formæ connaturaliter debitæ, nec includeret aliquam entitatem positiuam, sequeretur, quod illud malum, non esset solum malum secundum quid, sed malum simpliciter, quia si nihil entitatis positiuæ includeret, nihil etiam bonitatis transcendentalis contineret, & consequenter non esset amplius malum secundum quid, sed malum simpliciter, & secundum omnem sui partem.

40. Tertia conclusio. Malum naturæ simpliciter tale, opponitur bono priuatiuè, malum vero secundum quid, opponitur ei contrariè: ratio

primi, est quia malum simpliciter, est priuatio formæ, vel perfectionis alicuius debitæ connaturaliter subiecto, in quo est priuatio. Ratio secundi est, quia malum secundum quid, est forma positiua, positiuè disconueniens, & repugnans naturæ subiecti, in quo est, inquantum scilicet expellit à subiecto qualitatem, seu perfectionem aliquam, quam subiectum exigit connaturaliter, vt calor frigiditatem ab aqua, & ægritudo sanitatem ab animali: ergo.

Quarta conclusio. Malum naturæ adæquate diuiditur in inhonestum seu disconueniens simpliciter, in contristans, & in inutile, seu nociuũ; ratio est, quia tot modis debet diuidi vnum oppositorum, quot modis diuiditur & alterum; vnde cum bonum adæquate diuidatur in honestum seu per se appetibile, in delectabile, & in vtile, debet etiam malum adæquate diuidi in malum inutile seu nociuum, in malum contristans, & in malum inhonestum & turpe quod ab intrinseco & per se non est appetibile. Faxit Deus vt ita in præsenti vita recedamus à malo turpi & inhonesto, (peccatum intelligo) bonumque honestum seu virtutem, quę per se sola inter bona creata appetibilis est, ita sedulo & strenuè prosequamur & amplectamur, vt malum contristans gehennæ æternæ, in altera declinare valeamus, bonoque illo delectabili, quod omnem superat sensum, & quo tanquam torrente voluptatis potantur Beati, in æternum perfruamur. Et hæc de tota Metaphysica, quæ vtinam ad gloriam Dei dicta sint, doctrinæque doctoris Angelici, sãctissimique præceptoris.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS
RERVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Litera D. indicat Disputationem, littera Q. Quæstionem, littera N. Numerum.

potentia

DDdd

FINIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlements, Grand Conseil, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, ou leurs Lieutenans, ou autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre cher & bien-aymé *R. P. F. Blaise de la Conception, Carme Deschaussé:* nous a fait remonstrer, qu'il a composé vn liure intitulé *La Metaphysique*, qu'il a fait voir par les Sieurs Patu & Henriot, Docteurs en Theologie, ainsi qu'il appert par leurs certificats cy attachez sous le contreseel de nostre Chancellerie, lequel liure ledit exposant desireroit donner au public & iceluy faire imprimer nous requerant humblement nos Lettres à ce necessaires. A CES CAVSES, desirant fauorablement traitter ledit exposant, nous luy auons permis & permettons par ces presentes, de faire Imprimer ledit liure, en tel volume & caractere qu'il trouuera bon, & par tel Imprimeur qu'il voudra choisir, & ce pour le temps & terme de sept ans, à commencer du iour, qu'il sera acheué d'imprimer, & afin que le Libraire qui entreprendra ladite impression, ne soit frustré des frais, qu'il conuiendra faire; Nous auons fait & faisons tres-expresses inhibitions & deffences à tous Libraires, Imprimeurs, Colporteurs de liures & autres quelconques de l'imprimer, vendre, debiter, si ce n'est du consentement du suppliant, ou de l'imprimeur qu'il aura choisi, à peine de confiscation des exemplaires, trois mille liures d'amande, despens, dommages, & interests, à la charge de mettre deux exemplaires dudit liure en nostre Bibliotheque des Cordeliers, & vn en celle de nostre tres-cher & feal Cheualier le Sieur Seguier, Chancellier de France, auant que de l'exposer en vante suiuant nostre Reiglement, à peine d'estre descheu du present Priuilege.

SI VOVS MANDONS que du contenu en ces presentes, vous fassiez & souffriez ledit exposant, ou ceux qui auront droict de luy, iouyr pleinement & paisiblement: Voulons qu'en mettant en chacun exemplaire dudit liure coppie du present Priuilege ou extraict d'iceluy il soit tenu pour signifié. MANDONS en outre au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis faire, pour l'execution des presentes, tous exploits, saisies, deffences, & autres actes requises & necessaires: de ce faire te donnons pouuoir: CAR TEL EST NOSTRE BON PLAISIR, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande & Lettres à ce contraires. DONNE' à Paris le 26. iour d'Octobre 1639. Et de nostre regne le trentiesme.

Par le Roy en son Conseil, DENISOT.

LEdit R. Pere Blaise de la Conception, a cedé & transporté le Priuilege, par luy obtenu, pour le present liure, à Denys Thierry, Marchand Libraire, pour en iouyr durant le temps porté audit Priuilege.

Acheué d'imprimer le quatriesme iour d'Auril 1640.

